UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

urn:nbn:de:hbz:466:1-59636

Visual Library

L I Th. 4464.

46

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FLORES MEDITATIONVM.

Ex { S. IGNATIO
P. Vincentio Bruno
P. Ioanne Busæo
Alijsq; Soc. IESV PP.bus

DECERPTI,

In quibus continentur Meditationes.

I. *De plerisq; mysterijs vitæ Christi.*
II. *De sacratissima eius Passione.*
III. *De omnibus Dominicis totius anni.*
IV. *De præcipuis festis Sanctorum.*

IN GRATIAM

SODALIVM PARTHENICORVM B. M. V. ANNVNCIATÆ præcipuè editi ac spiritalis strenæ loco adornati.

Liber Collegij Soc.tis Jesu Paderb.æ A.o 1623.



ANNO 1623.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus BERNARDI GVALTERI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LECTORI BENEVOLO S.

SOLENTij, quos Alchimistas appellamus, ex plurimis rebus, florem (vt ipsi nominant) ac succos varios, ad morborum curationem valde idoneos atque oportunos, adhibitis distillationibus diuersis extrahere, atque ad humani generis vtilitatem, amicis suis ad multas vitæ commoditates dispertiri. Idipsum imitati sunt, in procuranda animæ salute, non pauci viri spirituales; inter alios R. P. Vincentius Brunus Soc. IESV Theologus, qui ex paruo illo quidem, sed admodum fœcundo exercitiorum S. IGNATII libello, vitam Christi ordinatè distributã, quatuor medit. Tomis complexus est; quem R. P. Ioannes Bufæus, aliíq; complures, in eadem S. Parentis sui officina perpoliti, subsecuti sunt. Ex quibus cum iam pridem, succum quen-

dam, animæ morbis valde proficuum desiderari animaduerterem, multis relictis, ea collegi, quæ animis nostris, curationem aliquam, facere posse videbantur. Quæ ipsa, vobis præcipuè, SODALES PARTHENICI, *qui hoc exercitationis genus ex regulis vestris vsurpatis, dicare visum est: deprecando vobis à Deo T. Opt. Max. vt feliciter annare, ac perennare liceat. Colon. 4. Cal. Ianuarias anni noui 1623.*

INDEX

INDEX MEDTATIONVM PRIMÆ PARTIS.

Medit. I. DE *Annuntiatione.* pag 1.
2. *De visitatione.* 6
3. *De reuelatione S. Iosepho facta.* 9
4. *De Natiuitate Christi.* 12
5. *De Pastoribus.* 15
6. *De Circumcisione.* 18
7. *De Epiphania.* 21
8. *De Purificatione.* 25
9. *De fuga in AEgyptum.* 29
10. *De Inuentione pueri in templo.* 32
11. *De vita Christi ab anno 12. ad 30.* 36
12. *De Pradicatione S. Ioannis.* 39
13. *De Baptismo Christi.* 43
14. *De Tentatione Christi.* 46
15. *De Vocatione quinque Apostolorum.* 50
16. *De primo Christi miraculo in nuptijs facto.* 53
17. *De fugatis è templo negotiatoribus.* 55
18. *De Samaritana.* 58
19. *De Initio pradicationis Christi.* 62
20. *De vocatione Apostolorum.* 66
21. *De miraculosa piscatione.* 69
22. *De sanata socru Simonis.* 73
23. *De Sedatione tempestatis.* 77
24. *De Paralytico domi sanato.* 80

25. De Hamorrhoissa sanata. 85
26. De filia archisynagogi suscitata. 87
27. De Paralytico sanato ad piscinam. 91
28. De sermone Christi in monte. 94
29. De Oratione dominica. 97
30. De Mundatione Leprosi. 101
31. De Sanato seruo Centurionis. 104
32. De Filio viduæ resuscitato. 107
33. De Conuersione Magdalenæ 111
34 De Muliere quæ B. V. collaudauit. 114
35. De Nazarenis Christum præcipitare volentibus. 117

SECVNDAE PARTIS.

1. De Electione & missione 12. Apostolorum 121.
2. De 5000. hominum refectione. 125
3. De Ambulatione Christi super aquas. 129
4. De Filia Chananæa sanata. 133
5. De Surdo & muto. 138
6. De confessione Petri & auctoritate. 142
7. De Transfiguratione Christi. 147
8. De energumeno sanato. 151
9. De Angelis custodibus. 155
10. De Muliere adultera. 159
11. De Illuminatione cæci. 164
12. De Susceptione Christi à Martha. 168
13. De Adolescente petēte vt saluus fiat. 172
14. De Lazari suscitatione. 177
15. De Petitione matris filiorum Zebedæi. 181
16. De Cœco Ierichontino. 185

17. De Zachæi susceptione Chr. 190
18. De Cœna Bethaniæ. 196
20. De Fletu Christi super Ierusalem. 199
21. De Ficu maledicta, & eiectione è templo. 204.
22. De morte hominum mundanorum ac iustorum. 209
23. De Iudicio vniuersali. 215
24. De Pœnis damnatorum. 221
25. De Gloria beatorum. 225

PARTIS TERTIÆ.

1. De Ingressu in Ierusalem. 228
2. De Consilio Iudæorum. 230
3. De Discipulis ad parandam cœnam missis. 233
4 De Cœna vltima. 236
5. De Lotione pedum. 238
6. De Institutione SS. Eucharistiæ. 240
7. De Proditione patefacta. 243
8. De Scandalo Apostol. & negatione Petri. 246
9. De Itinere ad hortum. 248
10. De Oratione Christi in horto. 250
11. De Christi agonia. 252
12. De Proditione Christi. 255
13. De captiuitate Christi. 257
14. De Christi ad Annam deductione. 260
15. De Gestis in domo Caiphæ. 263
16. De Adiuratione Pontificis. 265
17. De exceptione Christi apud Caiphã. 267

18. De Negatione Petri. 269
19. De Compassione matris IESV. 271
20. De Deductione Christi ad Pilatum & Iudæ interitu. 273
21. De Christi 1. accusatione apud Pilatum 276
22. De examine Pilati. 278
23, De Missione ad Herodem. 280
24. De Contemptu apud Herodem. 281
25. De Prælatione Barrabæ. 283
26 De Flagellatione. 286
27. De Coronatione. 288
28. De Illusione in domo Pilati. 290
29. De Productione ad populum. 292
30. De Iudæorũ iterata petitione mortis. 294
31. De Condemnatione & crucifixione. 297
32. De Baiulatione crucis. 299
33. De Collocutione cum mulieribus. 301
34. De Simonis Cyren. baiulatione. 303
35. De Potatione vini myrrhati. 305
36. De Crucifixione. 306
37. De Duobus latronibus. 309
38. De Titulo Crucis. 310
39. De vestium diuisione. 312
40. De Irrisione & iniurijs in cruce. 314
41. De Primo verbo. 316
42. De Secundo verbo. 318
43. De Tertio verbo. 321
44. De Quarto verbo. 323
45. De Quinto verbo. 325
46. De Sexto verbo. 327

47. De

47. De Morte & septimo verbo. 329
48 De Factis post mortem. 331
49. De Latere lancea perfosso. 333
50. De depositione à cruce. 335
51. De sepultura. 337
52. De Custodia sepulchri. 339
53. De Descensu ad limbum. 341
54. De Resurrect & appar. Matri facta. 343
55. De Apparitione Magdalenæ facta. 348
56. De Apparitione 2. discipuli facta. 350
57. De Appar omnib. discipulis facta. 355
58. De Appar. Discipulis præsente Thoma facta. 359
59. De Appr. Discipulis dum piscarētur facta. 361
60. De Appar. Discipulis in monte Thabor. 364
61. De Ascensione. 368
62. De missione Spiritus S. 372

QVARTÆ PARTIS.

1. De Conceptione B.V. 377
2. De Natiuitate B.V. 381
3. De Præsentatione B.V. 385
4. De Despōsatione B.V. cum Iosepho. 389
5. De Annunciatione. 393
6. De Visitatione. 398
7. De Purificatione. 402
8. De conuersatione B.V. post Filij ascensionem. 408
9. De Assumptione B.V. 412
10. De Natiuitate S. Ioannis Baptistæ. 416

Discurs. 1. De communi Apostolorum. 412
2. De communi SS. Martyrum. 428
3. De communi Confessorum. 433
4. De communi virginum. 439

QVINTÆ PARTIS

Medit. 1. De S. Ioanne in vinculis. 446
2. De legatione Iudæorum ad S. Io Bap. 449
3. De prædictione dolorum B. V. 451
4. De semine & zizanijs. 453
5. De operarijs vineæ. 455
6. De vario semine. 459
7. De Christi innocentia. 461
8. De bono pastore. 463
9. De modico huius vitæ. 465
10. De quibusdam effectis Spiritus S. 467
11. De Oratione. 469
12. De Apostol. testimonio & persecutione. 471.
13. De Nicodemo. 473
14. De epulone & Lazaro. 476
15. De Cœna magna. 478
16. De Oue perdita. 481
17. De misericordia & iudicio. 483
18. De iustitia Phariſæorum. 485
19. De septem panibus. 487
20. De falsis prophetis. 489
21. De villico iniquitatis. 492
22. De Phariſæo & Publicano. 494
23. De decem leprosis 497
24. De duobus dominis. 499

25. De *Hydropico.* 501
26. De *magno mandato.* 503
27. De *veste nuptiali.* 505
28. De *filio Reguli.* 509
29. De *Rege rationem ponente cum seruo.* 511.
30. De *numismate census.* 514
31. De *abominatione desolationis.* 517
32. De *signis extremi iudicij.* 520
33. De *Damonio muto.* 523
34. De *V. Sacramento.* 526
35. De *curiositate vitanda.* 529
36. De *humilitate & mansuetudine.* 531
37. De *beatitudine ac Dei visione.* 534
38. De *mortificatione sui.* 537
39. De *dilectione mutua & persecutione.* 540
40. De *SS. communione.* 543
41. *Ce cade Prophetarum.* 546
42. De *Samaritano & Leuita.* 548
43. De *extremo die Iudicij.* 552

FINIS.



MEDITATIO I.

DE ANNVNCIATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. ANgelus *Gabriel B. Virg. ſalutans dixit:* Aue gratia plena *&c.* Ecce concipies & paries filium. *Luc.* 1.

II. *Eandem confirmat Exemplo cognatæ.* Ecce Elizabeth, *Cognata tua, & ipſa concepit in ſenectute ſua.*

III. *B.V. reſpondet Angelo:* Ecce ancilla Domini, *fiat mihi ſecundum verbum tuum.*

FIGVRAE.

1. MOYSES cum deſcenderet cum tabulis Legis ex mõte Sinai, in quo erat conuerſatus cum Deo, & filij Iſrael ſplendorem vultus eius perferre non poſſent, operuit faciem ſuam velo, vt eos alloqui poſſet. *Exo.* 34.

2 Abraham vnum è ſeruis ſuis miſit in Meſopotamiam, vt inde Rebeccam filio ſuo in ſponſam acciperet. *Gen.* 24.

Iud. 13. 3. Angelus Domini, apparuit matri Samsonis, eiq; dixit. Ecce concipies & paries filium, erit Nazaræus, & incipiet liberare populum Israel.

1. Reg. 25 4. Abigail, accepto nuncio, quod Dauid iussisset eam sibi accipi in vxorem, adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei.

Esther. 2 5. ESTHER virgo è captiuitate populi Israelitici incredibili sua pulchritudine, honestisque moribus ita placuit ASSVERO Regi, vt ex omnibus mulieribus eam in sponsam & Reginam elegerit.

Gen. 37. 6. Iacob misit filium suum carissimum Ioseph ad inuisendos fratres, qui pascebant oues in Sichimis, à quibus captus fuit, & malè tractatus.

PROPHETIÆ.

Mich. 1. 1. *ECce Dominus egredietur de loco suo, & descendet.*

Psal. 35. 2. *Deus ipse veniet, & saluabit vos.*

Isa. 45. 3. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.*

Psal. 71. 4. *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.*

Isai. 7. 5. *Ecce virgo concipiet & pariet filium.*

Hier. 31. 6. *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum.*

7. Por-

7. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Eze. 44

8. *Inclinauit cælos, & descendit.* Ps. 17. 10

9. *Cùm quietum silentium continerent omnia & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine, exiliens è cœlo à regalibus sedibus venit.* Sap. 18. 15.

DOCVMENTA.

1. ANGELVS Gabriel, etsi probè intelligeret, se quoad naturam, longe esse homine nobiliorem & sublimiorem, hac verò legatione futurum homine inferiorem, & hominem adoraturum: tamen cum sciret hanc esse Dei voluntatem, promptè & alacriter suo functus est ministerio: Sic nos in rebus ad diuinum seruitium spectantibus non debemus quærere commoda nostra, aut honorem nostrum, sed id tãtum, quod magis conueniens est voluntati & gloriæ Dei, ac saluti animarum.

2. Verbum æternum non voluit carnem nostram assumere Hierosolymis vrbe regia, sed in exigua villa Nazareth, quod interpretatur, sanctificata, vel florida. Gratia diuina non contingit superbis. Quare si in animis nostris volumus Iesum concipere, simus humiles, & sancti, & virtutum floribus ornati.

3. DEVS assumpturus carnem, voluit matrem suam, non solum esse virginem, & sanctam, verumetiam marito adiunctam, vt etiam apud homines omnem peccati suspicionem auerteret sic non sufficit nobis, vt bonis operibus, rectaque intentione satisfaciamus

DEO, sed præterea necessarium est, vt nullam scandali occasionem hominibus demus, conuenienter verbis S. Pauli monentis, vt bona prouideamus, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.

Rom. 12 17.

4 Angelus non inuenit B. Virginem in loco publico, sed domi in cubiculo recluſam. Et nos, si cælesti visitatione digni, si diuinorum secretorum participes esse cupimus, simus in nobis ipsis collecti, & nos à nimia conuersatione hominum subtrahamus.

5. Beata virgo, Angelo conspecto, tantisque laudibus ab eo in salutatione auditis, turbata est, & seipsam collegit; vt doceret, affluente diuina consolatione, rebusque prosperis, nos non debere esse timore vacuos, sed ob periculum ruinæ impendens nobis ipsis attendere: Sicut è contrario desolationis & afflictionis tempore debemus lætari, & esse magis securi, dicente Scriptura Dominum in tribulatione nobis adesse ad adiuuandum nos.

Psal. 90 15.

6. Discant fœminæ à MARIA domi se continere, eoq; loco recludi, vbi solæ inueniantur ab Angelis, discant formidare virorum colloquia; & ad laudes suas turbari. Discant prius expendere, & examinare res sibi propositas, quàm respondeant. Discant audire multa, loqui pauca. Discant denique zelum castitatis, qui tantus fuit in MARIA, vt non ante Mater Dei esse consenserit, quàm inuiolatam fore virginitatem suam certò cognoſceret.

7. Beata virgo, licet esset humillima, & præ alijs omnibus se indignam reputaret, vt esset mater Dei, tamen cognita diuina voluntate, mox cessit & magna animi promptitudine & fortitudine sese obtulit. Sic nos, cum ad diuinum seruitium à Deo vocati sumus, quam pri-

primum, re diligenter excussa, animaduertimus vocationem esse à Deo, non debemus nec instituti difficultate, nec rei præstandæ magnitudine, nec virium nostrarum imbecillitate deterriti, respuere, vel differre obsequiũ, sed confisi in eo, qui vocat, promptè nos offerre, & dicere cum Maria: Ecce seruus Domini fiat mihi secundum verbum tuum.

8 *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* In his sex verbis sex eximiæ virtutes Sanctissimæ Virginis continẽtur, quæ cuiuis Christiano, in se Christum spiritualiter concipere volenti, sunt necessariæ.

Prima est, Obedientia prompta, significata voce. *Ecce.*

Secunda. Humilitas profunda, significata voce. *Ancilla.*

Tertia. Puritas angelica, expressa voce. *Domini.*

Quarta. Caritas ardens, & zelus pro salute aliorum significata voce, *Fiat.*

Quinta. Humilis magnanimitas in diuini seruitij executione, significata voce; *Mihi.*

Sexta & postrema, Fides deuota, quæ significata fuit, quando dixit, *secundum verbum tuum.* Beata enim virgo firmissimè credebat re ipsa in se complendum, quicquid verbis Angeli erat expressum.

9. B. Virgo sermone Angeli turbata nihil respondit, sed secum omnia expendit. Vnde discimus, cum in nobis perturbatio aliqua, vel commotio animi exurgit, debere nos tacere, & expendere quid conueniat, ne quid loquamur, vel agamus, cuius nos deinceps pœniteat.

MEDITATIO II.
DE VISITATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Exurgens Maria abijt in Montana & visitauit Elisabeth, ac S. Ioan. in vtero matris gestiens sensit salutationem; Mater verò exclamauit* : Benedicta tu inter mulieres. *&c.*

Luc. 1.

II. *B. V. in hoc Canticum præ lætitia prorupit* : Magnificat anima mea Dominum, *&c.*

III. *Mansit Maria, cum illa, quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.*

FIGVRÆ.

Iudit. 13

IVDITH in Bethuliã cum capite Holofernis reuersæ, & magno triumpho à toto populo receptæ, dixit Ozias princeps populi Israhel. *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.*

1. Reg. 2.

ANNA sterilis mater Samuelis, cum filium à Deo impetrasset, adorans Dominum dixit. *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo.*

PRO-

PROPHETIÆ.

1. ANima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo. Psal. 34.
2. Dominus ab vtero vocauit me. Esa. 49.
3. Antequam exires de vulua sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te. Hier. 1.

DOCVMENTA.

1. B. VIRGO, quãtumuis ad summum dignitatis culmẽ prouecta fuerit, vt esset Dei mater, tamẽ humiliauit se, & Elizabeth cognatæ multo se inferiori, instar ancillæ, seruiuit; vt suo exemplo discerent omnes in sublimi dignitatis gradu constituti, hoc se rem magis dignam honore & laude facere, quo amplius se demittunt, ad necessitates subditorum subleuandas, conuenienter illi dicto sapientis. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Eccle. 3. 20.

2. Primum Christus visitauit infantulum Ioannẽ; qua visitatione ille exultauit in vtero, & est sanctificatus; vt intelligamus, nihil boni à nobis effici posse; nisi Dominus suę visitationis gratia nos præueniat. Si verò ab eo præuẽti, in eius laudibus prædicandis exultemus, & ipsius gratiæ cooperemur, vna cũ Ioanne iusti & sancti efficiemur.

3. Si Elisabeth spiritu sancto plena, propter ingressum Dei matris in domum suam, dixit. Vnde hoc mihi meritum? Nos qui pleni sumus peccatis, quid dicemus vel agemus, quando idem Filius Dei dignatur ingredi Sacramentaliter domum spiritualem animæ nostrę, qua humilitate, quo honore, qua reuerentia, qua

gratiarum actione, quibus denique operibus excipere deberemus tantum hospitem?

4. B. Virgo aduertens se laudari, beatamque prædicari ab Elizabeth dixit: Magnificat anima mea Dominum, nimirum, vt doceret nos, quando ob donum aliquod diuinitus acceptū, vel propter aliqua bona opera laudamur, non efferri gloria, nec placere nobis, sed omnem laudem transferre in auctorem Deum, à quo omnia bona & dona profluxerunt.

5. B. Virgo, cum iret visitatum Elisabeth iter confecit cum festinatione: at in domo cognatæ commorata est tres menses, vt exemplum daret fœminis omnibus, multum domi, parum in plateis hærendi.

6. B. Virgo, mox, atque verbum æternum in ipsam dilapsum est, se in viam dedit, celeriter progressa est, & montes superauit: Et nos, si bonorum operum exercitium desugiamus, si negligentes, si tardi simus in bono, si affixi maneamus rebus terrenis, & non mentem attollamus ad expetendas res cæleſtes, ad perfectionem virtutum signum est, Deum, gratiamque eius nondum habere sedem in anima nostra.

7. Vt B. Virgo ob beneficia ab eo accepta Dominum magnificauit, sic & nos eum ob beneficia recepta magnificare debemus, idque trifariam.

Primò, ea illi attribuendo, & ab eo profecta agnoscendo.

Secundo, reddendo pro illis gratias debitas.

Tertio, eadem vsurpando ad Dei cultum & gloriam.

8. Sicut B. V. Expleto caritatis officio domum redijt; ita nos absolutis negotijs ad proximi salutem spectantibus, ad nos redire, & nobis ipsis vacare debemus.

MEDI-

MEDITATIO III.
DE REVELATIONE S. IOSEPHO FACTA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Cum desponsata esset Ioseph Maria, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Ex Euang. Matt. 1.

II. *Cum Ioseph, vir iustus vellet occultè dimittere eam, apparuit ei Angelus dicens: Ioseph Fili Dauid, noli timere, accepere* MARIAM *coniugem tuam: quod enim in ea natum est, à Spiritu sancto est.*

III. *Pariet Filium, & vocabis nomen eius* IESVM. *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.*

FIGVRÆ.

SVSANNÆ, cum venisset in suspicionem criminis, & iniustè condemnata esset ad mortem à populo: ait scriptura, eam flentē suspexisse in cœlū eò quod cor eius haberet fiduciā in domino. Quare Deus suscitauit Spiritum sanctum pueri iunioris Danielis qui cum mirabili iudicio in- Dan. 13.

nocentiam Susannæ declarasset, omnes benedixerunt Dominum, qui liberat sperantes in se.

Gen. 37. & 39. 2. Ioseph Patriarchæ Deus in somnis multa reuelauit, & cum seruiret Domino Ægypti, tantam apud eum gratiam obtinuit, vt illi totius domus suæ administrationem committeret.

PROPHETIÆ.

Psal. 33. 1. *MVLTÆ tribulationes iustorum, & de his omnibus liberabit eos Dominus.*

Psal. 36. 2. *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet, & educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem.*

DOCVMENTA.

1. B. Virgo cùm concepisset filium Dei, hoc secretum sponso suo nō patefecit. Vnde discimus, securiùs esse visiones diuinas, & cœlestia dona occultare, quam manifestare: atque item omnia quæ in nostram laudem cedunt, vel existimationem apud homines conciliant, ab alijs potiùs, quàm à nobis ipsis prodenda secundùm consilium Sapientis. *Laudet te alienus, & non os tuum.*

Pro. 27. 2.

2. B. Virgo, etsi sciret se gestatione vterī magnam causam suspicionis & mœroris daturam Iosepho, tamen innocentiæ suæ conscia, confisa Deo, qui remedium suppeditare, famamque ueri posset, conticuit; Sic nos, si aliquando iniquè

iniquè infamemur , modo conſcientia non redarguat , neq; turbari , neq; nimis anxij eſſe debemus , tantum committamus totam rem Deo , omnium in ſe confidentium patrono, qui , ſi iudicabit nobis expedire , non negliget innocentiam noſtram patefacere toti mundo.

3. Ioſeph etſi ſecundum legem potuerit accuſare , & repudiare Virginem , poſtquam cognouit eſſe grauidam, tamen ad tuendum eius honorem, maluit occultè dimittere. Vnde diſcimus , qua caritate , proſequi debeamus proximum, etiam poſt lapſum ; nempe non ſtatim (quantumuis iuſtè fotte poſſemus) eum diuulgare, & hominem infamare. Cum enim hominis Chriſtiani ſit , non facere alteri , quod nobis factum nolimus , debemus , quoad poſſumus, omnium bonum nomen & famam tueri.

4. Ioſeph cum verſaretur in cogitatione dimittendi ſponſam , prius rem diu ſecum expendit, quàm aliquid decerneret , & idcirco à Deo veritatis manifeſtationem obtinuit ; Sic nos in rebus dubijs & incertis , ſi velimus à Deo illuminari, non debemus eſſe , aut in iudicando temerarij , aut in deliberando præcipites , ſed ſtudiosè prius perpendere quid facto opus ſit.

5. Si Deus permiſit matrem ſuam innocentiſſimam , eiuſque ſponſum Ioſeph hominem iuſtum tantopere affligi, non eſt, quod nos peccatores conqueramur , ſi aliqua afflictione à Domino viſitemur, ſcimus enim , ſi imperfecti ſimus eam nobis prodeſſe ad vitæ emendationem; ſi perfecti & iuſti, ad augmentum meriti & coronæ in cœlo.

6. Angelus B. Virginem appellauit coniugem Ioſephi: vnde ſequitur , poſſe verum eſſe matrimonium inter duos nondum ſecuta co-

pula, si ex communi vtriusq; consensu castè viuant. Quale matrimonium hoc Deo gratius est, & maioris meriti, quanto similius est matrimonio Matris eius & Christi cum sponsa Ecclesia.

MEDITATIO IV.
DE NATIVITATE CHRISTI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Ex Euang. Luc. 2.

I. *Publicato Augusti, de descriptione orbis decreto ascendit Ioseph in Bethlehem, cum vxore sua eò quòd esset de familia Dauid.*

II. *Cum essent ibi impleti sunt dies* MARIAE, *vt pareret: Et peperit primogenitum suum.*

III. *Inuoluit eum pannis, & reclinauit in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.*

FIGVRA.

Exod. 2. MOYSES postquam natus est, positus est in fiscella scirpea.

PRO-

PROPHETIÆ.

1. *ADhuc vnum modicum est, & ego cõmouebo cœlum & terram, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Agg. 2.

2. *Et tu Bethlehem Ephrata nequaquam minima es in principibus Iuda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Mich. 5.

3. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Esa. 7.

4. *Antequã parturiret peperit, antequam veniret partus eius, peperit masculum.* Esa. 66.

5. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius.* Esa. 9.

6. *Cognouit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit.* Esa. 1.

7. *Parauit Deus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Esa. 52.

8. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Baruch. 3.

9. *Et videbunt gentes iustum tuum, & cuncti reges inclytum tuum.* Esa. 62.

10. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Esa. 52.

11. *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis & lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt. Adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Baruch. 3.

DOCVMENTA.

1. IOseph discedens è Galilæa quod interpretatur, volubilis, abijt in Iudæã quod, Confessio, in Bethlehem, quod interpretatur, Domus panis, vt inscriberetur in catalogum eorum qui erant de familia Dauid: Et nos si velimus, vt veri filij, & domestici cælestis Dauid scribi in libro vitæ, deseramus res volubiles & transitorias huius mundi, & facta vera confessione, & expurgataque ab omnibus sordibus conscientia, sæpe adeamus mensam panis viui, qui descendit de cœlo, vt det vitam mundo.

Ioan. 6. 2. Si B. Virgo cum tanto suo incommodo, & afflictione domum propriam deseruit, & abijt in Bethlehem, vt pareret edicto Principis terreni, quanto potius nobis omnia incommoda & labores perferendi sunt, vt pareamus mandatis diuinis.

3. Deus descendendo in terram pro natiuitate sua elegit exiguam vrbem Bethlehem, & pro ignominiosa morte sua regiam vrbem Hierosolymam, ad confusionem nostram: qui, si quid dignum laude vel gloria agimus, id volumus mox publicari, & in totum mundum diuulgari. Defectus verò nostros, & si quid reprehensione dignum committimus id volumus cælari, & si fieri posset, etiam intra viscera terræ recondi.

4. Si Religiosi, qui professionem faciunt: imitandi Christum, contemplarentur Filij Dei paupertatem, vilibus fascijs illigati, in præsepi animalium depositi, paruo lacte pasti: nunquam grauiter ferrent aut lecti sui duritiem, vel mensæ parcitatem vel vestimentorum vilitatem.

5. Fi-

5. Filius Dei veniens in hunc mundum elegit in natiuitate sua pauperem domum, pauperem lectum, pauperem matrem, res omnes paupere s. Si Iesus est Sapientia æterna, de qua dicit Propheta, quod sciuerit reprobare malum, & eligere bonum, certum est, non esse vera bona, quæ homines huius sæculi bona existimant, vt opes, honores, delitias &c. Sed quæ elegit Christus, vt paupertatem, humilitatem, & malorum tolerantiam. *Esa. 7.*

6. Deus veniens in hunc mundum, non inuenit locum pro se, & ideo opus habuit, cum tanta sua molestia nasci in stabulo. Quare homines qui in hoc mundo volunt frui omnibus commodis, magnā habent dubitandi causam, qua parte fruituri sint in altero. Contra, gaudere debent pauperes, & omnes humanis auxilijs destituti, nam tanto in cœlo apparebunt glorioſiores cum Christo, quanto in terra fuerint illi similiores.

MEDITATIO V.

DE PASTORIBVS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Pastoribus reuelatur per Angelos Christi natiuitas*: Euangelizo vobis gaudium magnum &c. *Qui & cecinerunt*: GLORIA in excelsis. *Luc. 2.*

II. *Pastores in Bethlehem properantes*: Inuenerunt Mariam, & Ioseph, & puerum &c.

III. Re-

III. *Reuersi sunt glorificantes Deum in omnibus quæ audierant, & viderant.*

PROPHETIÆ.

Esa. 9. 1. *Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam.*

Psal. III. 4. 2. *Exortum est in tenebris lumen rectis corde.*

Isa. 29. 19. 3. *Et addent mites in domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt.*

DOCVMENTA.

1. CHristus mysterium natiuitatis suæ patefecit Pastoribus mittens eis Angelũ, & cœlesti eos splendore illustrans. Deus voluntatem suam doctrinamque cælestem imprimis communicat Pastoribus, & Ecclesiæ præsidibus, eosq; amplíori lumine donat, & studiosiùs eis adsistit ad dirigendos ipsos & alios. Et ideò subditi non suo arbitrio, sed eorum nutu, & iudicio regendos se tradere debent, quos DEVS eis dedit Pastores: sciẽtes quò longiùs ab eorum obedientia recesserint, hoc longiùs quoq; à salutis via, ipsoque DEO recessuros.

2. Christus natus, summus Pastor se manifestauit Pastoribus vigilantibus super gregẽ vt iudicaret, cuiusmodi vellet esse suæ Ecclesiæ Pastores, humiles videlicet & vigilantes.

3. Pastores vigilias agebant noctis, ne grex inuaderetur à feris id temporis maxime in prædam effusis: sic Pastores animarum, etsi

quouis

quouis tẽpore vigilias agere debeant, ſtudioſiùs tamen per noctis tenebras, hoc eſt, quando ſubditis aliqua deſolatio, tentatio, vel ſalutis diſcrimen impendet, ne à lupo infernali deuorentur.

4. Paſtores dixerunt. *Tranſeamus in Bethlehem, & videamus verbum quod factum eſt.* Et nos exemplo Paſtorum horum ſtudeamus tranſire à vitiis ad virtutes, & de virtute in virtutem proficere, vt in illa cœleſti Bethlehem, ciuitate panis, de quo ſcriptum eſt, *Beatus qui manducauerit panem in regno cælorum*, mereamur intueri verbum incarnatum, non iam in præſepio plorans, ſed in ſinu Patris in æternum regnans. Luc. 20.

5. *Et inuenerunt infantem poſitum in præſepio.* Illi inueniunt Chriſtum, qui velut hi Paſtores ſunt ſimiles ipſi, id eſt, qui ſuæ infantiæ ſimplicitatem, faſciarum paupertatem, & Præſepij vilitatem imitantur.

6. Paſtoribus vigilantibus apparuit Angelus, eoſque diuina lux circumfulſit, vt ſignificaretur, illos dignos eſſe myſteriorum diuinorum notitia, & illuſtratione mentis qui cum ſollicitudine aduigilant gregi fidelis populi ſibi commiſſo; Vnde quamdiu, magna pietate & ſtudio ſaluti eius procurandæ dant operam, abundanti quoque diuinæ gratiæ luce Dominus eos co illustrat.

7. Angelus ſignum dedit Paſtoribus, quod inuenirent infantulum pannis inuolutum, & poſitum in præſepio: vt notemus quæ conditiones eorum ſint, à quibus Chriſtus ſe finit inueniri. Prima, vt ſint ſimplices & puri, ſignificati per eius infantiam. Secunda, vt pauperes, quod ſignificatur per pannos viles, quibus eſt obuo-

obuolutus. Tertia, vt humiles & contempti, quod significatum est per Præsæpe, in quo ipse decumbebat.

MEDITATIO VI.
DE CIRCVMCISIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Luc. 2. I. *Circunciſus eſt puer.*
II. *Vocatum eſt nomen eius* IESVS.
III. *Quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam conciperetur.*

FIGVRÆ.

Gen. 25. 1. ISAAC filius Abrahæ vnigenitus circunciſus fuit octauo die poſt ſuam natiuitatem.

Gen. 41. 2. IOSEPH Patriarchæ impoſitum eſt nomen à rege Pharaone, nam lingua Ægyptiaca eum vocauit, Saluatorē mundi.

PROPHETIÆ.

Eſa. 30. 1. ECcè *nomen Domini venit de longinquo.*

Iſa. 62. 2. *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.*

Eſa. 8. 3. *Voca nomen eius, Accelera, Spolia detrahe, Feſtina prædari.*

4. *Ego*

4. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Abac. 3.

5. *Nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israel.* Ezec. 39. 7.

6. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa.* Esa. 52.

DOCVMENTA.

1. CHRISTVS primo opere, quod post Natiuitatem suam fecit, nempe Circunciſione & ſuſceptione nominis IESV, duos magnos lapides in fundamentum Eccleſiæ ſuæ coniecit. Vnus fuit obedientiæ, cum ſubiecit ſe Legi. Alter humilitatis, cum ſignū & ſimilitudinem aſſumpſit peccatoris. Quare ſignificatur, eos qui has duas virtutes non ſubſternunt alijs fundamenti loco, non habere Chriſtum pro fundamento. Ac proinde nō ſunt ex numero eorum, qui per ipſum ſunt ſaluandi.

2. Chriſtus ob aſſumptam circunciſionem, quæ erat ſymbolum hominis peccatoris, licet innocentiſſimus, non dedignatus eſt haberi peccator, ad confuſionem noſtram; qui cùm peccatores ſimus, tamen non volumus videri, vel haberi.

3. Chriſtus voluit carnem ſuam circuncidere, ad nos inſtruendos, qua ratione circuncidere & reſecare debeamus omnes vitiorum ſuperfluitates. Debemus enim circumcidere cor noſtrum à prauis cogitationibus, linguam noſtram à ſermonibus otioſis & pernitioſis, omnia membra & ſenſus corporis noſtri, ab omnibus rebus illicitis & vetitis, abſtinendo non ſolum à peccatis, ſed etiam peccati occaſionibus:

sionibus: qui enim non fugit occasiones, non facilè effugiet peccata ipsa.

4. Deus factus homo accepit nomen Saluatoris, vt homo peccator, si fortè timore iudicij desperaret, eò quod sit Deus, occasionem haberet in eum sperandi & confitendi, eò quod sit Saluator.

5. Si Christus, qui erat Dominus & Capitaneus noster pro salute nostra, recepit nomen Saluatoris, certè tunc veri eius erimus serui, eique similiores, quando non solum nostræ, sed etiam alienæ saluti procurandæ studuerimus.

6. Christus cùm non solùm voluerit nasci, verùm etiam nomen Iesu, id est, Saluatoris pro nostra salute assumere, armemus nos in omnibus tentationibus, afflictionibus & periculis huius sancti nominis clypeo, insculpendo illud cordi nostro, & ore continenter inuocando.

7. Sexies Christus pro nobis effudit sanguinem. 1. in circuncisione, vt instruat nos, quomodo rescindere & abijcere à nobis debeamus omne peccatum. 2. in oratione facta in horto, vt doceat nos, tolerandos esse angores & afflictiones pro peccatis commissis. 3. in flagellatione, vt doceat, quod & nos castigare & domare carnem nostram debeamus. 4. in Coronatione, vt doceat, quomodo animam nostram serto virtutum coronare debeamus. 5. in Crucifixione, vt instruat, quemadmodum membra nostra ad obseruationem diuinorum mandatorum alligare debeamus. 6. in vulnere lateris, vt doceat cor nostrum debere esse diuina caritate vulneratum.

MEDI-

MEDITATIO VII.

DE EPIPHANIA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Tres Reges ad puerum adorandum venerunt ſtellâ duce, atteſtantes:* Vidimus enim ſtellam, &c. *Iudæis eos in Bethlehem dirigentibus.* *Matt. 2.*

II. *Stella ſupra locum vbi erat puer conſiſtente, intrãte:* Et Procidẽtes adorauerunt eum, offerentes illi *munera, aurum, Thus, & myrrham.*

III. Reſponſo accepto, per aliam *viã reuerſi ſunt in regionem ſuam.*

FIGVRA.

REGINA Saba commota Sapientiæ Salomonis fama, cum pretioſis donis auri & aromatum ad eum viſitãdum, dictiſq; donis honorandum venit. *3. Reg. 10*

PROPHETIÆ.

1. *ORietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael.* *Nu. 24.*

2. *Surge illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.* *Eſa. 60.*

orta est, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.

Ibid. 3. *Omnes de Saba veniunt, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.*

Psal. 71. 4. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent, & viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ.*

Psal. 58. 5. *Omnes gentes, quascunq; feciſti venient, & adorabunt coram te Domine & glorificabunt nomen tuum.*

DOCVMENTA.

1. NAto Christo, statim Magis apparuit stella, venerunque cum muneribus ad illum quærendum & adorandum. Quando Dominus per gratiam nascitur in anima, statim immittit diuinæ inspirationis radios, quæ eum moueant ad commutandam vitam, quærendumque Christum & offerendum ei bonorum operum munera. Vnde quando nos sumus tepidi, & non vacamus operibus bonis, aut sectandis Christi virtutibus signum est illum nondum esse in nobis natum, nec nos ab eius spiritu duci.

2. Magi quærentes Christum Hierosolymis, non inuenerunt. Christus non inuenitur in magnificis palatijs, & commodis diuitum domicilijs, sed in abiecta & humili ciuitate Bethlehem. Vnde dicit ipsa Veritas, diuites difficulter ingressuros regnum cœlorum: E contrario vero ait, pauperum esse regnum cœlorum.

3. Herodes, ignorans quo loco nasciturus, esset Christus, consuluit Pontifices & Legis Docto-

Doctores, qui licet Christi inimici, veritatem, confessi sunt, & locum natiuitatis indicarũt. Vnde discimus, in Conscientiæ dubijs, recurrendum esse ad Prælatos & Pastores, firma in Deum fiducia freti, etiam si peruersæ sint vitæ. Deum non passurum, vt in rebus ad gubernationem & directionem animæ nostræ pertinentibus hallucinentur, sed viam salutis doceant.

4. Magi relicto Herode egressi Hierosolymam, de nouo conspexerunt stellam, & ineffabili lætitia sunt perfusi. Si perfectè vis illuminari, & cor tuum vera consolatione & lætitia perfundi, quam nemo possit tibi adimere, de ere Herodem, egredere Hierosolymam, renuncia mundo & omnibus eius pompis, fuge huius periculosi sæculi tumultus, & subitò tibi apparebit diuinæ gratiæ Stella, quæ te comitabitur vsque ad beatificam visionem tui Creàtoris.

5. Magi inuenerunt puerum Iesum cum Maria matre eius, idem legitur de Pastoribus, quod inuenerint Mariam cum puero Iesu. Nõ reperitur filius sine matre, nec mater sine filio. Vnde intelligimus, non posse aliquem esse verum seruum Iesu, qui non sit simul deuotus Mariæ, & contra non fore vèrè deuotum Mariæ, qui non fuerit verus seruus Iesu.

6. Magi inuento Iesu aperuerunt thesauros suos, vt eos offerrent. Quo exemplo discimus, non aperire thesauros nostros, hoc est, publicare & ostentare virtutes nostras & gratias quandiu in via huius vitæ versamur, donec liberi ab insidijs inimicorum, & peregrinationis nostræ exitum consecuti eas offeramus soli Deo, à quo eas recepimus. *Luc. 2.*

7. Magi primo supplices in terram abiecti adora-

adorarunt Christum, & deinde sua munera obtulêre. Et nos si volumus operum nostrorum dona grata Deo, offeramus ei primo nos ipsos, hoc est, cor nostrum & volũtatem. De eo enim
Gen. 4. scriptum est. *Respexit primum ad Abel, deinde ad munera eius.*

8. Magi obtulerunt Domino aurum, thus & myrrham. Tunc Christo offerimus aurũ charitatis, quando eum perfectè super omnia diligimus. Tunc offerimus Thus deuotæ orationis, quando eum benedicimus, laudamus, & agimus gratias pro acceptis beneficijs. Tunc offerimus myrrham mortificationis, quando sui amore refrenamus appetitum & desideria ordiuata carnis nostræ. Similiter tunc offerimus Christi aurum bonorum temporaliũ, quando illis vtimur in finem, ob quem sunt condita, nempe ad nos sustentandos, & iuuãdo proximos. Tunc offerimus thus bonorum spiritualium, quæ sunt facultates animi nostri Intellectum scilicet, voluntatem & memoriam, quando illis vtimur, in eum finem ob quem Dominus illas nobis dedit, Tunc denique offerimus myrrham bonorum corporalium, quando custodimus nostros sensus, mortificamus passiones, & totos nos omnesque vires & actiones nostras diuino seruitio impendimus.

9. Religiosi, tribus votis Deo consecrati, tunc cum magis Christo offerunt aurum, quãdo per paupertatem renuncian t, & perfectè expoliant se bonis huius mundi. Tunc verò offerunt Thus, quando per castitatem è corpore suo faciunt sacrificium mundum & odoriferum diuinæ Maiestati. Tunc autem offerunt myrrham, quando per obedientiam mortificant propriam voluntatem

& iudi-

& iudicium, subijciendo illud iudicio superioris.

10. Magi admoniti in somnis per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Sic nos postquam per pœnitentiam inuenerimus Christum, & consecuti fuerimus eius gratiam, non debemus in primam viam redire, sed mutato itinere, alia via tendere in patriam, è qua per peccatum discesseramus. Patria nostra est paradisus, è qua homo discedit superbiendo, inordinatas appetitiones sectando & adhærendo rebus terrenis, ad quam reditus non patet, nisi per viam contrariam, nempè humilitatis, pœnitentiæ, contemptus, mundi, & mortificationis carnis.

MEDITATIO VIII.

DE PVRIFICATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS:

I. *Detulerunt puerum in templum, offerentes simul par turturum, vt Deo præsentaretur.* Luc. 2.

II. *Simeon in vlnas suas eum accipiens, dixit:* Nunc dimittis *seruum tuum Domine &c.*

III. *Anna prophetissa vidua vsque ad annos 84, ieunijs & obsecrationibus seruiens Deo, omnibus loquebatur.*

FIGVRÆ.

Exo. 29. Nu. 28. 1. MANDAVIT DEVS in lege quotidie offerri in holocaustum agniculos immaculatos duos; vnum mane, alterum ad vesperum, ad præsignificandas duas oblationes, quas Christus verus & immaculatus agniculus de seipso facturus erat Patri. Vnam hodie initio suæ vitæ: alteram in fine, in ara crucis pro generis humani redemptione.

1. Reg. 1. 2. Anna Samuelis mater quondam sterilis, cùm precibus à Deo impetrasset illum filium, obtulit eum in domo domini, dedicando eum diuino seruitio, & simul vitulum in sacrificium offerendo.

PROPHETIÆ.

Malac. 3 1. *ECce mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quaritis, & angelus testamenti quem vos vultis.*

Ps. 47. 2. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.*

Ps. 97. 3. *Notum fecit Dominus salutare suum ante conspectum gentium reuelauit iustitiã suam.*

Prou. 10. 4. *Desiderium suum iustis dabitur.*

DOCV-

DOCVMENTA.

1. B. Virgo subijciendo se purificationis legi, non modo nihil incommodauit suæ puritati & sanctitati, sed eã magis hoc humilitatis actu illustrauit; exemplumque præclarum reliquit omnibus hominibus. Religiosis & spiritualibus; ne putent sancta mortificandi & humiliandi se consuetudine, bonam eorum existimationem imminui, sed potius augeri. Eiusmodi enim exercitijs virtus ipsa conseruatur.

2. Christus in sua præsentatione voluit sibi offerri par columbarum, quę erat oblatio pauperum; Dominus in omnibus suis actionibus se humiliat, & minor vult videri, quàm sit, idque ad comprimendam nostram superbiam, qui semper aspiramus ad altiora, & in omnibus rebus volumus esse singulares, & maiores, quàm simus, videri.

3. Simeon magno desiderio aduentum Saluatoris expectauit, non tam pro sua, quàm populi totius consolatione, & ideò gratiam obtinuit eum videndi. Tunc desideria nostra, & preces magis sunt meritoriæ, & efficaciores ad impetranda à DEO, quæ volumus, quo amplius se extendunt ad bona, non tam pro nostra, quàm aliena salute impetranda.

4. Dum Euangelista, postquam dixit Simeonem fuisse hominem iustum & timoratum, adiungit Spiritum S. in eo fuisse, non obscure indicat, gratiam Spiritus sancti in eorum potissimum cordibus sedem suam figere, qui iustitiam & sanctum Dei timorem conseruant.

5. *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, inquit Simeon, *secundum verbum tuum*

in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Beati, qui non alia de caussa optant frui vsura huius vitæ, quam ob gloriam Christi, & salutem proximi. Talibus enim, vt viuere Christus est, sic mori lucrum, quia cũ eo tendunt ad perpetuam felicitatem.

6. *Et tuam ipsius animam*, inquit Simeon, ad B. Virginem, *pertransibit gladius* doloris propter ipsum. Tam vtilis & salutaris est tribulatio, vt eam Christus omnibus consolationibus & gaudijs; quas sua delecta mater de eo habuit, intermiscuerit. Quare in magno errore versantur, qui omnes afflictiones execrantur, omnesque huius vitæ labores fugiunt, & insectandis voluptatibus, & quiete omnem felicitatem constituunt.

7. Anna prophetissa multis annis in oratione perseuerando, digna effecta est, quæ videret Dominum. Sic non arbitramur gratiam aut consolationem aliquam singularem nos a Deo consecuturos, nisi constanter in obsecrationibus perseueremus.

8. Anna frequentando templum, meruit consolari conspectu Saluatoris. Sancta res est, frequentare Ecclesiam: multa enim beneficia spiritualia, & gratias communicare solet Deus in illa, quas non communicat in plateis, & vijs publicis, in quibus homines mente vagari solent, & maiores habere peccandi, quam bene agendi occasiones.

9. Anna prophetissa semper erat in tẽplo, seruiens Deo in castitate, in continuis obsecrationibus, & crebris ieiunijs Deus mysteriorum vel cœlestium consolationem suarum non reddit participes homines mundanos & carnales, sed qui omnibus huius mundi voluptа-

ptatibus renunciant, carnem suam mortificāt, & sanctis diuini seruitij officijs se occupant.

MEDITATIO IX.
DE FVGA IN AEGYPTVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Herodes volens Iesum interficere, multos pueros occidi curauit.* Matt. 2.

II. *Ioseph nocte cum puero & matre in AEgyptum fugit; ibique hæsit, vsque ad obitum Herodis.*

III. *Quo defuncto monuit denuo Iosephum Angelus, vt rediret in Iudæam. Sed audito Archelaum ibi regnare, secessit in Nazareth. Vnde Nazarænus dictus est.*

FIGVRÆ.

1. IAcob persecutionem passus ab Esau, fugit, & peregrinatum abijt in Mesopotamiam, donec furor & indignatio fratris sui requiesceret. Gen. 27.

2. Moyses, à Pharaone ad cędē quæsitus, fugit in terram Madian. Pharao timens Hebræos mandauit obstetricibus, vt omnes infantes masculos Hebræorū mox post partum interficerent. Exod. 2. Exod. 1.

4. Reg. 11 3. At talia ex cupiditate regnandi curauit occidi omnes filios stirpis regię; solus autem Ioas minor filius regis, saluus euasit, quem Iosaba soror regis absconderat, vsque ad annum ætatis septimum.

Exod. 4. 4. Dixit Dominus ad Moysen. Vade & reuertere in AEgyptum, mortui enim sunt omnes, qui quærebant animam tuam.

PROPHETIÆ.

Esa. 19. 1. *ECce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur simulachra Aegypti à facie eius.*

Esa. 29. 2. *Et cognoscetur Dominus ab AEgypto, & cognoscent AEgyptij domum in die illa.*

Hier. 31. 3. *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus & fletus Rachel, plorantis filios suos, & nolentis consolari super eos, quia non sunt.*

Ose. 11. 4. *Ex Aegypto vocaui filium meum.*

DOCVMENTA.

1. IOSEPH monitus ab Angelo de fuga in Ægyptum, licet res adhuc longius abesset à periculo, mox nulla interposita mora nocte surrexit, & cum Matre ac puero in viam se dedit. Quo in facto religiosi præclarum

rum exemplum habent & promptitudinis, quam debent ostendere in perficiendis Superiorum suorum mandatis, & simplicitatis iudicij, ne velint se occupare in dijudicanda superiorum voluntate, recténe, an secus, hoc vel illud mandarint.

2. Christus simulatque natus est cœpit pati persecutiones & exilia. Vnde discimus, nos cõuenienter dicto sapientis, ab initio vitæ nostræ debere paratos esse ad tentationem; nec turbari, si quando variis afflictionibus agitemur; scientes inseparabilem virtutum comitem esse tribulationes. *Eccl. 2.*

3. Christus ab Herode persecutus fugit in Ægyptum, vt daret nobis exemplum non resistendi persecutionibus, aut vindictam de ijs sumendi: Debemus enim potius eorũ persecutiones patienter tolerare; & furori eorum cedere, imò pro eis, vt nos Christus ipse docuit orare.

4. Christus caput nostrum & pastor fugit persecutiones Herodis, non quod timeret, sed vt exemplum Prælatis & Pastoribus daret fugiendi persecutiones, si quando eorum salus est Ecclesiæ necessaria, & subditi ex eorum absentia nullum patiantur detrimentum; id enim & Dominus ipse Apostolis consuluit.

5. Fuga quoque Christi in Ægyptum significat quemadmodum homo iustus à periculo peccati, confugere debeat ad statum pœnitentiæ, in quo perseuerandum ei est vsque ad obitum Herodis, hoc est, donec cessent impugnationes inimici, & affectus animi sint mortificati. *Matt. 10.*

6. Christus ab exordio vitæ vsque ad mortem continenter passus est persecutiones, sic Christianus, qui vult imitari Christum, cogi-

tare debet, totam vitam suam debere esse cõtinuam tentationem, secundùm dictum patientissimi Iob. *Tentatio est vita hominis super terram.* Et Apostoli. *Omnes, qui piè viuere volunt in Christo Iesu persecutionem patientur.*

Iob. 7.
1. Tim. 3.

7. Qui opere vel consilio conantur impedire aliquod bonum opus, similes sunt Ægyptijs, qui curarunt occidi omnes infantes populi Israelitici, imò cum Herode persequuntur, Christum vt eum occidant in ipsa natiuitate,

8. Ioseph ex AEgypto reuersus in terram Israhel, etiamsi sciret Deum esse protectorem pueri Iesu, nec quenquam posse ei nocere, tamen metu Archelai Herodis filij, noluit redire in Iudæam. Vnde discimus homines iustos, quantumuis sanctos, & de sua in virtute cõstantia & salute securos, non debere se obijcere periculis, & Deum tentare, sed debere fugere omnes occasiones, quæ eos in periculum peccati aliamve tentationem conijcere possent.

MEDITATIO X.

DE INVENTIONE PVERI IN TEMPLO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Iesus annorum 12. profectus est Ierosolymam: cum parentibus secundum consuetudinem festi.*

Reman-

II. *Remansit illic, nesciis parentibus, cum putarent eum esse in comitatu.*

III. *Post triduum inuentus in templo causam quærenti matri cur reremanserit, respondit: Nesciebatis quod in his quæ patris mei sunt oportet me esse? Et descendit cum illis.*

FIGVRÆ.

1. RVben non inuento puero Ioseph, totus animo consternatus dixit: *Puer non comparet, & ego quo ibo?* *Gen. 37.*

2. Mater Tobiæ videns filium suum statuto die non reuersum, metuensque amissum, flebat irremediabilibus lachrymis atque dicebat. *Heu heu me fili mi, lumen oculorum nostrorum, baculis senectutis nostræ, solatiũ vitæ nostræ, & spes posteritatis nostræ, te non debuimus dimittere ire à nobis, cum autem illa consolari non posset, quotidiè exiliens circumspiciebat, & circuibat vias omnes, vt procul videret eum, si fieri posset, venientem.* *Tob. 10.* *Ibid.*

PROPHETIÆ.

1. INdica mihi quem diligit anima mea, *vbi pascas, vbi cubes in meridie?* *Cant. 1.*

2. *Quæsiui eum, & non inueni, vocaui illum, & non respondit mihi.* *Ibid.*

Cant. 3. 3. *Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quaram quem diligit anima mea.*

DOCVMENTA.

1. BEata Virgo quotannis cum puero IESV, secundum mandatum Legis ibat Hierosolymam ad celebrãdum Pascha, Si Christus legis auctor voluit se subijcere legi, quanto magis nos peccatores & serui, debemus nos humiliare, & omnibus eius legibus subijcere. Vbi id quoque monemur, hominem Christianum diebus festis non debere vacare rebus prosanis, ludis, choræis, spectaculis, comessationibus, alijsque mundi vanitatibus, sed frequentare Ecclesias, audire cõciones, diuinis officijs, alijsq; Christianæ pietatis exercitijs interesse.

2. Si Ioseph puerum Iesum tam longo itinere Hierosolymam deduxit ad celebrandum Pascha; non minùs studium & curam adhibere debent parentes in educandis suis filijs, assuefaciendo eos ad pietatem & cultum diuinum, ad obseruanda festa, aliaque virtutis & religionis exercitia.

3. Iesus, neque conscijs, neque consentientibus parentibus remansit in templo, hoc facto indicans, filios cùm peruenerint ad annos discretionis, attigerintque ætatem à Sacris canonibus decretam, posse sine facultate parẽtum, vel etiam contra eorum voluntatem (nisi necessariò eorum opera indigeant) eligere perfectionis statum, & diuino seruitio se dedicare.

4. Si Christus permisit dilectæ matri suæ in tanta afflictione esse, non debemus perturbari.

bari, si Deus aliquando permittat nos aliqua tentatione affligi; id enim non fit, quod nos aut deserat, aut minùs diligat, sed potiùs maioris erga nos amoris signum est, secundùm illud. *Quos amo, arguo & castigo.* Apoc. 3.

5. Iesus in medio Doctorum erat audiens & interrogans illos, non causa discendi; nam erat ipsa sapientia, sed vt nos modum discendi doceret; nempe, vt non pudeat nos ab alijs quærere, quæ non intelligimus: nec velimus potiùs, quod superbi quidam faciunt, hærere in errore, quàm ab alijs doceri. Voluit quoque Dominus hac re exemplum relinquere humilitatis, primò aures præbendo alijs, deinde alios instruere: vt doceret nos magis promptos esse debere ex humilitate ad audiendum, quàm ad docendum. Stultus enim reputatur, qui respondet, antequam audierit.

6. Si sanctissima mater Iesu post adhibitam omnem curam & diligentiam, sine vlla sua culpa destituitur corporali præsentia sui filij, nos qui pleni sumus peccatis, quantam curam & studium adhibere debemus, ne spiritualiter IESVM Dominum nostrum amittamus?

7. Sicut B. Virgo Christum perdidit sine vlla sua culpa; sic solet Dominus nonnunquam se à suis subducere & occultare, non tollendo gratiam, sed suspendendo consolationem, idque ad maius eorum commodum, vt, nimirum in ea quærenda sint ardentiores, & inuentam studiosius custodiant. Vnde quando homo nullum in conscientia remorsum peccati sentiens, nihilominùs se experitur aridum & frigidum in pietatis officijs, non est quod perturbetur, vel animum abijciat,

sed exemplo B. Virginis, maior orandi, aliaque bona opera exercendi studio quærat Dominũ, & sine dubio, si in eo perstiterit, tandem inueniet.

8. Puer IESVS inter amicos & cognatos quæsitus, non est inuentus, sed in templo Dei, vt indicaretur, inter cognatos & amicos carnem & sanguinem non reperiri, sed potius perdi Christũ. Vnde qui volunt adhærere DEO, & operã dare suę saluti, non multum debent conuersari cum consanguineis, & amicis, imo debent potius fugere, & ab illis se separare: nã vt dicit Propheta Regius. Deus eius animæ speciem & pulchritudinem concupiscit, quæ propter ipsum *obliuiscitur populum suum & domum patris sui.* *Psal. 44.*

6. Christus hoc locò à matre certo quodam modo reprehensus; benignè & humiliter respondit; sed in nuptijs rogatus à matre vt faceret miraculum, respondit seuerius. Vnde discimus reprehensiones humiliter esse suscipiendas, quicquid autem ad laudem & honorem nostrum pertinet; durioribus verbis respuendum.

MEDITATIO XI.

DE VITA CHRISTI AB ANNO 12. AD 30.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Luc. 2. I. IESV *venit cum eis in Nazareth, & erat subditus illis.*

2. Et

II. *Et Mater eius conſeruabat omnia in corde ſuo.*

III. *Et* IESVS *proficiebat ſapientia ætate & gratia apud* DEVM *& homines.* Videturq; vnà cum Ioſepho artem fabrilem exercuiſſe; vt colligitur: *Nonne hic eſt faber?* MARC. 6.

FIGVRÆ.

1. IOSEPH in Ægypto manſit vſque ad annum ætatis trigeſimum incognitus. Anno autem trigeſimo à Pharaone toti Ægypto præpoſitus eſt. *Gen.* 41.

2. Moyſes, antequam mandato Dei abijſſet ad liberandum populum Iſrael à ſeruitute Ægyptiaca, multis annis occultus habitauit in terra Madian. *Exod.* 3. & 7.

3. Dauid triginta annis partim occultus fuit, partim profugus. Anno autem trigeſimo ætatis ad regnum vocatus, cæpit regere populum Dei. 2. *Reg.* 5.

4. Puer Samuel in Silo ſeruiens Deo in templo, vt dicit ſcriptura, creſcebat & proficiebat, placens Deo & hominibus. 1. *Reg.* 3.

PROPHETIÆ.

1. *Sicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum.* *Eſai.* 54.

2. *Verè tu es Deus absconditus: Deus Israel Saluator.*

DOCVMENTA.

1. IESVS voluit subiectus esse parentibus pro nostra instructione, & superbię nostræ cōfusione, qui sæpenumerò refugimus esse subiecti superioribus nostris. Itaque si Christus, mundi Imperator, cui cœli, omnesque res aliæ sunt subiectæ, voluit se submittere parētibus multo se inferioribus, nos, qui sumus serui, non debemus dedignari subijcere nos superioribus nostris.

2. Si Prælati considerent, Ioseph hum tenuisse locum prælati, Christum verò subditi, nullam habebunt occasionem superbiæ, ex eo quod alios dignitate & auctoritate præcedant. Nam sæpè contingit subditos maioris esse meriti, quàm prælatos: & qui subditi sunt aliorum in hac vita, in altera fieri eorundem in æternum superiores.

3. B. Virgo conseruabat omnia verba dicta de filio, conferens ea in corde suo; Quo exemplo discimus quemadmodum Verbum Dei audiēdum sit; & quo fructu: nempe, recipiendo illud in corde, & ibidem conseruando & considerando, non autem faciendo more illorum, de quibus vulgò dicitur, quòd verbum Dei vna aure excipiant, altera elabi sinant.

4. IESVS crescens ætate, simul crescebat in sapiētia & gratia apud Deum & homines. Qui sunt veri Christi imitatores, non debent committere, vt vitæ tempus sine fructu abeat, sed operam dare, vt in spiritu proficiant, & de virtute in virtutem crescant; crescendo simul in gratia, tum apud Deum, per obseruationem præce-

præceptorum, tum apud homines per bonæ conuersationis exemplum.

5. Christus, dum esset puer, crescebat ætate, virtute & gratia. Meritò hic pudeant multi Christiani, qui filios suos non secundum formam à Christo suo exemplo præscriptam, sed secundùm peruersam huius mundi disciplinam educant, & dedecori sibi esse putant, cum filij proficiunt in timore Dei, cultu pietatis & studio virtutum christianarum: gaudent autem, quando vident eos in carnis prudentia, & mundi nequitia aliquos facere progressus.

6. Christus, vt scriptum est, cœpit primum facere, deinde docere. Nam triginta annos primò exercuit se in obedientia, patientia, & oratione. Deinde verò tribus annis vltimis prædicauit, & docuit alios, vt intelligat prædicator Euangelicus, si verbo alijs prodesse velit, sibi vitæ integritatem, & bonorum operum exercitium primùm curandum. Nam non facilè alios docebit verbo, quod nō ipse prius præstet suo exemplo.

MEDITATIO XII.

DE PRAEDICATIONE S. IOANNIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Anno 15. Tiberij venit Ioannes è deserto ad Iordanem, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, dicens: appropinquauit regnum Cœlorum.* *Matt. 3. Marc. 1. Luc. 3.*

2. Ioan-

II. *Ioannes habebat vestimentum de pilis Camelorum, cibusq; eius erat locusta, & mel silvestre.*

III. *Dans omnibus præcepta, cum putaretur esse Messias, dixit: Veniet fortior me, cuius non sum dignus, vt soluam corrigiam calceamenti eius. Ille vos baptizabit Spiritu sancto.*

FIGVRÆ.

Gen. 41. PHARAO Rex iussit ante currum regium Ioſephi præconem clamare, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti.

PROPHETIÆ.

Mal. 3. 1. ECCE *ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem tuam.*

Psal. 131 2. *Paraui lucernam Christo meo.*

Esa. 40. 3. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri: omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prauа in directa, & aspera in vias planas.*

DOCVMENTA.

1. IOannes adhuc puer ingressus desertum, in eo austeriſſimam vitam vsque ad trigesimum ætatis annum constanter egit; in confu-

confusionem nostram, qui ingredimur quidem interdum virtutis viam, sed vix biduum aut triduum in ea perseueramus, subitò defatigamur, & minima occurrente difficultate tergiuersamur.

2. Verisimile est, Ioannem si arbitrij & solatij sui rationem habere voluisset, potius electurum fuisse tranquillum solicitudinis suæ statum, in quo familiaritate Dei, & angelorum fruebatur, quam in publicum proditurum, vbi sciebat multa se magno animi dolore conspecturum legi diuinæ repugnantia: verùm simulatque diuina reuelatione cognouit se euocari ad auxilium proximorum, consolationem propriam Dei voluntati posthabuit. Vnde discimus, sæpè esse præclarum virtutis opus, deserta contemplationis & propriæ deuotionis quiete, vacare operibus misericordiæ; & saluti proximorum curandæ se totum impendere.

3. Deus Ioannem ex deserto ad prædicationis officium euocauit: vt intelligeremus eos, quibus incumbit officium alijs prædicandi, debere esse amicos pœnitentiæ, & recollectionis: neque enim alijs facilè auctores esse poterunt sectandæ virtutis, vel amore diuino corda eorum accendere, si ipsi tepidi sint, & sanctæ vitæ exemplo non præeant alijs.

4. Si Sanctus Ioannes in vtero matris sanctificatus, quo inter natos mulierum maior non fuit, tanta seueritate tractauit corpus suum; quanto minùs nos, qui sumus prauis inclinationibus & habitibus peccatorū pleni, debemus molliter tractare carnē nostrā, sed potius durè & asperè, ne pugnet aduersus spiritū.

5. Ioannes, idem est, quod, Gratia. Veri ergo filij sunt gratiæ, qui ad imitationem Ioannis

nis se separant à mundo, & carnem suam mortificant, vt docet Apostolus. *Qui Christi*
Gal. 5. *sunt*, inquit, *carnem suam crucifixerunt cũ vitijs & concupiscentijs.*

6. Ioannes sua prædicatione in deserto, formam quandam & exemplar descripsit prædicatoris Euangelici, & primò quidem, vt, quod ad doctrinam attinet, annuntiet pœnitẽtiam, reuocando homines à peccatis, & viam salutis indicando. Secundò, vt sit continens & castus, quod designat Zona pellicea, qua Ioannes succinxerat suos lumbos. Tertiò, vt austeritate vitæ cum Ioanne alijs sit bono exemplo. Vnde &
1. Cor. 9. Apostolus de se scribit: *Castigo corpus meũ, & in seruitutem redigo.*

7. Ioannes non solùm ad pœnitentiam, sed etiam ad fructus dignos pœnitẽtiæ faciendos homines adhortabatur. Quare monemur, non satis esse ad auertendam Dei iram à peccatis abstinere, sed præterea fructus dignos pœnitentiæ faciendos, hoc est, mala opera, compensanda esse totidem bonis & satisfactorijs operibus. Nam ad curandum vulnus, non sufficit sagittam vel ferrum extraxisse, sed opus est porrò applicare medicinam, secundum illud.
Psal. 33. *Recede à malo; & fac bonum.*
1. Petr. 3. 8. Ioannes hortabatur populum, vt rectas faceret semitas in deserto. Vnde docemur vias breues & compendiarias, quibus citius peruenitur ad patriam cælestem, rectius per solitudinem, quàm in mundo hærendo, hoc est, separãdo se à sæculi huius tumultibus, instituí. Hortatur quoque vt dirigamus vias nostras: nam turpe & præposterum est, hominem statura corporis esse erectum in cœlum, anima verò depressum & incuruatum in terram; oculos

los corporis sursum, animæ verò affectus deorsum reflectere.

9. Antequam dies ille adueniat, quo à Domino frumenti instar in area ventilabimur, bene ipsi nos examinemus, verene triticum simus, an palea, id est, an sint in nobis fructus pœnitentiæ, & bonorum operum, & non nomen tãtùm hominis Christiani; sine operibus præferamus procuremusque dum tempus habemus opportunum, ita agendi causam nostram, ne ad extremum, vt paleæ in ignem æternum abijciamur.

MEDITATIO XIII.

DE BAPTISMO CHRISTI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Matri valedicens, ad Ioannem baptizandus in Iordane profectus est.* *Matt. 3. Marc. 1. Luc. 3.*

II. IESVS *à Ioanne licet inuito ac dicente: Ego à te debeo baptizari: baptizatur, dicens: Sine modò. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam.*

III. *Spiritus sanctus de cœlo descendit, & Pater attestatus est:* Hic est Filius me° dilect° in quo mihi cõplacui.

FIGVRÆ.

POPVLO Israelitico transeunte Iordanem, vt ingrederetur terram pro-

promissionis, arca Dei præcedebat omnes, & primò aquam fluminis intrauit, quæ diuisæ sunt, donec totus populus transiuisset incolumis.

PROPHETIÆ.

Esa. 11. 1. *Requieuit super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus.*

Psal. 28. 2. *Vox Domini super aquas. Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas.*

3. *Ecce seruus meus, suscipiam eum, electus meus complacuit sibi in illo anima mea, dedi Spiritum meum super eum.*

DOCVMENTA.

1. CHristus, vti verus humilitatis magister, voluit in mundo haberi abiectus & cõtemptus, dum miscet se peccatorum turbæ; & vult à Ioanne baptizari, & nos, licet peccatis obnoxij, volumus videri honore & gloria digni, atque si aliquid boni in nobis esset, & è contrario defectus, qui in nobis inueniuntur, magno studio occultamus.

2. Christus in omnibus actionibus suis nũquam se demonstrauit esse eximium & singularem quendam hominem, sed cæteris similem; quare & voluit circũcidi, in templo præsentari, cum alijs à Ioanne baptizari. Sic serui Dei alieni esse debent à vitio singularitatis, non solùm in rebus ad corpus, sed etiam ad mentis deuotionem, & actiones spiritales pertinentibus; ac proinde conari, vt accommodent, quoad fieri potest, in commune se omnibus, nec velint videri aut singulares, aut pecu-

peculiaria præ alijs priuilegia sibi vendicare'

3. Cùm Christus à Ioanne postularet baptizari, non ante acquieuit, quàm illi à Christo mandaretur. Vnde discimus, dignitates & prælaturas Ecclesiasticas, maximè quæ animarum curam adiunctam habent, non esse temerè acceptandas, multo autem minus ambiendas vel procurandas. Sed dum offeruntur recusandas, & fugiendas, nec accipiendas, nisi ab ijs qui auctoritatẽ habent, nobis imperentur.

4. Christus dixit, complementum esse iustitiæ; si ipse se submitteret Ioanni, hoc est, creator creaturæ, quomodo ergo gloriari iustitiæ nomine possunt, qui non solum non volunt se alijs subijcere, verùm etiam contemnunt suos inferiores, & vix submittere, se volunt suis superioribus?

5. Christo post baptismum susceptum orãte apertum est cœlum. Si volumus preces nostras esse Deo gratas & mèritorias, lauemus prius conscientias, & mundemus animas nostras ab omni macula peccati. Vbi & illud discimus, post receptam gratiam, adhuc frequentem orationem necessariam esse ad eam conseruandam.

6. Christus submittens se Ioannis manibus, meruit honorari voce Patris, & à Spiritu sancto, qui visibiliter in eum descendit. Si digni esse volumus honore & gloria, quam Deus in Angelorum præsentia seruis suis communicabit in cœlis, humiliemus nos in præsenti vita, & quantum possumus demittamus.

7. Apparuit Spiritus sanctus super Christum in forma columbæ: vt indicaret gratiam Spiritus sancti illabi illis, qui habent proprietates columbæ: nam primo vtitur gemitu loco cantus; Secundo caret felle, Tertio non

ferit

ferit rostro. Quartò non habet vngues recuruos. Quintò educat pullos alienos, vt proprios. Sic homo perfectus, debet vti gemitu, & lachrymis dolorem de peccatis testari. Secundo debet esse mitis, expers omnis iracundiæ & odij erga proximum. Tertiò, non lingua offendere quenquam, aut famam alicuius detrahere. Quartò, nec vsurpare aut retinere alienum. Denique debet caritatis & misericordiæ affectu necessitatibus proximi, æquè atque suis succurrere.

MEDITATIO XIV.

DE TENTATIONE CHISTI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 4. Mart. 1. Luc. 4. I. *Christus post baptismum, plenus Spiritu sancto in desertum profectus, 40. diebus & noctibus ieiunauit.*

II. *Tertio à Diabolo est tentatus, scilicet in deserto, in pinnaculo templi, & in monte excelso, sed hostem vicit.*

III. *Angeli accesserũt, & ministrabãt ei.*

FIGVRÆ.

Exod. 34 1. MOYSES ante datam populo Israelitico legem in monte cum Deo quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunus permansit.

2. Da-

2. Dauid solus cum superbo gigante Goliath certamen inijt, eumque vicit & occidit. 1 Reg. 17

3. Dœmon in paradiso terrestri tentauit Adamum & Euam vitio gulæ & ambitionis. Genes. 3.

PROPHETIÆ.

1. *IPSE conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Genes. 3.

2. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Psal. 90.

3. *Tu confregisti capita draconis.* Psal. 73.

DOCVMENTA.

1. CHRISTVS simulatque fuit baptizatus, & Spiritus S. in eum descendit, & desertum ingressus est, tentare eum cœpit diabolus; vt intelligamus, quamprimùm quis in filium Dei adoptatur, & per veram pœnitẽtiam renuntiat mundo, ac professionem facit sequẽdi Christum, mox in eum in urgere inimicum, & grauioribus tentationibus impugnare, spe eundem, dum adhuc in virtutis via imbecillis est, vincendi & à capto cursu reuocandi, conuenienter illi dicto Sapientis. *Fili accedens ad seruitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem.* Eccl. 2.

2. Christus primò baptizatus est, secundò adijt in desertũ, tertiò ieiunauit, quartò fuit tentatus. Hæc quatuor habere debet, quicunque tendit ad perfectionem, vt primò animam suam purget à peccatis, secundò renuncet illecebris huius mundi, tertiò ieiunijs

alijsq;

alijsque pœnitentiæ exercitijs carnem suam mortificet. Post remò tentationibus dæmonis fortiter resistat.

3. Pœnitentia vt sit vera & fructuosa, Primò debet esse pura; hoc est, vt homo non sit in peccato, quod Christus significauit suo exemplo, dum eam post baptismum egit. Secundò debet esse aspera vt domet carnem. Sicut Christus eam non egit in loco amœno, sed deserto. Tertio debet esse directa, id est, non excedere modum, sicut Christus non egit eam proprio indicio, sed ductus à Spiritu sancto.

1. *Petr. 5.* 4. Christus ieiunauit antequam à dæmone tentaretur, vt discamus, sobrietate vincendas tentationes, quod consulit quoque Apostolus: nam inimicus non alijs armis oppugnat nos, quàm propriæ carnis nostræ, quando non est bene mortificata.

5. Spiritus sanctus simul atque in Christum descendit, eundem impulit in desertum, vnde discimus eos religiosos, qui solitudinem non amant, sed carni & sanguini adhærent, & consuetudine hominum huius sæculi delectantur, nec omnem creaturarum amorem exuisse, neque à Spiritu sancto duci, nec perfecte eius gratiam recepisse.

6. Christus noluit, secundùm consilium dæmonis, lapides conuertere in panes: vt doceret nos, nunquam credendum inimico, nec vlla in re, & si bona & vtilis in speciem appareat, ab eo suggesta, acquiescendum: nam sub bono ab eo proposito semper latitat venenum.

7. Tunc dæmon consulit, vt ex lapidibus fiant panes, quando prætextu discretionis conatur nobis persuadere; vt relicta asperitate pœnitentiæ, & austeritate vitæ, indulgeamus voluptatibus carnis. 8. Dæ

8. Dæmon primò tentauit Christum peccato gulæ vt intelligeremus, ad vincendas quaslibet tentationes, primùm expugnandam gulam: nam, vt docet Beda, nisi primò gulam refrenemus frustrà alijs vitijs extirpandis operam dederimus.

9. Christus noluit secundùm consilium dæmonis se de templò præcipitem dare; vt nobis exemplum daret, non quærendi auxilia supernaturalia & extraordinaria, quando alia ratione, consilio vel auxilio humano res conficere possumus. Nam, vt dicit S. Augustin. non cauere periculum, dum possumus, potius esse, tentare Deum, quàm in illum sperare.

10. Dæmon duxit Christum in pinnaculum templi, vt inde præcipitaretur. O quot homines in dies extollit Dæmon, & deportat ad pinnacula Prælaturarũ & dignitatum mundi, vt inde lapsu grauiore ruant! O quanto securius est versari in vallibus statuum humilium: vbi vel nullus, vel cum exiguo periculo coniunctus est lapsus.

11. Cùm dæmon Christo demonstraret omnia regna mundi, eorumque gloriam, asserebat omnia sua esse, seque ei daturum, si cadens ipsum adoraret. Qui volunt fieri magni & celebres in hoc sæculo, & magnas opes congerere, diligenter considerent quid agãt: nam hæc difficulter, nisi adorato prius dæmone, obtineri solent.

12. Cùm dæmon Christo suaderet, vt de tẽplo se mitteret deorsum, Christus mansuetè respondit; sed cùm postularet se supplicem adorari, illum à se reiecit, vt discamus, & iniurias nobis illatas omni submissione esse tolerandas, illatas autem Deo non solum non ferendas, sed ne audiendas quidem; Nam ad

iniurias proprias patientem esse laudabile est, sed ad iniurias diuinas patientem esse impiũ est & detestabile.

13. Dæmon à Christo reiectus & fugatus, discessit, vt loquitur Euangelista, *ad tempus*, Sæpenumerò Dæmon, cùm prævalere nequit contra nos, discedit fingens se victum, vt postea, quando putamus nos securos, inopinato incursu facilius nos vincat. Quare seruus Dei in hac re debet esse valde cautus, & ita vnam vincere tentationem, vt semper à Dęmone inueniatur paratus ad vincendas alias.

MEDITATIO XV.

DE VOCATIONE QVINQVE APOSTOLORVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Ioan. 1. I. *S. Andreas cum Socio, audiens S. Ioannem dicentem de Christo: Ecce Agnus Dei, secuti sunt eum, eoque die apud ipsum manserunt.*

II. *Postridiè deduxit fratrem suum Petrum ad* IESVM, *qui eo viso statim dixit: Tu es Simon, filius Iona, vocaberis Cephas.*

III. *Idem* IESVS *iturus in Galilæam dixit* Philippo: *sequere me. Is Nathanaelem secum deduxit.*

PRO-

PROPHETIÆ.

1. *INnocentes & recti adhæserunt mihi.* *Psal. 24.*

2. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* *Prou. 15.*

3. *Si videris senatum: euigila ad eum & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.* *Eccle. 6.*

DOCVMENTA.

1. DE Ioanne scribitur, primò, quòd stabat. Secundò, quòd respexerit Iesum ambulantẽ. Tertiò, quòd dixerit, Ecce Agnus Dei. Sic prædicator Euangelicus, primò debet stare, id est, esse constans in verbi diuini prædicatione. Secundò debet per meditationes diligenter totum vitæ Christi progressum considerare. Tertiò debet populo hanc Christi vitam, & exempla ad imitandum proponere & enuntiare.

2. Christus videns duos illos discipulos sequentes se, conuertit se ad illos. Hinc magnã consolationem capere possunt ij; qui relicto mundo incipiunt sequi Christum: nec debent, vel ob virium suarum imbecillitatem, vel ob viæ difficultatem vel asperitatem, quam ingressi sunt, animum despondere. Nam, vt primùm quis incipit tantum bona voluntate sequi Christum, ille mox misericordiæ suæ respectu ad eum conuersus; addit animũ & fiduciam, viresq; suppeditat perseuerãdi in finem.

3. Hi duo discipuli etsi adueſperascceret, comitati sunt Christum, vt audirent eius doctrinam. Christus quoq; non recusauit eos in comitatum recipere, & docere. Semper est tempus faciendi benè. Semper est opportunum adire Christum. Qui in iuuentute non adijt

non negligat saltem adire in senectute. Semper enim inueniet Dominum paratum ad eum recipiendum, & salutem ei impertiendum.

4. Vt Christus nulla re melius discipulis illis sui notitiam impressit, & suæ doctrinæ capaces reddidit, quàm cùm eis dixit. *Venite, & videte*, permisitque vt toto die secum manerent: sic homines mundani & carnales, neque credere, neque capere possunt, quantum bonum sit seruire Deo, & quanta conscientiæ pace, quantaque spiritus voluptate fruantur, qui in religione se Deo dedicârunt, nisi experientia ipsa conentur probare.

5. Andreas conuersus, mox quæsiuit Simonem fratrem, eumque ad Christum adduxit. O quàm multi hodie secus faciunt, qui licet professione Christiani, non solùm non student parentes & amicos suos adducere ad Christum: sed quando animaduertunt eos ad deserendum sæculum, & sectandam perfectionem Christianam propensos, conantur eos omnibus artibus & modis à bono proposito absterrere!

6. Dixit Christus Nathanaeli? *Quando eras sub ficu, vidi te.* Magnoperè pudefieri & formidare deberet peccator, sciens, se quoties peccat, licet in occultissimo loco, in conspectu versari Dei, qui eum aliquando est iudicaturus. E contrà magna consolatione affici debet homo iustus, sciens, non solùm desideria sua & bona opera explorata esse Deo, olim remuneranda, verùm etiam labores, afflictiones, & tentationes, quas in dies patitur, aliquando coronandas.

MEDI-

MEDITATIO XVI.

DE PRIMO CHRISTI MIRACVLO IN NVPTIIS FACTO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Inuitatus fuit Christus cum discipulis suis ad nuptias; eratque ibi Mater eius.* Ioan. 2.

II. *Deficiente vino Mater eum monuit: Vinum non habent: simulq; ministris præcepit: Quodcunq; dixerit facite.*

III. *Aquam in Vinum Dominus conuertit; & crediderunt in eum discipuli eius.*

FIGVRAE.

DEVS primas nuptias instituit in paradiso terrestri, in quibus post creationem vniuersi primum miraculum fecit, conuertendo costam Adami in mulierem, quam ipsi Adamo tradidit in Sponsam. Gen. 2.

DOCVMENTA.

1. SI B. Virgo tam est misericors, & tam prōpta ad subleuandam alienam inopiam, vt antequam rogaretur, nec vrgente ad-

huc vlla neceſſitate præoccupauerit precibus Filium pro vini defectu: quanta fiducia freti eſſe debemus de certo ab ea auxilio in noſtris neceſſitatibus ſpiritualibus obtinendo, ſi in orationibus noſtris deuotè ad eā refugiamus?

2. In nuptijs Sanctorum, in quibus Chriſtus cum caſtiſſima matre ſua inuenitur, deficit vinum, vt indicetur, ijs in nuptijs minimè inueniri Chriſtum & ſanctiſſimam eius matrē, vbi non deficit, ſed abundat vinum inordinatæ lætitiæ, & illecebrarum carnalium, quæ animas inebriant, & obliuionē Dei inducunt.

3. Chriſtus matri miraculum petenti durum reſpōſum dedit, indicans in rebus ad cultum diuinum, & gloriam Dei ſpectantibus nō eſſe ducendam Patris & matris rationem, neque plus debere nos eſſe de parentibus noſtris ſollicitos, quàm patiatur ſtatus noſtræ profeſſionis.

4. B. Virgo, reſponſo duro non deterrita, miniſtris commendat, vt facerent quicquid Chriſtus illis imperaſſet, vnde diſcimus diuinæ benignitati nunquā diffidendum. Et quāuis dū in precibus aliquid ab eo poſtulamus, videatur nobis reſpondere durius, nec annuere ſtatim poſtulatis, tamen cum B. Virgine debemus bene ſperare, & cum fiducia eius miſericordiam expectare.

5. Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, Cana, interpretatur, zelus, & ſignificat feruorem caritatis. Galilæa interpretatur tranſmigratio, & tranſitus. Illi ergo digni ſunt, vt aſſideant Chriſto in nuptijs, qui diuini amoris zelo; & caritatis ardore flagrātes, abiectis malis operibus; à vitijs ad virtutes, à ſtatu culpæ ad gratiam, ab amore rerum terrenarum ad deſiderium cæleſtium tranſmigrarunt.

6. Ad

6. Ad B. Virginis preces hydriæ impletæ sunt aqua, quam postea Dominus conuertit in vinum. O quoties clementissima Dei mater compatiens peccatorum miserię precibus suis impetrat, vt dura eorum corda impleantur amarissimis contritionis lachrymis, quas postea Dominus, sublata culpa, & collata gratia, in suauissimum caritatis, diuinarumque consolationis vinum conuertit!

7. *Omnis homo*, inquit sponsus, *primum bonum vinum ponit, deinde quod deterius est*. Hic mundus defraudator, est peruersus ille hospes, qui suis amatoribus initio præbet bonum vinum, dum eis omnes huius vitæ voluptates, amores & delitias exhibet, quæ tandem terminantur in æternam amaritudinem, sicut scriptum est. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. Contra, Christus est, qui bonum vinum reseruat in finem. Nam in hac vita seruis suis immittit multas afflictiones & tribulationes secundùm illud, *Arcta est via quæ ducit ad vitam*, gaudia verò & cõsolationes reseruat in alteram, vbi illis perfruentur in æternum.

Iob. 21.

Matt. 7.

MEDITATIO XVII.

DE FVGATIS E TEMPLO NEGOTIATORIBVS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Eiecit de templo vendentes & ementes: facto de funiculis flagello.* *Ioan. 2.*

II. *Nummulariorum æs & mensas subuertit.*

III. *Vendentibus columbas mansuetè inquit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.*

PROPHETIÆ.

Psal.29. 1. *DOmum tuam decet sanctitudo Domine.*

Psal.68. 2. *Zelus domus tuæ comedit me.*

Iere.23. 3. *Propheta & Sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum.*

Ose. 9. 4. *Propter malitiam adinuentionum eorum, de domo mea eijciam eos.*

Zac. vl. 5. *Et non erit mercator in domo Domini exercituum in die illo.*

DOCVMENTA.

1. INgressus est Iesus in templum. Deus spiritualiter quotidiè ingreditur Ecclesiam, & considerat, vt quisque se gerat, & conuersetur in illa; & ideo caueamus ne inueniat nos deditos iocis & nugis, vel inuolutos odijs, cupiditatibus & actionibus illicitis: ne ex improuiso deprehensi, ab eo flagellis à domo sua exterminemur.

Prou. 5. 2. Christus fecit flagellum ex funiculis. Funiculi designant peccata, quibus homo quasi funibus constringitur & ligatur, vt intelligamus Dominum ex ipsis peccatis nostris sume-

re ca-

re castigandi materiam eo quòd peccator, dum perseuerando in malo, adiungit peccata peccatis, non aliud quàm multiplices funiculos, è quibus conficiatur flagellum, quo à Domino postea castigetur.

3. Per oues à Christo è templo eiectas significantur, qui specie pietatis vel sanctitatis studẽt alios decipere, vel hominũ laudes aucupantur.

4. Boues, quæ sunt animalia laboriosa, & seruiunt ad colendam terram, designant Prædicatores, quos tunc Christus expellit è tẽplo suo, quando non ex amore Dei & zelo animarum, sed ob quæstum, aliaque commoda temporalia cælestem doctrinam annuntiant.

5. Columbas vendunt, & arguuntur à Christo illi, qui receptam Spiritus sancti gratiam non gratis, vti deberent, sed pro mercede & pecunijs communicant alijs: atque etiam non secundùm hominum merita, sed secundùm fauorem & gratiam humanam.

6. Illi mutuò dant pecunias cum vsura in Ecclesia, qui Deo non integrè seruiunt, sed simul aliqua ex parte mundo & rebus terrenis: & qui non purè in suis rebus quærunt Christum eiusque gloriam, verùm etiam proprium suũ commodum & honorem.

7. Christus malos negotiatores è templo eiecit non verbis solùm, sed etiam factis, ad informandos Prælatos & omnes Ecclesiæ Rectores, quam rationem in corrigendis subditis tenere debeant, nempe vt quando paterna admonitionis suauitas ad eos emendandos non sufficit, adhibeatur animaduersionis seueritas.

8. *Zelus domus tuæ comedit me*, inquit Propheta in persona Christi. Si ergo actiones Christi, sunt nostra instructio, merito debet quiuis Christianus eundem zelum habere erga. *Psal. 68*

proximos, qui sunt domus Dei. Vndè cùm videmus fratrem nostrum currere ad vanos ludos, ad congressus lasciuos, aliaque proximorum offendicula, similiter cùm audimus blasphemantem, murmurantem, conuitijs alios lacessentem, debemus eum admonere, absterrere, reprehēdere, & quatenus possumus à malo reuocare. Si enim fuerimus frigidi, & nobis tantùm, animæque nostræ, neglecto proximo, attenderimus; recordemur illius serui pigri, qui talentum suum abscōderat. Is enim neque accusatus, neque punitus fuit, quòd talentum abiecisset, sed quòd otiosus eo vti noluisset.

Mat. 25.

MEDITATIO XVIII.

DE COLLOQVIO DOMINI CVM SAMARITANA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Ioan. 4. I. *Discipulis in Ciuitatem Sichar procibo euntibus,* IESVS *fatigatus, apud puteum sedens petijt à Samaritana potum.*

II. *Mulieri miranti dixit: Si scires donum Dei petijsses à me aquam viuam, dixitque ei se esse Messiam, significans Patrem esse, qui quærat adoratores in spiritu & veritate.*

III. *Discipulis monentibus, vt manducaret,*

ret, respondit: Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris. Rogatusq; à Viris Vrbis Sichar ibidem hæsit, per triduum ex illisq; multi crediderunt in eum.

FIGVRAE.

1. SEruus Abrahami in Mesopotamiam ad accipiendam vxorem filio Isaac Domino suo profectus, cùm peruenisset ad puteum aquæ vrbi vicinum, venit Rebecca cum hydria ad accipiendam aquã, à qua pauxillum aquæ sibi præberi petijt ad bibendum. *Gen. 24.*

2. Iacob peregrinatus in Mesopotamiam inuenit Rachelem, quæ postea eius fuit sponsa, iuxta puteum aquæ, cum qua locutus est, & indicauit se esse eius cognatum. *Gen. 29.*

3. Elias profectus in terram Sidoniorum, sitiens aquam petijt à vidua Sareptana. *3. Reg. 17.*

PROPHETIÆ.

1. *PRæbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* *Esa. 43.*

2. *Inuenerunt, qui non quæsierunt me: ecce eo ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum.* *Esa. 65.*

Esa. 41. 3. *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: Ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam riuos aquarum.*

DOCVMENTA.

1. MVLIER *da mihi bibere.* Sitis Christi est desiderium nostræ iustitiæ & salutis. Tunc ergo Dominus potum postulat à nobis, quãdo internis inspirationibus nos impellit, vt relictis peccatis conuertamur ad se, fontẽ aquæ viuæ salientis in vitã æternã.

2. Tunc etiam Dominus à nobis poscit potũ, quãdo in membris suis, qui sunt pauperes inopia oppressi petit eleemosynam & auxilium temporale. Ipse enim dixit. *Sitiui & dedistis mihi potum. Et quod feciſtis vni ex minimis meis, mihi feciſtis.*

3. Christus ex habitu à Samaritana agnitus est Iudæus, sic nos, si velimus imitari Christũ, eo habitu vti debemus, quo cognoscamur esse Christiani. Sic enim hoc tempore elanguit religio, & creuit vanitas, vt aliquando multę infidelium sectæ honestate vestium superent Christianos.

4. Christus conuersurus Samaritanam, eam expectauit iuxta puteum, quo ventura erat, præsentemque primùm allocutus est de aqua materiali, sensim eam deducendo in notitiam & desiderium aquæ spiritualis, vt doceret, eos qui se profitentur Pastores & curatores animarum, primò expectãdam occasionem & opportunitatem agendi cum aliquo peccatore, deinde sermonem inferendum, non de rebus, quas ille non capit, aut à quibus abhorret, sed quæ eius professioni cõueniunt, vt pedetentim & quasi

& quasi aliud agendo, in sermonem de salute spirituali delabatur.

5. Christus Samaritanæ aquam viuam petenti iussit vt aduocaret virum suum, nec ante ei innotescere voluit, quàm confessa esset, hominem quo cum habitaret, virum suũ non esse. nunquam Dominus se per gratiam suam alicui communicat, vel eum meritorum suorum participem facit, nisi prius se humiliet, & syncere peccata sua confiteatur.

6. *Qui biberit ex hac aqua*, inquit Christus ad Samaritanã, *sitiet iterũ. Qui aũt biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Aqua huius mundi, designat amorem, bonorum, voluptatumque terrenarum, quæ non possunt extinguere sitim; sed augent potius. Aqua verò Christi, quæ significat amorem Dei & rerum cælestium, sitim exstinguit in æternũ. Sanctus enim hic amor, explet totum cor nostrum, & omnino terrena desideria omnia consumit.

7. Discipuli mirbantur Christum loqui cum muliere: Dominus ea cautela vsus est, vt nec sæpe, nec solus mulierem alloqueretur, non propter se, qui erat Deus, sed vt formam daret nobis, & imprimis hominibus religiosis & spiritualibus, quemadmodum agendum sit cũ mulieribus; videlicet rarò, paucis verbis, & non sine comite.

8. Samaritana relicta hydria abijt in ciuitatem, vt ciuibus suis annuntiet Christum. Sic Prædicator Euangelicus in viam se dans ad prædicandum alijs, debet prius relinquere, hydriam, id est, deponere curas, & onera huius mundi, hoc est, deserere carnales cupiditates, & deinde alijs veritatem tradere.

MEDITATIO XIX.

DE INITIO PRAEDICATIONIS CHRISTI.

PVNCTA MEDITATIONIS:

Matt. 4. *Marc.* 1. *Luc.* 4. I. *Relicta Nazareth,* IESVS *habitauit in Capharnaum, cœpitque prædicare Euangelium docẽs: pœnitemini & credite, appropinquauit regnũ Dei.*

II. *Circuibat totam Galilæam, docens in Synagogis, & sanans omnem languorem atq; infirmitatem in populo, vt magnificaretur ab omnibus.*

III. *Abijt opinio eius vsque in Syriam, offerebantq; ei plurimos, varijs languoribus affectos: quos cum curaret, plurimi ex varijs regionibus sequebantur eum.*

FIGVRÆ.

Gen. 49. 1. IAcob in fine vitæ benedicens suis filijs dixit de Nepthalim in cuius finibus Dominus prædicationem suam inchoauit. *Nephtalim ceruus emissus dabit eloquia pulchritudinis.*

Ioan. 3. 2. Ionas Propheta à Deo missus, iuit prædicatum pœnitentiam in ciuitate Niniue.

PRO-

PROPHETIÆ.

1. ECCE *dedi te in lucem gentium.* *Esa.* 49.

2. *Populus qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* *Esa.* 9.

3. *Spiritus Domini super me, eò quod vnxerit me, ad annuntiandũ mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino.* *Esa.* 61.

4. *Quàm pulchri super montes pedes, annũtiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem.* *Esa.* 52. *Nah.* 1. *Rom.* 12.

DOCVMENTA.

1. CHristus facturus prædicationis suæ initium, reliquit Nazareth, patriam suam, quæ erat exigua villula Galilææ, & abijt ad vrbem populosam Capharnaũ, in qua morabantur Iudæi mixti gentilibus, vt nos doceret, Prædicatorem Euangelicum, vt omnibus liberè annuntiare possit veritatem, imprimis debere exuere omnem inordinatum affectum erga parentes & sanguine iunctos. Secundò debere suo munere fungi ijs in locis, vbi spes apparet vberioris fructus animarum. *Luc.* 1. 4.

2. Christus voluit prædicationem suam auspicari in regia vrbe Hierosolyma, vbi degebant Principes, omnisq; Iudaica nobilitas, sed in Galilæa prouincia paupercula, in qua erat magna Dei ignorantia, vt intelligãt eius Prædica-

dicatores, non esse sectandas cathedras celebres & nobiles, nec aucupãdam nominis gloriam & existimationem, sed vtilitatem & salutem animarum.

3. Si Christus medicus cælestis, qui probè nôrat, & quanta esset nostra infirmitas, & quæ medicina ei conueniret, mundo annuntiauit pœnitentiã; quomodo spem salutis habẽt, qui longè aliam ineunt viam, & nihil pati volũt? & cum totos dies, non aliud quàm peccent, & Deum offendant, tantopere tamen à pœnitentiæ operibus abhorreant, vt nomen quidẽ æquis auribus sustineant.

4. Ioanne prædicante, Christus vel tacebat, vel certè nõ prædicabat publicè, ac finita prędicatione Ioãnis, Christus aggressus est suam, ea re maximam suam humilitatem demonstrans, dum Dominus officio doctrinæ & prædicationis cedit seruo, ad confusionem multorum, qui non modò non inferioribus & æqualibus, sed nec superiorib. cedere dignantur, & se certo quodam modo ipsi Filio Dei anteponunt.

5. Christus in prædicatione imitatus est Ioannem, exordiendo prędicationem ab eodem argumento, quo Ioannes exorsus fuerat. Quod fecit primo, vt Ioannis doctrinam confirmaret. Secundo, vt pudefaceret eorum arrogantiam, qui dedignantur imitari bonam aliorum doctrinam, imò redarguunt, & suam tantum venditant, vt soli in pretio habeantur.

6. Dominus in concionibus suis non solùm hortabatur populum ad credendum Euangelio, sed etiam ad agendam pœnitentiã. Vnde discimus, ad salutẽ obtinendam, non sufficere, fidem, qua in Christum credimus, sed agẽdam insuper pœnitentiam & operibus demon-

monstrandum nos de peccatis commissis dolere.

7. Christus non tantum docebat verbis, sed etiam doctrinam suam confirmabat operibus. & ideo diuulgata vndique eius fama, omnes populi ad eum accurrebant. Sic prædicatores, si velint magnum esse hominum concursum, comparare nomen, & singularem fructum in populo facere, conentur imitari Christum, iungendo sanctæ doctrinæ opera vitæ inculpatæ & religiosæ.

8. Euangeliũ cõmemorat Christum primò circuisse. Secundò peragrasse Galileã, in qua erãt, Iudæi, gentiles, & homines inopes. Tertiò docuisse. Quartò in synagogis. Quintò prædicasse Euãgeliũ regni. Sextò sanasse omnes infirmitates in populo: vt suo exẽplo demonstraret, quales debeant esse Prælati, & Euangelij prædicatores. Et primò quidem, ne sint ignaui & negligentes, sed solliciti & feruentes. Secundo, ne sint acceptores personarum, sed omnibus æqualiter suam doctrinam communicent. Tertiò ne circumeant vacui & otiosi, sed doceant, & fructum aliquem faciant. Quartò, vt non trad nt doctrinam periculosam vel suspectam, sed sanam & à Doctoribus approbatam. Quinto, ne concionentur de rebus curiosis, & vanis, sed de fructuosis, & animæ salutaribus. Postremo, vt non solum adiumento sint suis subditis, in rebus spiritualibus verum etiam, quatenus poterunt; in necessitatibus temporalibus.

MEDI-

MEDITATIO XX.
DE VOCATIONE APOSTOLORVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Matt. 4. Marc. 2. Luc. 5.

I. IESVS *Videns iuxta mare Petrum & Andreã dixit, Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum, at illi relictis retibus, secuti sunt eum.*

II. *Ibidem vidit Ioannem & Iacobum reficientes retia, qui eodem modo vocati, secuti sunt eum.*

III. *Transiens autem ante telonium videnscq; Matthæum ait: sequere me: qui statim secutus est, fecitq; illi conuiuium magnum.*

FIGVRA.

ELias reperto Elisæo in agro, quem arabat, misit pallium suum super illum, qui statim relictis bobus, & licentia accepta à patre & matre, secutus est Eliam, cùm prius conuiuium omnibus socijs suis exhibuisset.

PROPHETIÆ.

Esa. 8.

1. ECCE *ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum in Israel.* 2. *Ecce*

2. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos.* Iere. 16.

DOCVMENTA.

1. IAcobus & Ioannes reficiebant sua retia. Nomine horum duorum Apostolorum designantur concionatores, quos conuenit nonnunquam, relicta piscatione animarum vacare reficiendis retibus: hoc est, intermissa prędicatione attendere sibi, & suę saluti recolligendo, & renouando spiritum, vt postea maiore fructu rursum possint iuuare alios.

2. Petrus, & reliqui Apostoli à Christo vocati subitò relictis retibus, naue & patre, secuti sunt illum. Tria relinquere debent, quibus est animus Christum sequendi. Primò retia, hoc est, opera peccatorum, quibus homines ceu retibus illaqueantur. Secundò uauem, id est, possessiones huius mundi & omnia temporalia. Tertio affectum erga parentes & cognatos, quod significatū est nomine patris, quem Apostoli reliquerunt.

3. Petrus primò vocatus est ad Apostolatum, deinde Ioannes. Petrus significat bonam & feruentem actionem; Ioannes contemplationem, vt intelligamus, hominem spiritualem, qui desiderat se perfectè per contemplationem coniungere Christo, debere prius in sui mortificatione, alijsq; virtutum Christianarum operibus exerceri.

4. Hi discipuli cum in media piscatione essent, vocati à Christo, mox relicto opere imperfecto secuti sunt eum: Eiusmodi obedientiam Dominus postulat à religioso, nimirum vt subitò, nulla interposita temporis mora, sine dis-

ne disputatione vlla pareat superioris mandato. Si verò ratio aliqua humana in contrarium occurrat, meminerit eius, qui dum replicaret
Matt. 8. Christo, posse ne prius sepelire Patrem suum, permissus non est; vt discceremus Christum omnibus rebus anteferendum.

5. Scriptum est Matthæum mox post conuersionem suam ad Christum fecisse illi conuiuium, vt intelligeremus, quemadmodum anima immersa peccatis, instar filij illius prodigi continua vexatur fame, optans, quando aliud non habet, porcorum siliquis satiari: Sic contra animam in gratia existentem ob conscientiæ pacem & securitatem & diuinarum consolationum copiam, qua pascitur, esse in continuo conuiuio cum Christo, secundum
Prou. 15. illud dictum Sapientis. *Secura mens quasi iuge conuiuium.*

6. Deinde sicut Matthæus post conuersionem conuiuium instruxit Christo, sic cum Dominus nos vocat à peccato ad statum gratiæ, vel è sæculo ad religionem, non debemus esse tanto beneficio ingrati sed parare Christo conuiuium spiritale in domo cordis nostri, seruiendo illi cogitationibus sanctis, meditationibus pijs, & affectibus caritate inflammatis,
Apoc. 3. congruenter illi, quod alicubi dixit: *Ego sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.*

7. Christus adibat conuiuia peccatorum, vt haberet occasionem docendi illos, & cibo spirituali omnes inuitatos reficiendi. Quo exemplo informat omnes, quibus incumbit officiũ iuuandarum animarum, posse eos adire conuiuia,

uiuia, quando vident occasionem esse faciendi fructum, vel adiuuandi aliquem peccatorem; secus non.

8. Etsi alij Euangelistæ noluerint Matthæũ suo vulgato nomine appellare, vt eius tuerentur honorem: Ipse tamen iuxta dictum Sapientis. *Iustus prior est accusator sui*, se appellauit in Euangelio Matthæum, & publicanum: vt ostenderet, nemini desperandam salutem, qui velit ad meliorem vitam conuerti: quandoquidem ipse è publicano conuersus est in Apostolum. Vbi & illud discimus, vitia & peccata aliena, quoad fieri potest, semper esse celanda & occultanda, propria autem potius confitenda. *Pro.18.*

MEDITATIO XXI.

DE MIRACVLOSA PISCATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Turbis irruentibus prope stagnum Genezareth, ascendit, in nauem Simonis vt doceret.* *Ioan. 5.*

II. *Finita concione monuit Petrum, vt retia laxaret: qui excusans se quod tota nocte nihil cepisset, ait: In Verbo tuo laxabo rete; cepitq; tantam multitudinem vt socijs egeret.*

III. *Visa hac piscium multitudine S. Petrus,*

Petrus vnà cum Ioanne & Iacobo socijs obstupefacti illum adorarunt, atq; omnibus relictis secuti sunt eum.

PROPHETIÆ.

Ezc. 47. *AQua autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris.*

De quibus aquis paulo post subiecit. *Et erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ & sanabuntur: & viuēt omnia, ad quæ venerit torrens. Et stabant super illa piscatores, ab Engaddi vsque ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium eius sicut pisces maris magni multitudinis nimiæ.*

DOCVMENTA.

1. EVangelium refert turbas nulla habita ratione laboris secutas Christum quocunque pergeret, vt verbum Dei audirent. Nec commemorat inter illas fuisse vel Sacerdotes, vel Scribas, vel Pharisæos, qui ob doctrinam & sapientiam erant in populo honoratissimi. Vsus & experientia perpetua in mundo docuit, ab hominibus simplicibus, rudibus & pauperibus maximè frequentari Ecclesias, qui cultui diuino, & pietati & pœnitentiæ vltro se dedunt & libentius cæteris verbo Dei audiendo cum fructu vacant. Sed ex magnis illis Doctoribus, qui sectantur honores huius sæculi, & sapientes sunt apud semetipsos, pauci inueniuntur, qui se se-

riò dedant Christianarum virtutum exercitationi.

2. Christus primò voluit nauiculam, in qua prædicabat, nonnihil remoueri à littore, deindè, iussit eam prouehi in altum vt doceret concionatores, & quotquot funguntur officio alios instituendi & iuuandi, se infirmitati & capacitati auditorum accommodare, hoc est vt non statim eis proponant mysteria sublimia & opera summę perfectionis, sed primum eos paululum dimoueant à terra, id est à curis terrenis, & cupiditatibus carnalibus, odio peccati, & timore pœnæ auocent; deinde verò ad amorem virtutis & perfectionis alliciãt.

3. Dominus prædicauit turbis nonnihil remotus à terra, vt intelligant, quibus incumbit cura alios informandi, eos ab omnibus affectionibus terrenis debere esse alienos.

Facile enim eius doctrina despicitur, cuius vita in parua æstimatione habetur.

4. Christus dixit Apostolis, vt laxarent retia sua in capturam piscium, vt instrueret Prædicatores, quo fine & intentione munere suo fungi debeant, nempè vt capiant pisces, quæ sunt animæ peccatorum per mare huius mundi perdite errantes, extrahendo eas ex vitiorum profundo, & peccatorum luto, ad altitudinem & puritatem suæ gratiæ. Non autem capiant & piscentur vel vanam gloriam & existimationem, vel commodum proprium, & lucrum temporale. Nam de his dicit Propheta Ieremias. *Seminauerunt triticum, & messuerunt spinas.* Quia verbi Dei prædicationem in quæstum temporalem conuerterunt. *Iere. 21.*

5. Petrus tota nocte piscatus nihil cepit; de die autem ex obedientia Christi laxans rete magnum

magnum numerum piscium cepit. Si vis consequi laborum tuorum præmium primùm discute conscientiam tuam, sintnè opera tua facta in tenebris & nocte peccati, an verò in diuinæ gratiæ luce: Et si in te deprehenderis aliquod peccatum, mox cura, vt per synceram confessionem, & verum dolorem, ac firmum propositum Deum non amplius offendendi, illud ex anima tua ejicias, & tunc ejiciendo per diuinorum mandatorum obseruationem bonorum operum rete, referes abundans & æternum præmium in cælis.

6. Petrus arbitrio suo tota nocte laborans nihil cepit, at postquam arbitrio Christi laxauit rete, breuissimo tempore duas naues compleuit piscibus. Vnde discimus quantum valeat obedientia; & quod opera facta ex obedientia & consilio nostrorum superiorum, vel Patrum spiritualium præstantiora sint ijs, quæ facimus voluntate propria, eò quòd meritum illorum sit certiùs & copiosius, horum verò sit incertum, & non ita magnum.

7. Petrus post acceptam miraculosæ illius capturæ gratiam, sese humiliauit, agnoscens se peccatorem & indignum. Inter bonorum malorumq; discrimina, hoc vnum est, quod mali non agnoscant aut confiteantur Deum, nisi quando affliguntur secundùm illud. *Esa.* 28. *Vexatio dat intellectum.* Boni verò tam in aduersis, quam in prosperis se humiliant, & reputando se indignos, omnia diuinæ voluntati adscribunt, vt fecit B. Iob, cùm dixit. *Iob* 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.*

8. Petrus se humiliauit confitendo se esse peccatorem, & præsentia Christi indignum, cui

cui Dominus benignè respondens, & maiora promittens, magno fuit solatio. Vnde discimus sicut officium peccatoris est, exemplo Petri & filij prodigi se humiliare, accusando peccata sua, & se indignum diuina gratia reputãdo: ita Prælatorum & Patrum spiritualium officium esse, peccatores, dum se in eum modum humiliant, non asperis, sed mollibus potius verbis excipere, eosque animare & consolari.

9. Patres veteres quos Deus elegit in capita & gubernatores populi sui, vt erant Patriarchæ, & post illos Moyses & Dauid, fuerunt pastores ouium. In noua verò lege Petrus, eiusq; socij, quos Christus postea elegit in gubernatores suæ Ecclesiæ, fuerunt piscatores piscium. Quæ duo genera hominum laboriosam in hoc mundo vitam agunt: nam diu noctuque laborant, & multum patiuntur, vt intelligant Prælati & Principes Christiani se non esse vocatos ad quietem, sed ad labores & afflictiones, non ad quærendum se & sua commoda, sed ad lucrifaciendos alios, eorũq; salutem & incolumitatem omni studio procurandam.

MEDITATIO XXII.

DE SANATA SOCRV SIMONIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Egredientes de synagoga 4. Apostoli, inuenerunt socrum S. Petri laborantem febri; & rogarunt pro ea.* Matt. 8. Luc. 4.

II. *Iesus illam manu apprehendens imperauit febri; qua subito discedente, ministrabat eis.*

3. *Congregata autem ingenti multitudine sanabat omnes ægros, atque ejiciebat dæmonia, non sinens ea loqui, & ipsum laudare.*

PROPHETIÆ.

Esa. 35. 1. IPSE *infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit.*

Psa. 106. 2. *Misit verbum suum; & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.*

DOCVMENTA.

1. APostoli non solum inuiserunt socrum Petri infirmam, sed charitate permoti etiã intercesserunt pro ea apud Christum. Vnde discimus exercenda opera misericordiæ erga infirmos, visendo illos, & in necessitatibus eis subueniendo, si non opibus, & præsentia propria, saltem orationibus orando Deum pro eorum valetudine, Quod eo maiori affectu faciendum est, quanto id magis in nostram vtilitatem & profectum spiritualem redundat, vti exhortatur sapiens. *Ne te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis.*

2. Ex hac Apostolorum intercessione discimus, non solum esse solliciti in nostris necessitatibus & infirmitatibus spiritualibus, vt de-

precemur Deum pro nobis, vt nos sanare velit, verum etiam in alienis, vt imploremus etiam auxilium pro alijs, & sigillatim vt inuocemus Sanctos, vt ipsi pro nobis Patrem misericordiarum interpellent. Si enim dum essent adhuc in vita mortali, tam solliciti erant de salute aliorum corporali, & à Domino obtinebant quicquid petebant: quanto magis facient nunc, cum securi de præmio gaudent cum Christo in cœlo, & charitatem habeant, quàm in terra habuerint multo excellentiorē & perfectiorem.

3. Febris simplici mandato Christi cessit & ægram liberam reliquit ad nostram magnam confusionem; qui voci & mandato Christi semper præbemus nos immorigeros & rebelles; quod manifestum signum est, cum summo rationis & iudicij beneficio à DEO nobis concesso tam fœdè abutamur, nos rebus inanimis & sensus expertibus esse deteriores.

4. Socrus Petri statim post recuperatam sanitatem, cœpit seruire Christo eiusque discipulis. Non vult Deus dona & gratias suas in nobis esse otiosas, sed vt ijs fructum aliquem faciamus, vtamurque ad eum finem, propter quem est eas elargitus. Et idcirco exemplo huius infirmæ nos informat; vt vbi per Christum fuerimus sanati, à spiritualibus morbis id est, peccatis, non demus nos otio, & torpori, sed bonorum operum exercitationi in cultu diuino, & proximorum auxilio, ne per ingratitudinem nostram, Deo permittente, in priora & forte etiam grauiora peccata relabamur, vacare.

5. Studium huius mulieris in seruitio Christo post valetudinem restitutam præstando,

commonefacit nos, vt dum animaduertimus nos aliquanti temporis iacturam feciſſe, & cultum diuinum neglexiſſe, ſiue incuria noſtra, ſiue alia de cauſa id contigerit, debeamus nos maiori ſollicitudine in poſterum tempus diuino ſeruitio dedere, operam dando, vt diligentia iacturam præteritam reſarciamus, exemplo viatoris, qui dum aduertit ſe à via aberraſſe, hoc iter ſuum accelerat magis, quo maiorem temporis iacturam aberrando fecit.

6. Poſt ſolis occaſum Chriſtus curauit multos infirmos. Quamdiu ſplendet Sol proſperitatis, homines ordinariè ſunt infirmi ſpiritu, variis febribus vitiorum & deſideriorum inordinatorum afflicti. Sed ſole occidente, & appropinquante aduerſitatum nocte, multi recuperant ſanitatem. Tribulatio enim facit, vt homo redeat ad ſe, & ſe ad Deum conuertat, ſicut dixit ſapiens. *Vexatio dat intellectum*, & congruit cum illo, quod ſcriptum eſt. *Imple facies eorum ignominia, & quarent nomen tuum Domine.*

7. Exibant dæmonia multa confitentia Chriſtum eſſe filium Dei, ſed non permittebat ea loqui, vt doceret nos, dæmonem ſemper habendum pro hoſte infeſto, nec in malis vel bonis ei communicandum. Nam etſi aliquando videatur aliquid boni vel veri dicere, tamen illud omne refert in malum finem ad nos defraudandos. Præterea docemur quod tunc fortius debeamus reluctare dæmonis tentationibus, quando videtur noſtris commodis amplius fauere; nam eius fauores fraudibus pleni ſunt.

MEDI-

MEDITATIO XXIII.

DE SEDATIONE TEMPESTATIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. IESVM, *in stagni transfretatione dormientem Discipuli suscitant dicentes: Domine, salua nos; perimus.* Matt. 8. Mar. 4. Luc. 8.

II. *Quibus dixit: Quid timidi estis, modicæ fidei? Et imperauit ventis ac mari; Et facta est tranquillitas.*

III. *Quo visio, Exterriti; inter se dicebant: Quis putas hic est: quia venti & mare obediunt ei?*

FIGVRÆ.

IOnas in naui dormiens tempestate agitata, excitatus à vectoribus, dum se permisisset in mare iactari, tempestatem sedauit. Ion. 1.

PROPHETIÆ.

1. *Dixit & stetit spiritus procellæ.* Ps. 106.
2. *Tu dominaris potestati maris, motũ autem fluctuum eius tu mitigas.* Ps. 88.
3. *Exurge quare obdormis Domine, exurge adiuua nos propter nomen tuum.* Psal. 43.

Psal.106 4. *Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos, & statuit procellam eius in auram, & siluerunt fluctus eius.*

DOCVMENTA.

1. Discipuli Christum in nauiculam ingredientem secuti sunt, ceteris in terra relictis. Illi veri sunt Christi discipuli, qui non solùm eum comitantur in terra, id est, rebus prosperè adhuc fluentibus, sed etiam cum eo ingrediuntur mare, id est, tribulationes & aduersitates huius vitæ.

2. Per Apostolos, tempestate maris iactatos & afflictos significatur, neminem Christianorũ posse hanc vitã sine afflictione aliqua trãsigere. Tentationes enim sunt, quædam fidei nostrę exercitia & probationes.

3. Christus dormiebat in nauicula, Caueamus, ne Dominus nobis hodie, si nõ corporaliter sibi, saltẽ nobis dormiat spiritualiter: quod fit, quãdo nos ab orationis, bonorũq; operũ studio abstinemus, & in desiderio proficiendi tepescimus. Quo casu, merito nobis timere debemus, crebrisque & deuotis precibus efficere, vt euigilemus, vt immunes à salutis nostrę periculo, quod impendet, simus.

4. Discipuli Christi affligebantur vehemẽtia ventorum, maris motu, & impetu fluctuũ, quibus nauicula penè obruebatur: sic, qui incipiunt seruire Deo triplici ferè genere tentationum sigillatim concutiuntur. Primò insultibus dæmonis, qui designãtur per ventos. Secundo persecutionibus mundi, quæ significantur motu maris. Tertiò tentationibus carnis, quæ denotantur per impetũ fluctuũ nauiculam

culam intrantium, à quibus omnibus animaiusti, quando proprijs viribus resistere nō potest, si mente deuota imploret opem Domini, defenditur & propugnatur.

5. Apostoli existentes in periculo submersionis recurrerunt ad Christum, & liberati sunt. Quando quis aliqua tentatione coniuncta cum periculo salutis pulsatur, si negligēs sit, & per orationem ac Sacramentorum vsum non confugiat ad Christum, quid mirum si vincatur, & in peccatum lapsus animam suā perdat.

6. Quod Dominus voluerit excitari, & à discipulis rogari, vt ipsos periculo liberaret; eo ipso significauit, se velle à nobis in necessitatibus nostris orari: vnde sæpe permittit nos incidere in tentationes & aduersitates, vt per orationes ad eum perfugium nostrum habeamus, & ita ab illis liberemur.

7. Dominus arguit discipulos ob modicam eorum fidem: vt discamus timoris nostri causam non esse tentationes, sed modicam fidem quam habemus. Quare, qui in huius mundi afflictionibus murmurant, trepidant, & impatienter eas sustinent, declarant se esse modicæ fidei. Scriptum enim est, Fidem nostram esse victoriam, qua vincimus mundum, id est, pericula mundi.

8. Nauicula, in qua erant discipuli, designat pœnitentiam, qua homo deducitur ad salutis portum. In hanc nauiculam ingreditur Christus, quando homo salutis suæ studiosus incipit commutare vitam, & de peccatis agere pœnitentiam. Christus autem dormit in illa, quando subinde permittit nos, subtracto auxilio, incidere in tentationes, vnde ordinariè, qui incipiunt seruire Deo, grauius à dæmone

oppugnantur; sed non debent animum despõdere, quia Christus est cum illis, atq; ideò debent resurgere ad ipsum, vt fecerunt discipuli & tanta instantia illum implorare, donec misericordiam ab eo impetrarint.

9. Est quoque per hanc nauiculam significata quæuis anima fidelis, in quam versantem in tempestuoso huius corporis corruptibilis mari, & tot perturbationibus & tentationibus subiectam, tunc ingreditur Christus vnà cum suis discipulis, quando eam inhabitat per suã gratiam, virtutes & dona Spiritus sancti. Sed aliquando Dominus dormit, permittens ad maiorem eius profectum, vt varijs tentationum ventis, & passionum propriarum tempestatibus agitetur, sed gemitibus, & flebilibus vocib. animæ excitatus, mox succurrit in afflictione, depulsioneque tentationum solatur, vel certè vires addit, & patientiam, vt vberiore fructu eas tolerare possit.

MEDITATIO XXIV.

DE PARALYTICO INTRA DOMVM SANATO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Matt. 9. Luc. 5. I. *Cum,* IESV *docente, tanta multitudo conuenisset, vt nemo domum intrare posset, quidam ascendentes in tectum, remotis tegulis dimiserunt per funes paralyticum ante illum.*

II. *Qui videns fidem eorum dixit paralytico:*

lytico: Confide fili: remittuntur tibi peccata tua. Phariſæis autem cogitãtibus eum blaſphemare, dixit: quid cogitatis mala in cordibus veſtris? deinde ait paralytico: Surge, tolle lectũ tuum & vade in domum tuam: quod ille fecit.

III. *Videntes autem ſtupefacti magnificabant Deum qui dedit poteſtatem talem hominibus.*

PROPHETIÆ.

1. *TV ſolus noſti corda filiorum hominũ.* 2. Par. 6
2. *Saltet ſicut ceruus claudus.* Eſa. 35.

DOCVMENTA.

1. PAralyticus à quatuor hominibus eſt deportatus, & ante Chriſtum depoſitus. Quatuor ſunt, quæ peccatorem deducant ad Chriſtum, hoc eſt, reconciliant Chriſto. Primum eſt, conſideratio breuitatis vitæ. Alterum, timor pœnæ infernalis. Tertium, contemplatio fœditatis & grauitatis peccati. Quartum, ſpes veniæ, quam expectat à Domino.

2. Chriſtus, poſt oblatum ſibi paralyticum non rogatus à quoquam, primo ei remiſit peccata; vt nobis daret exemplum, condonandi iniurias à proximis nobis illatas, etiam antequam rogemur.

3. Cum Chriſtus dixiſſet paralytico remiſſa eſſe peccata, cœperunt Scribæ murmurare con-

tra illum tanquam blasphemiæ reum : sed vt viderunt eum redditum integræ sanitati cæperunt glorificare Deum , & Christum pluris facere. Sic serui Dei non alijs armis tueri se debent aduersus maledicos & detractores, quàm bonorum operum exemplis, quibus conspectis, non solùm eorum ora obmutescent, sed detractionum vice incipient Deum glorificare & seruos eius collaudare.

4. Christus arguens scribas, dixit, vt quid cogitatis mala in cordibus vestris: ea re nos docens, quoties menti obrepit praua aliqua cogitatio, debere eam reprehensione nostri ipsorum mox repelli, vt dicamus cum ipso. Vt quid cogitas malum illud in corde tuo ?

5. Dominus sanaturus paralyticum, initium fecit ab infirmitate spirituali, condonando peccata, quia causa est & radix infirmitatis corporalis, vt doceret nos, quemadmodum in afflictionibus & calamitatibus nõ solum nosipsos, sed etiam proximos iuuare debeamus: nempe efficiendo, vt primùm deserant peccata, & in gratiam Dei redeant, eo quod propter illa sæpe Deus immittat aduersitates, nec finem faciat affligendi nos, nisi nos emendauerimus.

6. Hic Paralyticus membrorum vsu destitutus significat hominem peccatorem, qui quoniam omnibus bonis & meritorijs operibus caret, pestifero & mortali otio in lecto contabescit. Primò enim deficiunt eum vires ad ambulandum, hoc est, ad bonis operibus aliquid promerendum. Secundò deficit tactus bonarum actionum. Tertio gustus dulcedinis & voluptatis cœlestium consolationum. Quartò oculi ad contemplandum res diuinas. Quinto, auditus verbi Dei. Et postremò, suauis odor

dor sanctarum & diuinarum inspirationum.

7. Exemplo caritatis deportantium paralyticum docemur nos quoque, quo studio inseruire debeamus proximorum infirmitati, & penuriæ, quibusque modis adiuuare, nempe operibus non solum, sed etiam fide & oratione apud Dominum.

8. Paralyticus ad mandatum Christi surrexit è lecto. Anima peccatoris tunc spiritaliter exurgit è lecto suo, quando timore pœnæ, vel spe præmij, vi sibi illata, omnibus mundi illecebris & carnalibus voluptatibus, quibus ægra decumbebat, renunciat. Tunc accipit lectum suum & portat, quando peccata, quibus prius oblectabatur, & in quibus acquiescebat, incipiunt ei fieri grauia & molesta. Tunc vero ambulans redit in domum suam, quando bonorum operum exercitio incipit ambulare versus Deum, à quo per peccatum longius recesserat.

MEDITATIO XXV.

DE HAEMORRHOISSA SANATA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Christo cum multis proficiscente ad filiam Iairi, mulier à duodecim annis, fluxum sanguinis patiens, tetigit cum fiducia fimbriam vestis, & sanata est.* *Matt. 9. Marc. 5. Luc. 8.*

II. *Christo autem petente: quis me te-*

tigit? respondit Petrus: *Præceptor, turbæ comprimunt te, & dicis: quis me tetigit.*

III. *Mulier autem illa, timens ac tremens, Venit Et procidens ante pedes eius, indicauit quam ob causſam tetigiſſet eum. at ille: Confide, ait, & vade in pace.*

FIGVRÆ.

Leu. 1. SCriptum eſt in lege, omnes qui tetigerant carnes ſacrificij, mundatos fuiſſe & ſanctificatos.

DOCVMENTA.

MVlier Hæmorrhoiſſa retrò acceſſit Chriſtum & infimam veſtis partem attigit, ac ſi digna non fuiſſet vllam aliam partem tangere, vt doceret peccatorem, quomodo adire debeat Chriſtum ad obtinendam animæ ſuæ ſalutem. Primò cum verecundia, vt ob fœditatem peccatorum non audeat ſe ſiſtere præſentiæ Domini. Secundò cum humilitate, vt reputet ſe indignum gratia ſua & amicitia, exemplo publicani, qui ſtans à longè, non audebat oculos ſuos attollere in cælum, ſed percutiens pectus ſuum dicebat. Domine propitius ſis mihi peccatori.

Luc. 19. 2. Turbæ premebant Chriſtum, mulier autem hæc tantum tangebat illum. Multi com-

pri-

primunt & conculcant Christum, sed pauci tangunt. Comprimunt, qui exigua fiducia eum inuocant, vel corde indeuoto, aut mente distracta preces suas recitant; & qui bona opera non ex puro Dei amore, vel propter Dei gloriam, sed ob finẽ aliquem humanum faciunt.

3. De hac muliere dicit Euangelium. Primò, quod cum fide accesserit Christum. Secundò, quod locuta sit intra se. Tertiò, quod tetigerit, & tangendo sit sanata. Vt significaret in his tribus, nempe in verbis, fide, & operibus totam nostram salutem consistere, hoc est, in audiendo verbo Dei, in credendo, & benè operando.

4. Mulier hæc non quamlibet vestis partem attigit, sed tantum fimbriam, quæ est extrema eius pars. Vestis Christi significat sanctæ eius vitæ conuersationem, quæ etsi multum prodesse possit omnibus qui eam volunt imitari tamen extrema eius pars, quæ est sacra eius passio, longè efficacior est ad omnes infirmitates nostras spiritales sanãdas si eam cum humilitate & deuotione attigerimus, nempe meditando & imitando.

5. Hæc mulier primò cogitauit intra se & proposuit tangere vestem Christi, sed non recepit sanitatem, nisi quando reipsa tetigit, sic nobis ad consequendam salutem satis non est habere bona desideria & proposita, nisi retrò adeamus Christum, & manum operi, imitando sanctam eius vitam, admoueamus.

6. Mulier tactu fimbriæ liberata fuit à sua infirmitate, non quod virtus illa fuisset in fimbria, sed quod exierit è corpore Christi. Quilibet fidelis est fimbria vestis Domini, quia est membrum vel pars Ecclesiæ suæ per vestem Christi significatæ. Quando ergo bono

opere noſtro præſtamus beneficium alteri, non debemus nobis talem virtutem attribuere, ſed Chriſto auctori; cuius veſtis fimbria ſumus.

7. Chriſtus ſanitatem reſtitutam mulieri non ſuæ virtuti, ſed fidei mulieris attribuit, vt doceret nos non debere nos in bonis operibus noſtris quærere vel prædicare laudes noſtras, ſed ſolam laudem & gloriam Dei.

8. Multi ſequebantur Chriſtum & tangebant, ſed vna tantum mulier fuit ſanata. Poterat Dominus ſanare omnes, ſed quia non ſe adiungebant illi ea fide & deuotione, qua oportebat, non conſequebantur ſalutem. Nos ergo qui toties adimus altare Domini ſanctum, videamus qua deuotione & præparatione adeamus, & rogemus Deum, ne ſimus in numero eorum; qui tangunt quidem Chriſtū, ſed nullam ab eo recipiunt ſalutem.

9. Hæc mulier, cum omnia media & remedia tentaſſet; ſuaque omnia in Medicos expendiſſet, nec aliud ei refugium ſupereſſet à Chriſto ſanata eſt. Hanc viam & rationem Deus tenere ſolet in curandis noſtris neceſſitatibus, vt quando homo venit ad extrema, & omni deſtituitur auxilio humano, ſuppeditet diuinum: idque facit, & auxilium ab eo profectum non ali, quàm diuinæ eius potentiæ adſcribamus, & illum ſolum gratiæ auctorem recognoſcamus.

MEDI-

MEDITATIO XXVI.

DE FILIA ARCHISYNAGOGI SVSCITATA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Christo è naui exeunti occurrit Iairus Princeps Synagogæ, deprecans pro filia, in extremis versante, vt ei manus imponat.* Matt. 9. Marc. 5. Luc. 8.

II. *Cum Christus sequeretur eum, occurrerunt serui nunciantes eam defunctam. Sed Christus patrem confirmauit dicens: tantum crede & salua erit.*

III. *Ingressus domum, eiecit turbam, & tribus Discipulis ac puellæ parentibus retentis, manu apprehensa eam suscitauit famâ vbique vulgante.*

PROPHETIÆ.

1. *VOcabis me & ego respondebo tibi, opera manuum tuarum porriges dexteram.* Iob. 14.

2. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exultauit me, non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini.* Psal. 117

DO-

DOCVMENTA.

1. HIC Iairus etsi esset homo valde honoratus, & vnus è Synagogæ principibus, tamen ad impetrandam sanitatem filiæ, non dubitauit se humiliare & se ad pedes Christi, nulla habita dignitatis suæ ratione abijcere, idque in loco publico, & tanti populi præsentia. Vnde discimus si velimus animæ nostræ salutem consequi, pedibus conculcare omnes respectus humanos, & non curare quid mundus dicturus sit, vel homines cogitaturi: id verò tantum considerare, quid magis conueniat saluti animæ nostræ.

2. Tria fecit Archisynagogus, vt postulata à Christo impetraret. Primò prouoluit se ad eius pedes. Secundò impensè eum rogauit. Tertiò magnam erga CHRISTVM fiduciam ostendit, vt quod tactu manuum suarum posset sanare filiam. Sic nos, si exaudiri volumus à Deo in nostris precibus. Primò, conuenit vt cum magna humilitate adeamus, secundum illud.

Eccl. 33. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Secundò, vt ne ex consuetudine oremus, vel tepide, sed cum affectu & interno desiderio, sicut fecit bonus Moyses, quando Deum precatus est, vt aut ignosceret populo, aut se deleret

Exod. 32 è suo libro. Tertiò, vt oratio nostra fiat cum fiducia confidendo Dominum nihil negaturum nobis eorum omnium, quæ iustè ab eo postulamus, secundùm consilium S. Iacobi Apostoli.

Iacob. 1. *Postulet*, inquit, *in fide, nihil hæsitans.*

3. Christus rogatus ab Archisynagogo, nullo dato responso, confestim eum secutus est. Quo facto primum dedit subditis exemplum obedientiæ, quam promptè debeant obedire suis Prælatis. Et si Dominus omnium tam prom-

promptus fuit ad obediendum vni homini, quanto promptius homines obsequi debent iis qui loco Dei ipsis aliquid imperant? Dedit quoque exemplum Prælatis & Pastoribus, vt cum vigilantia & sollicitudine succurrant spiritualibus subditorum necessitatibus. Denique omnibus exemplum dedit, vt promptè operam & auxilium suum, cum exigtiur, accōmodent proximo sicut ille rogatus, vt operam præstaret sanandæ huius hominis filiæ, extemplo se in viam dedit, secundum illud: *Ne d cas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi cum statim possis dare.*

4. Christus inuitatus ab Archisynagogo, vt sanam redderet filiam, destitit prædicare & docere turbas; vt significaret, si officium tam spiritale & necessarium deseri potuit, multò magis deserenda minoris momenti negotia, ad subueniendum necessitatibus proximi, etiam temporalibus. Martha enim & Magdalena non sunt inter se contrariæ, sed sorores.

5. Christus vita restituturus filiam Archisynagogi, prius domo eiecit tibicines, reliquāque turbam tumultuantem, vt intelligeremus, nihil æquè obesse nostræ spiritali resurrectioni, ac terrenarū cogitationum turbam, nimiamque curam & affectionem erga nosipsos, & res huius vitæ; quæ impediunt, quo minus cognoscamus nos ipsos, & locum Deo intercludunt, vt gratia sua non possit operari in nobis. Age ergo vt hanc importunam cogitationum inanium & inordinatarum turbam è corde tuo exturbes, & solum Iesum Saluatorem in illud admittas & mox videbis mirabilia, quæ ille in te pro animæ tuæ salute, operabitur.

6. Christus excitaturus hanc puellam, primò

mò extendit manum, eamque coniunxit cum manu puellę defunctæ, deinde verborum suorum virtute puellam suscitauit: hoc ritu significans, si velimus excitari à morte peccati, non satis esse, vt ille extendat manum suam, auxiliumque porrigat, sed vt nos quoque concurramus coniungendo manum nostram ipsius manui, qua præuenienti Dei gratiæ cooperemur, deinde procuremus, vt nostræ manus porrectio ab efficaci voluntate surgendi è lecto peccati proficiscatur: si enim tantum id fiat ceremonia quadam & specie externa, potius erit hypocrisis; nec manum, sed chyrothecam tantum porrigemus Christo.

7. Christus mandauit parentibus resuscitatæ filiæ, vt nemini patefacerent hoc miraculum, *Matt. 9.* cùm tamen multi viderint resuscitatam. At alibi ipse patefecit miraculum sanitatis restitutæ mulieri hæmorrhoissæ, quod tamen nemo aut viderat, aut cognouerat. Quare voluit nos docere, quid vnicuique nostrum magis conueniret; & primò quidem vanitati deditis, vt occultè sua bona opera faciant conue-
Matt. 6. nienter dicto ipsius. *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Deinde magis perfectis, qui gloriam huius mundi pedibus calcarunt, vt potius sua bona opera ad exemplum, & auxilium aliorum manifestent, sicut dixit suis Apostolis.
Matt 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*

8. Eodem exemplo docet nos Dominus, bona opera nostra, donaque diuina à sua Maiestate communicata, aliquando esse manifestanda quando vtilitas proximi, vel Dei gloria id postulat. Quod autem alibi voluit ea tegi silentio id fecit causa nostra, sciens quàm simus pro-

procliues ex fragilitate ad vanam gloriam intelligeremusq; eam fugiendam tanquam pestem, ad amādam verō humilitatem omnium virtutum fundamentum.

MEDITATIO XXVII.

DE PARALYTICO SANATO AD PISCINAM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Hominem annis 38. ægrum rogat, an velit sanus fieri? atque excusanti se sanitatem reddit, mandans vt grabatum tollat atque ambulet.* Ioan. 5.

II. *Iudæis eum accusantibus quod hoc faceret die Sabbati respondit: Qui me sanum fecit, dixit: tolle grabatū.*

III. *Eidē postea occurrens Dominus ait: Ecce sanus factus es. Iam noli peccare; ne deterius tibi accidat.*

PROPHETIÆ.

1. *RESpiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat.* Eccl. 51.

2. *Ego pascam oues meas, dicit Dominus Deus, quod abiectum erat reducam, & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmū fuerat, consolidabo.* Eze. 34.

DO-

DOCVMENTA.

1. EX omnibus infirmis qui erant iuxta piscinam probaticam, vnus tantum est sanatus, ad significandum illos solos qui profitentur vnam fidem, & in vna sunt Ecclesia, quæ vnum Deum colit, iustificari & saluari. Væ ergo illis, qui ab hac vnitate se segregant, & schismata in Ecclesia Dei faciunt: nunquam enim consequentur salutem.

2. Hic homo licet totos triginta annos infirmus fuerit, non tamen desperauit, sed confisus est semper se tandem ab aliquo iuuandum: vt daret exemplum peccatoribus, constanter in oratione persistendi, nam si perseuerent cum spe, consequentur tandem salutem ab eo, qui dixit. *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* *Matt. 7.*

3. Magnam causam habemus erubescendi de peccato, sed maiorem de nostra segnitie, quandoquidem hic miser paralyticus, licet totis triginta octo annis voto potiri non potuerit, tamen in eodem loco perstitit, & auxilium popoſcit: Nos verò si vel paucis diebus perstiterimus in petenda aliqua gratia & non statim obtineamus, ab orando cessamus, nec vllum amplius studium ad eam obtinendam adhibemus.

4. Dominus tunc dicit animæ laboranti morbo peccati, Visné sana fieri? quando radio diuini luminis sui præueniens illam inuitat ad suam gratiam & fauorem: & nos tunc dicimus, deesse nobis hominem, qui adiuuet, quãdo detestando malam vitam præteritam, incipimus desiderare salutem, & auxilium Domini imploramus. Ille quoque tunc respondet Surge, quando infundens gratiam suam, ani-

mæ

mæ restituit perfectam sanitatem: & tunc surgentes tollimus grabatum nostrum in humeros, cum incipiunt nobis displicere, quæ prius delectabant, & denique tunc ambulamus, quãdo acceptæ gratiæ cooperamur, exercitando nos in bonis & sanctis operibus.

5. Varietas infirmorum iuxta piscinam existentium, designat diuersitatem peccatorum: nam aliqui peccant ex negligentia & corpore, & hi significantur per languidos. Alij peccant ex ignorantia, qui significantur per cæcos. Alij ex humana fragilitate, qui per claudos & ad bene agendum impotentes. Alij peccant ex malitia, qui designantur per aridos, destituti omni humore bonæ voluntatis. Alij denique peccant ex consuetudine, qui designantur per hunc infirmum triginta octo annis paralysi afflictatum.

6. Iudæi arguebant paralyticum, quod lectum suũ deferret die Sabbathi, notando quod illis videbatur reprehensibile, & non quod erat laudabile, nempe miraculum sanitatis receptæ. Sic homines peruersi & inuidi frequenter notant & obseruant in alijs, quæ possint reprehendere & calumniari, & non quæ laudare ad aliorum ædificationem: tacent bonum quod in illis conspiciunt, & publicant malum, si quod inueniant: vel certè conuertunt bonum in malum calumniando finem & intentionem, qua fuit factum.

7. Paralyticus, tum erat infirmus, decumbebat in suo grabato; sed postquam sanatus est, humeris suis deportauit grabatum. Grabatum non aliud est, quàm honores, dignitates, & cætera huius vitæ bona, in quibus velut in lecto homines mundani quiescunt: vnde quãdo quis in eiusmodi rebus inuenit pacem & con-

consolationem, signum est, quod decumbat æger, & male habeat. Verum quando hæc reputat pro onere, & sunt illi molesta & fastidiosa, signum est eum sanum esse, & ambulare.

8. Christus secessit à turba, quæ in illo loco erat, præbens nobis exemplum non quærendi in operibus nostris bonis laudem & hominum applausum; atque etiam, quod aliquando debeamus secedere ab illis, qui ad calumniandum sunt procliues & prompti, effugereque oculos inuidorum, ne eis detur occasio maioris inuidiæ & peccati.

9. Christus postea inuenit paralyticum in templo. Sic nos, postquam gratia aliqua à Domino ornati fuerimus, primo id agere debemus, vt referamus ei gratias non lingua tantum, sed etiam religiosa conuersatione, frequentando Ecclesias, & vitam nostram in meliorem commutando.

MEDITATIO XXVIII.

DE SERMONE CHRISTI IN MONTE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Matt 5. Luc. 6. I. *Christus in monte Octo beatitudinis genera exposuit: Beati pauperes, mites*, &c.

II. *Eos hortatur vt acceptis donis rectè vtantur:* Sic luceat &c. vt glorificent Patrem.

III. *Osten-*

III. *Ostendit non soluere se legem, sed implere: vnde etiam inimicos diligendos esse ostendit.*

PROPHETIÆ.

1 *SVper montem excelsum ascende, tu qui euangelizas Sion.* Esa. 40.

2. *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum. Hæc est via, ambulate in ea & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Esa. 30.

3. *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas.* Psal. 24

DOCVMENTA.

1. CHristus mundo traditurus doctrinam de Euangelicis consilijs, relictis turbis in valle, ascendit cum discipulis in montem: vt significaret, eum, cui incumbit munus alios docendi iustitiam & vitæ perfectionem, debere ascendisse virtutum culmen, & verba sua probare exemplo; sic vt plus operibus doceat quam verbis: qui enim ambulat per valles vitæ æternæ, & loquitur de rebus cælestibus, non tam alios instruit, quam se ipse arguit. Nam vt de montibus rectè loqui non potest, qui habitat in vallibus, sic de rebus cœli non rectè loqui potest, qui mente defixus est in terra.

2. Si

2. Si regnum cœlorum est paupertatis voluntariæ præmium, quia merito cœlestia debentur illis, qui contempserunt terrena; qua ratione cogitant se ad cœlum peruenturos, quorum studium & cura omnis posita est in accumulandis & possidendis bonis terrenis?

3. Si pauperibus spiritu, hoc est, humilibus promissum est mercedis loco cœlum, & mitibus possessio terræ, superbis & iracundis quid aliud supereſt, nisi infernus?

4. Si qui in hoc mundo lugent, consolabuntur in altero, quem exitum sperare possunt, qui risu & recreationibus per omnem vitam dediti sunt, nisi æternum luctum & planctum, secundùm illud dictum sapientis. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Prou. 14

5. Beati, inquit Dominus, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, vt indicet, non satis esse si velimus iustitiam, sed opus esse vt magno & acri desiderio in illam feramur; nec vnquam putemus nos satis esse iustos: sed crebris precibus, continuoque bonorum operum exercitio omninò in iustitia progressum faciemus secundùm scripturæ consilium. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Apo. vl.

6. Dominus misericordiarum, dum beatos prædicat misericordes, facilè indicat, neminem obtenturum misericordiam, si ipse erga alios non fuerit quoque misericors. Quare si proximis fuerimus crudeles, non remittendo illis iniurias, nec in necessitatibus subueniendo, planum est, nullam quoque nobis misericordiam demonstrandam esse ab alijs.

7. Beati mundo corde. Vt beati simus non sufficit, vt simus mundi in verbis & operibus sed opus est, vt cor quoque sit mundum, id est, inten-

intentio sit recta, & conscientia pura sine remorsu peccati : nam sicut peccatum esse non potest, si cor immundum non sit : sic opus bonum esse nequit, si cor mundum non fuerit.

8. Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur. Officium filij Dei fuit, non solùm esse pacificum in se, sed etiam in alijs, pacificando videlicet homines cum Deo: sic nos verè erimus pacifici, & digni nomine filiorum Dei, quando non solùm in nobis habebimus pacem, sed efficiemus quoque, vt proximi nostri reconcilientur cum Deo.

9. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Reiecit Dominus hanc virtutem in vltimum locum, quæ est perfectio omnium relinquarum : nam qui ad hanc paratus est, omnes alias iam habet : contra, qui non est ad hanc paratus, nullam reliquarum habet. Frustra igitur persuademus nobis & gloriamur nos esse humiles, mites, misericordes & pacificos, si quando vel verbulum aliquod nobis sine causa obijcitur, vel minima contumelia afficimur, mox conuolamus ad arma, & nulla ratione eam volumus inultam relinquere.

MEDITATIO XXIX.

DE ORATIONE DOMINICA.

PVNCTA MEDITATIONIS:

I. *Cum Christus aliquando orasset, rogarunt eum Discipuli, vt ipsos doce-* Luc. 11. Matt. 6.

ret orare; sicut Ioannes suos docuerat.

II. *Præmissa monitione, ne ad pompam & ambitionē orent, sicut Ethnici &c. præscribit septima petitione.*

III. *Petitionē quintam explicans docet omnem iniuriam proximo esse remittendam, aut* DEVM, *nobis non remissurum.*

FIGVRA.

Deut. 31 MOYSES iussu Dei docuit filios Israel canticum in quo summa legis continebatur, vt facilius eam memoria retinerent.

PROPHETIÆ.

Hier. 3. *Ibid.* A *Modo vocabis me:* PATER MEVS, *patrē vocabis me, & post me ingredi non cessabis.*

DOCVMENTA.

1. HÆC Oratio est excellētissima, 7. de causis. 1. ob auctorem Christum. 2. ob breuitatem. 3. ob sufficientiam eorum, quæ petuntur. 4. ob mirabilem ordinem. 5. ob singularem eius efficaciam. 6. ratione necessitatis. 7. ob copiam mysteriorum (vt SS. Trinitatis, Redemptionis &c.) quæ hic continentur. Vt eam sæpius, & magno cum effectu vsurpes.

2. PATER Iure vocatur propter beneficium creationis, redemptionis, & hæreditatis æternæ. Vide sis filius omnem spem in illum coniiciendo, ad eum recurrendo, &c.

3. NOSTER, Communis omniũ ob gratiam cœlestem, & Spiritum sanctum cordibus infusum, vt omnes amore prosequamur.

4. QVI ES IN COELIS, Patefaciendo singulariter in cœlo corporeo, gloriam suã, & in iustis (qui etiam cœli sunt) suam potentiam. Vt pudeat nos hic in terra hærere, sed potius cogitatione saltem in cœlis habitare.

5. SANCTIFICETVR, Si creaturæ omnes, quantum in se est, DEVM laudant, multo magis homo, Christianus id conari debet. 1. vt sit Sanctus coram Deo. 2. vt nomen Dei sanctè in se conseruet, & sit perfectus Christianus. 3. Sanctè inuocet. 4. Vbique maiorem gloriam quærat. 5. cum affectu & deuotione nominet. 6. Corde, ore, & opere glorificet.

6. ADVENIAT REGNVM, Vt peccatum, aut passiones inordinatæ in te non regnent sed DEVS per fidem viuã, caritatẽ eius & gratiam infusam toto vitæ tempore, eoque absoluto, regni cœlestis ac sempiterni particeps fias.

7. FIAT VOLVNTAS TVA. Non in alijs tantum, sed in te præcipuè, vt nihil aliud velis, quam DEVS vult, seruando omnia eius mandata, omnemque perfectionem acquirendo; vt Angelorum instar, Deo obsequaris.

8. PANEM NOSTRVM, Vt tibi ac proximis donet nõ tantùm præsentis vitæ necessaria, (quo melius illi seruias;) sed multò magis, panem illum *Verbi Dei, & SS. Eucharistiæ* supersubstantialẽ largiatur, quibus vitam diuinam in te retineas, augeas, atq; sanctitate crescas.

9. ET DIMITTE NOBIS &c. Quoniam pro peccatis, quæ hactenus pro tua fragilitate, malitia, &c. contraxisti, per te satisfacere non potes; quærenda est frequenter atque humiliter à Deo misericordia; quam vt facilius assequaris, dimitte ex animo omnes offensas, à quocunq; tandem irrogatæ tibi fuisse videantur, gaudendo dari occasionem, vt condonando, tu ipse veniam lucreris.

10. ET NE NOS INDVCAS &c. Quia nulla, in hac vita, est vera securitas, sed vbique pericula peccati, ad quod homo per se procliuis est ex infirmitate naturæ, passionibus inordinatis, malis habitibus, ac tentationibus à mũdo, carne, ac Diabolo procuratis; diuina potentia necessaria est, non quidem vt nullo modo tentemur, sed vt Deus ita nos sua gratia roboret, ne penitus vincamur. Sed potius faciat cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere.

11. SED LIBERA NOS, &c. Tum vt nobis bona, hactenus explicata, contingant, tubiatis eorum contrarijs, imò à malis pœnæ eximat, si ita saluti nostræ prodesse viderit. Quod item de honore, prosperitate, aliisque quę vulgo bona dicuntur, intelligi debet; ne illa nos in perniciem ac damnationis æternæ periculum deducant. Denique liberet nos & à pœna purgatorij, & multo magis à pœnis inferorum; quin & ab ipso Dæmone, qui quod ad omne malum nos (quantum potest) instiget, vere MALVS appellatur.

MEDI-

MEDITATIO XXX.

DE MVNDATIONE LEPROSI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Domino de monte descendenti occurrit leprosus, qui procidens in faciem adorauit dicens: Si vis, potes me mũdare.* Matt. 8. Luc. 5.

II. *Respondens* IESVS *dixit: Volo mundare.*

III. *Sic sanato mandat, vt nulli dicat; sed ostendat se sacerdotibus, in testimonium illis.*

FIGVRA.

NAAMAN Syrus existẽs leprosus abijt quæsitum Heliseum Prophetam per quem à lepra mundatus est. 4. Reg. 5

DOCVMENTA.

1. CHRISTVS post traditam doctrinam descẽdit ad turbas & miraculorum operationem: vnde hauriuntur duo documenta. Alterum pro hominibus spiritualibus, qui tendunt ad vitæ perfectionem, vt dum necessitas proximi ita postulat, supersedere debeant exercitijs internis, alijsq; sanctis occupationibus, & demittere se ad iuuãdas animas

proximorum. Alterum est pro Prælatis & Euangelij prædicatoribus, qui ad imitationem Christi opere debent præstare, quod verbis alios docuerunt.

2. Leprosus non petijt absolutè à Christo, vt se mundaret, sed dixit. *Si vis potes me mundare*, vnde discimus, quando aliqua ægritudine corporali grauati sumus, non debere nos à Deo absolutè petere sanitatem; sed committere ipsius beneplacito, vt faciat quod magis conueniat nostræ saluti.

3. Christus non refugit tantopere leprosum, quem Scribæ & Pharisæi vix dignabantur aspicere: vt daret nobis exemplum benignitatis, & commiserationis, ne facilè ab infirmitatibus aliorum quantumuis horrendis & abominandis abhorreamus.

4. Christus sanans leprosum attigit eum manu; vt indicaret quàm magna infirmitas sit peccati, quod per illam lepram fuit significatum. Nam velut lepra ex omnibus morbis, maximè est abominabilis & curatu difficilis: Sic quãdo peccatum illabitur in animam, ita eam contaminat, & dæmonis potestati subijcit, vt opus sit manu Dei & auxilio speciali, vt homo ab eo liberari possit.

5. Lepra corporalis, secundùm Scripturam, quinque modis fuit curata. Primò lauando se aqua, vti fecit Naaman Syrus. Secundò, ostendendo se sacerdotibus, vt fecerunt decẽ leprosi. Tertiò separando se ab aliis, vt Maria soror Moysis. Quartò, abscõdendo se, vt manus Moysis, quam abscondit in sinu. Quintò, tactu manus Domini, vt hic leprosus. Sic nos quinque modis mundamur à lepra peccati; Primò lachrymis cõtritionis, quæ lauant animum. Secundò, ostendendo se sacerdoti per Confessionem.

4. *Reg.* 5.
Gen. 14.
Iu. 12.
Exod. 4.
Luc. 17.

nem. Tertiò, si pœnis & censuris Ecclesiasticis separemur à consortio fidelium. Quartò, ingressu & clausura religionis. Quintò, quando Dominus nos aut internis inspirationibus, aut flagellis tribulationum tangit.

6. Christus mandauit leproso, ne manifestaret hoc miraculum, ad nos commonefaciẽdos, ne prædicandis diuulgandisq; nostris bonis operibus ostentationem & gloriam aucupemur, sed desideremus potius ea hominibus esse abscondita, soli autem Deo patere secundùm illud consiliũ Euangelicum. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Matt. 6.

7. Nos quando infirmi sumus, recordamur Dei, eumq; inuocamus cum magno emẽdandæ vitæ desiderio; at post recuperatam valetudinẽ obliuiscimur omnium: & ideo Christus, vt doceret nos, æquè tempore sanitatis ac ægritudinis Dei meminisse, eiq; gratias agere mãdauit leproso, vt offerret Deo aliquod munus, gratiasq; pro beneficio sanitatis accepto ageret.

8. Christus ideo mittebat leprosos ad Sacerdotes & mandabat vt offerrent sacrificium vt intelligeret peccator, etiamsi quando à Domino per contritionem tactus est, expurgetur à peccati lepra, se nihilominus obligatum esse vt se offerat Sacerdoti per confessionem, vt expleat satisfactionem, quæ ab illo ei imposita fuerit.

9. Christus in ciuitate & locis publicis prædicabat, & infirmos sanabat, sed postea in desertum, vel montem se recipiebat adorandum, vt daret nobis exemplum vtriusque vitæ, actiuæ, & contemplatiuæ, atquę intelligeremus non debere nos ita deditos iuuandis proximis, vt negligamus studium orationis ad iuuandos nos ipsos: & contrà ne ita diditi

simus orationi, vt proximos negligamus. Itaq; ita partiri debemus occupationes, vt amor Dei nõ impediat amorem proximi, nec amor proximi imminuat, vel etiam impediat amorem Dei.

MEDITATIO XXXI.

DE SANATO SERVO CENTVRIONIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Matt. 8. Luc. 7. I. *Centurio Christum rogat per seniores Iudæorum, vt seruum sanet: respondet Christus se venturum.*

II. *Hoc intellecto, deprecatur Centurio per amicos dicens: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum.*

III. CHRISTVS, *hanc fidem hominis gentilis miratus dixit Iudæis multos venturos ab Oriente & Occidente, vt recumbant in regno Cœlorum, filijs regni foras eiectis.*

PROPHETIÆ.

Esa. 33. 1. ET *erit fides in temporibus tuis, diuitiæ salutis, sapientiæ & scientiæ.*

Esa. 43. 2. *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te.*

3. *Ecce*

3. *Ecce isti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & isti de terra Australi.* Esa. 49.

DOCVMENTA.

1. CENTVRIO reputans se indignum quod Christum adiret, misit populi seniores, qui implorent eius opem pro seruo: sic nos quando obnoxij sumus peccatis, & existimamus nostras preces indignas præsentia Domini, confugere debemus ad auxilium Sanctorum, vt eorum meritis & intercessione facilius aditum habeamus ad diuinam misericordiam, & gratias eas impetremus, quibus alioquin nos per demerita indignos censebamus.

2. Ex hoc facto Centurionis tam sollicitè pro curanda valetudine sui serui, discere & nos debemus, vt misericordiam erga seruos & omnes subditos exerceamus, maximè quando in aliqua sunt necessitate: & non facere more quorundam hominum inhumanorum, qui seruos dum infirmantur, aut negligunt, aut domo exturbant.

3. Centurio dixit Christo, Puer meus iacet in domo paralyticus. Magna verè infirmitas est animæ, quando iacet in domo, hoc est, quando interius per prauas cogitationes vel desideria delinquit: sed multo grauior & lethalior redditur, quando extra domum delinquit exemplo malorum operum vel verborum proximos scandalizando.

4. Seniores rogabant Christum, vt gratiam illam faceret Centurioni, quod amaret ipsorum gentem, & ædificasset ipsis synagogam. Illi merentur tempore aduersita-

tis in suis precibus exaudiri à Deo, qui tempore prosperitatis Dei memores fuerunt & in operibus pietatis, caritatisque Christianæ se exercuerunt.

5. Centurio sanitatem seruo suo restitui petijt à Christo, Primò cum humilitate, nam dixit, non sum dignus. Secundò cum resignatione; nec enim absolutè eam restitui petijt, sed tantum certiorem eam reddidit de serui infirmitate. Tertiò cum fide: credebat enim eũ vno verbo posse à Christo sanari: Vnde discimus quo modo dona temporalia à Deo sint postulanda. Primò cum humilitate, agnoscendo nos ad ea obtinenda indignos. Secũdo cum resignatione, committendo nos iudicio & beneplacito Dei, qui nouit optimè quid nobis magis cõueniat. Tertiò, cum fide, firmiter credendo, quod facere possit, & facturus sit quod vtilius erit animæ nostræ.

6. Christus respondit Centurioni. *Ego veniam & curabo eum.* Hic discimus à Redemptore nostro, non parui facere pauperes & infimæ conditionis homines, sed potius erga illos maiorem declarare charitatem, magis benignos & humanos illis se ostendere. Hoc enim maius erit nostrum meritum, quo maior eorum fuerit necessitas: illi enim cum non habeant quod rependere valeant, Deus se eorum loco faciet nostrum debitorem: vt ipse monet nos in Euangelio.

7. Dixit Centurio: *Habeo sub me milites, & dico huic, Vade & vadit, & alij, Veni & venit.* Talis & tu esse debes erga tuos superiores, nempè prompte obsequendo illis in omnibus, quæ imperarint: & multo etiã magis erga Deum Dominum nostrum. Eandem quoque subiectionem procurare debes in teipso,

vt

vt videlicet, animæ tuæ potentiæ & affectus ita sint ordinati & compositi, vt sine difficultate obsequantur rationi.

8. De hoc infirmo primo Euangelium commemorat fuisse puerum, vel quod idem est, seruum. Secundò iacuisse. Tertiò fuisse paralyticum, id est, non potuisse vllum corporis membrum commouere. Quartò, malè fuisse illo morbo tractatum. Sic miser peccator, per hunc infirmum significatus, Primò est seruus peccati, imò tot Dominorum seruus est, quot vitia & passiones in eo dominantur. Secundò iacet quia non stat erectus instar iustorum: sed procumbit humi totus corde & affectu immersus rebus huius mundi. Tertiò est paralyticus, id est, ad omnia bona opera impotens; nullum enim eius opus potest esse meritoriũ. Quartò male torquetur, & affligitur continuò conscientiæ stimulo passionibus, & desiderijs, multoq; timore, & anxietate ad acquirenda & conseruanda bona temporalia.

MEDITATIO XXXII.

DE FILIO VIDVAE RESVSCITATO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Domino in Naim cum turba euntí occurrit pompa funebris, filium vnicum Viduæ ad tumulum deferens.*

II. *Videns matrem dixit: Noli flere*

& tangens loculum ait: adolescens, tibi dico, surge; qui resedit & cœpit loqui.

III. *Accepit omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: Propheta magnus surrexit, &* DEVS *visitauit plebem suam.*

FIGVRA.

3. Reg. 17 ELIAS vadens Sareptam Sidoniorum ciuitatem, resuscitauit filium viduæ Sareptanæ, & viuum restituit matri suæ.

DOCVMENTA.

1. IS cui Christus occurrit, erat adolescens & defunctus. Vnde primò docemur quod ad mortem corporalem attinet, omnes etiam iuuenes & sanos debere vigilare, cogitareque aliquando esse moriendum horamque mortis esse incertam, quandoquidem hic homo in suæ ætatis flore vitâ defunctus est.

2. Cum certissimum sit nos morituros: experientia enim quotidiana, qua videmus ante oculos homines mori, non patitur nos de ea re dubitare: omnis cura & studium nostrum in hoc positum esse debere, vt moreremur in Domino: in scriptura enim beati dicuntur, qui in Domino moriuntur, nullum autem præstãtius & securius ad hanc rem medium est, quã viuere piè, dum sani sumus, & pœnitentiam non prorogare in finem.

3. Christus mandauit Viduæ, ne fleret, simul cohortans nos omnes, ne immodicè deploremus nostros defunctos, sed potius spe futuræ

futuræ resurrectionis nos consolemur. Nam infideles & Ethnici, qui spem talem non habent merito deplorant mortuos suos, nos vero qui credimus, certissimamque putamus esse resurrectionem nostram, nullam mœrendi causam habemus.

P. Christus misertus matris resuscitauit filium. Optimum est nos esse vnitos Sanctæ Ecclesiæ matri nostræ, tanquam filios obsequentes: qui si aliquando per peccatum incurramus mortem spiritalem, quid nobis miseris fieret, si hæc misericors mater suis precibus & lachrymis Dei misericordiam non inflecteret ad resuscitandum nos, & diuinæ gratiæ vitam nobis reddendam?

5. Tunc defunctus extra portam ciuitatis elatus est, quando homo aliquo suorum sensuum qui sunt quasi animæ portæ, Deum lethaliter offendit, vt quando peruersa intentione, vel prauo desiderio oculos in aliquem defigit: quando disseminat discordias inter fratres, quando contumeliosè loquitur de Deo vel proximo: quando libenter aures præbet detractionibus, & prauis colloquijs, & similiter quando reliquos sensus non custodit, patefaciendo aditum morti animæ suæ.

6. Hic defunctus resuscitatus fuit à Christo sub porta ciuitatis. Laboremus & nos, interea dum peccatum mortale est sub porta, dum tentatio est in principio, & Dominus remorsu conscientiæ tangit cor, vt subito surgamus & occasionem peccandi fugiamus; antequam Dæmon in executione operis nos illaqueet, & postea per prauam consuetudinem omni remedij spe abiecta in sepulchrum æternæ damnationis nos pertrahat.

7. De hoc defuncto scribit Euangelium, Primo, quod

mò, quod Christus accedens tetigerit loculũ. Secundò, quod adolescens surgens resederit. Tertiò, quod cœperit loqui. Quartò, quod restitutus sit matri suæ. Sic peccatorem primò Christus prævenit sua gratia, & per peccati agnitionem suæque salutis desiderium tangit eius cor. Secundò per pœnitentiam & dolorem de peccatis peccator surgit. Tertiò incipit loqui, accusando se in confessione. Denique beneficio absolutionis & satisfactionis matri suæ Ecclesiæ viuus restituitur.

Matt. 9. Luc. 7. Ioan. 11.

8. Tres mortuos excitauit Christus. Primum intra domum. Alterum in porta vrbis. Tertiũ iam sepultum fœtentem. Primus designat peccatum cordis, quod committitur consensu interno & prauis cogitationibus. Secundus quando peccatum verbo & opere prauo foras prodit. Tertius, quando peccatorem quasi sepultus in habitu, & mala consuetudine peccandi, per malum exemplum, quo alios corrumpit, fætet: Omnes hos sanat & resuscitat Dominus, quando verè pœnitentes redeunt ad ipsum. Sed tanto facilius excitantur per gratiam quanto minùs debilitati & mortificati sunt per culpam.

9. Vidua quia defleuit mortem sui dilecti filij, meruit vt Christus misericordia motus, eum resuscitaret: sic tu si animam tuam amas quando aduertis te esse in aliquo peccato mortali, doleas & deplores eius mortem,

vt merearis diuinæ misericordiæ tactu à Christo ad vitam reuocari.

MEDI-

MEDITATIO XXXIII.
DE CONVERSIONE MAGDALENAE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Christo accumbente in domo Pharisæi Magdalena peccatrix cum vnguento est ingressa.* Luc.7.

II. Stans retro, cæpit pedes eius rigare lachrymis &c.

III. *Contemptam à superbo Pharisæo defendit Christus & ipsi peccata remittit.*

FIGVRA.

MVlier Sunamitis mortuo suo filio, abijt quęsitum Prophetam Helizęũ, & prostrata ante illum apprehendit pedes eius amarissimè plorans, nec dimittere voluit, nisi secum iret ad resuscitandum filium. 4. Reg.4

PROPHETIÆ.

1. *IN caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Iere. 31.

2. *Postquam cõuertisti me, egi panitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum* Ibid.

meum, confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.

Esa. 27. 3. *Mediata est in spiritu suo per diem æstus, idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob: & iste omnis fructus, vt auferatur peccatum eius, cum posuerit omnes lapides altaris, sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci & delubra.*

Psal. 44 4. *Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.*

Psal. 121 5. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.*

DOCVMENTA.

1. PEr pedes Domini designantur pauperes, qui sunt quasi infima pars sui corporis mystici. Itaque peccator si velit obtinere peccatorum suorum veniam, adiungere se debet ad hos pedes, visitando illos, & cognoscendo eorum necessitates, rigare debet lacrymis, miserando eorum ærumnas: tergere capillis, suis bonis temporalibus subueniendo & pedes osculari, signa beneuolentiæ & humanitatis demonstrando, quando in suis necessitatibus ad eum recurrunt. Deniq; debet vnguento vngere, confortando & consolando illos in suis calamitatibus.

2. Tunc exemplo pœnitentis Magdalenæ, proximi sumus pedibus Domini, quando per veram pœnitentiam conuersi insistimus eius vestigijs, quibus ante eramus contrarij, cum non viam Christi, sed mundi teneremus: tunc sacrum eius corpus inungimus, cum sancte viuendo

rendo odore virtutum nostrarum bonum exemplum damus fidelibus, & Ecclesiæ, quæ est corpus Christi mysticum.

3. Ab hoc Magdalenæ facto omnis peccator sumere debet formam agendæ pœnitentiæ. Nam sicut illa peccando Deum offendit oculis, capillis, manibus, ore, & vanis corporis odoribus, conuersa vero oculis lachrymauit, capillis pedes Christi tersit, manibus mundauit, ore deosculata est, & odorifero vnguento tinxit; Sic peccator, sicut Deum offendit culpa, ità conciliare eum debet contraria pœna, exercendo se in ijs virtutibus, quæ repugnāt vitijs à se commissis: mediaque omnia, quibus male vsus est ad irritandum Deum, conuertere in totidem media virtuti consentanea ad Dei cultum & gloriam.

4. Christus non solùm benignè suscepit hanc peccatricem, sed passus est etiam, vt faceret, quicquid vellet: ad dandum nobis exemplum, ne duri & asperi in peccantes simus, sed potius clementes & misericordes, compatiendo eorum fragilitati, vt hac ratione suauiter pertrahantur ad Christum, nec veniant in desperationem; Si enim nos ipsos considerauerimus, intelligemus facilè & nos in similes aliquando calamitates incidisse, aut certè cadere aliquando posse.

5. Christus Pharisæum, à quo erat inuitatus arguit de tribus defectibus. Primò, quod pedes suos ex itinere lassos non lauisset. Secundò, quia osculum amicitiæ symbolum non dedisset. Tertiò, quod caput oleo non vnxisset, vt significaret ad hospitalitatem requiri tres conditiones. Primò misericordiam, lotione pedum significatam. Secundo charitatem, significatam osculo, quod est signum amoris.

Tertiò

Tertiò, iucũdã tractationẽ, qua hòſpites sũt recipiẽdi, ſignificatã oleo, quo caput inũngitur.

6. Hoc Magdalenæ facto, vt quod tanta exiſtens peccatrix miſericordiam conſecuta ſit, & non ſolùm peccata ei condonata ſint, ſed etiam ad tantam ſanctitatis perfectionem aſcenderit, vt æquata ſit Apoſtolis, Deus indicare voluit, nullum peccatorem quantumuis maximum debere deſperare, cũm fieri poſſit, ſi ſibi deeſſe nolit, vt multos alios ſanctos, non æquet ſolum, ſed etiam ſuperet. Contra pij & ſancti non debent nimium ſibi confidere, quia ſi ſegnes ſint, fieri poteſt, vt publicani & meretrices eos prẽueniãt ad regnũ cœlorũ.

7. Magdalenam licet peccatricem non puduit quærere Chriſtum in domo Phariſæi, & in præſentia omnium conuiuarum ſe humiliare & ad pedes eius lachrymari: ſic nos, quãdo lapſi ſumus in aliquod peccatum, pudere non debet, medicum ſpiritualem adire, & noſtra errata ei aperire, multo verò minus, propter hominem dicta, opera ſatisfactoria pro peccatis, negligere: nam ſi homines calumnientur, laudabimur cum Magdalena à Chriſto, & in omnium Angelorum præſentia aliquando in cœlo ab eodem honeſtabimur.

MEDITATIO XXXIV.
DE MVLIERE QVAE B. VIRG. COLLAVDAVIT.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Matt. 12. *Marc.* 3, *Luc.* 11. I. *Chriſto concionante, extollens mulier vocem dixit:* BEATVS VENTER, *qui te portauit & vbera &c.*

II. *Cui*

II. *Cui Christus, immo beati, qui audiũt verbum Dei & custodiunt illud.*

III. *Alteri nuncianti matrẽ ac fratres velle ei loqui, respondit: Ecce mater mea, & fratres mei: quicunq; enim fecerit voluntatem patris, ille meus frater, soror, & mater est.*

PROPHETIA.

AVris audiens beatificat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi. Iob. 29.

DOCVMENTA.

1. CHristus vocat beatos, qui audiunt & custodiunt verbum Dei, vt intelliganmus, vt simus beati, non satis esse audire verbum Dei, hoc est, credere, nisi opere quoque præstemus. Sicut & Christus non vocauit fratres suos, vel matrem suam eos, qui tantum sciunt, sed qui etiam faciunt voluntatem patris sui.

2. Hæc mulier, interea dum Scribæ & Pharisæi tentant & criminantur CHRISTVM, remoto omni timore elata voce in præsentia omnium incipit eum laudare, ad confusionem multorum Christianorum, qui dum audiunt blasphemijs lædi nomen Dei, magnaque iniuria & cõtumelia affici, ne os quidem aperi re audent, sed transeunt atque si ad eos non pertineret diuini nominis patrocinium.

3. Euangelium ait, Matrem & fratres Christi stetisse foris, ad significandum homines Ecclesiasticos & religiosos debere efficere, vt eorum parentes & cognati stent foris, hoc est

ab iis

ab iis, quantum fieri potest, remoti, si non loco, saltem corde, quātum ad affectum carnis. Solet enim dæmon maximè Prælatis procurare magnam cognatorum turbam, vt nimio affectu, quo erga illos feruntur, eorum sanctitatem obscuret, & auxilium, fructumq; animarum impediat.

4. Christus monitus, matrem & fratres exposcere suum alloquium, non tamen prædicationem suam interrupit, vel omisit; præbens nobis exemplum, vt in bonis operibus inchoatis perseueremus, nec aliquo respectu hominum vel temporalis commodi prætermittamus: Frustra enim incipit aliquis ieiunare, orationi se dare, viuere pie, vel seruire Deo in statu religioso, si postea acquiescens mundi carnisque suggestionibus, respiciat retro, & sanctam vitam inchoatam deserat: cùm dixerit Dominus, eum qui manum miserit ad aratrum, & respexerit retro, non esse aptum regno Dei.

5. Christus vocauit fratres suos, & matrem, qui faciunt voluntatem Patris sui, vt nos doceret, non esse ex solo timore pœnæ vel spe præmi seruiēdum Deo more mercenariorum, sed amore filiali, velut mater seruit filio, & frater fratri.

6. Christus declarauit se pluris facere illos, qui spiritu sibi coniuncti erant, quàm proprios parentes secundum carnem; vt intelligamus, neminem debere nimium confidere in sanctitate suorum parentum, si ipse bonus non sit, & voluntatem diuinam præstare negligat; potest enim fieri vt parentes sint magni Sancti in cælo, ipse verò detrudatur in infernum.

7. Ex hoc Christi facto discimus res spirituales anteponendas temporalibus, sic, vt neque

que propter parentes vel cognatos, vel alia de causa prætermittamus, quod iudicamus ad cultum Dei & animæ nostræ salutem pertinere. Vnde quoque haurimus, quanta reprehensione digni sint ecclesiastici & religiosi, qui dum vacant orationi, vel diuinum officium recitant, illud ex quauis leui causa interrumpunt, vel imperfectum relinquunt.

MEDITATIO XXXV.

DE NAZARENIS CHRISTVM PRÆCIPITARE DE MONTE volentibus.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Veniens in patriam Nazareth ac synagogam Sabbato ingressus, legit ex Isaia c. 6. Spiritus Domini super me, propterea vnxit me, & misit me Euangelizare. &c.* Matt. 13 Marc. 6. Luc. 4.

II. *Dicente autem ipso: Hodie impleta est hæc scriptura, & docẽte populum, mirabantur, vnde hãc doctrinam haberet; adeo vt nullum miraculũ faceret dicens: Nemo propheta sine honore nisi in patria sua &c.*

III. *Quo audito, ira repleti, eiecerunt eum extra ciuitatẽ ducentes ad superciliũ mõtis, vt præcipitarẽt eũ &c.*

FIGV-

FIGVRÆ.

*Gen.*12. MAndauit Deus Abrahæ, vt exiret de terra sua & cognatione sua, se eum apud exteros facturum in gentem magnam.

Gen. 37. 2. Ioseph in patria, & domo propria à fratribus suis per inuidiam persecutionem passus & afflictus est, sic vt è vita eũ tollere voluerint, sed in AEgyptum abi-
Gen. 41. ens à Pharaone honoratus & exaltatus est.

*Ier.*29. 3. Ieremias cum prædicaret Iudæis, eorumque incredulitatem argueret, totusque populus in eum accẽderetur ira, captus est, vt è viuis tolleretur.

PROPHETIÆ.

Hie. 18. *NVnquid redditur pro bono malum, quia*
Psal. 37. *foderunt foueam animæ meæ.*

2. *Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquarunt & steterunt.*

DOCVMENTA.

1. VErbis Prophetæ Esaiæ à Domino allegatis, & primò, quod missus sit ad Euangelizandum pauperibus. Secundò, ad sanandum contritos. Tertiò, ad prædicandã captiuis remissionem. Quartò, ad restituendũ cæcis visum. Quintò, ad liberandos oppressos. Sextò, ad prædicandum annum retributionis, indi-

indicantur sex conditiones conuenientes in Prælatos. Prima est, subuenire, & solari eos qui sunt in paupertate & ærumna. Secunda, confortare pœnitentes spe veniæ. Tertia, inuisere & iuuare captiuos. Quarta, instruere ignorantes. Quinta subleuare oppressos. Sexta, excitare negligentes, & tepidos timore pœnæ, & spe præmij.

2. Christus post apertum sacræ Scripturæ librum, cùm quædam prælegisset, placuit & clausit illum, ad significandum non omnia omnibus promiscuè prædicanda, sed cuique quod conuenit eius capacitati & dispositioni.

3. Christus post lecta verba Prophetæ, non dixit de se scripta esse, sed quod tunc temporis impleta esset illa prophetia. Vnde discimus, quam modestè & humiliter loqui debeamus de rebus nostris, quæ pertinent ad aliquam nostram laudem vel honorem; hoc est; vt ita dicamus veritatem, ne videamur nosipsos prædicare vel extollere.

4. Dixerunt Nazareni Christo. *Quanta miracula audiuimus facta in Capharnaũ, fac & hic in patria tua.* Capharnaum idẽ est, quod campus pœnitentiæ: Nazareth verò, terra florida. Christus fecit multa miracula in Capharnaum, quia libenter moratur in animis eorum, qui pœnitentiam agunt, communicando illis multa gratuita beneficia: Contra in Nazareth nullum fecit miraculum, vt significaret, se longe abscedere ab ijs qui vitam delicatam inter flores ducunt, & dicunt, sicut scriptum est, Coronemus nos rosis antequam marcescant, & bonis huius vitæ fruamur. Cũ his non habitat Christus, nec vllis suæ diuinæ gratiæ dona communicat.

5. Nazareni verbis Christi offensi mon-

tem ej

tem ei intentarunt: sic hodie multi faciunt, qui nolunt sibi ea dici, quæ non arridenr: & si veritas illis proponatur, turbantur & obmurmurant, ipsosq; concionatores & veritatis defensores persequuntur.

6. Christus Nazarenis se præcipitare volentibus non restitit, non vltus est, nec reprehendit, sed quietè per medium illorum transeundo, recessit: hac re informans nos, ne vlciscamur iniurias nobis illatas, sed potiùs dissimulemus, patientia nostra malignitatem & duritiem aduersariorum nostrorum vincendo.

7. Quatuor modis intentata est mors Christo: nam quidam voluerunt eum occidere gladio, vt Herodes, alij lapidare, vt Iudæi, alij præcipitare, vt Nazareni. Alij denique cruci affixerunt: Sic homo impius & peccator tunc crucifigit Christum, quando peccata, semel condemnata rursum committit; tunc vero occidit gladio, quando eum blasphemat: tunc lapidat quando in peccato est obstinatus: tunc denique præcipiat, quando desperat.

8. Nazareni Christum, cum declararet scripturas testificantes ipsum esse verum Messiam in lege promissum, cum gloria quadam admirabantur & laudabant: vt verò incredulitatem eorum coarguit, eum eiecerunt, & de monte præcipitare voluerunt. O quot nostrum similes sumus Nazarenis, qui, dum ab alijs quædam dicuntur in nostram laudem vel honorem vergentia, eos laudamus & prædicamus; dum vero ab ijsdem nobis celatur veritas, mox capitali odio eos prosequimur.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

MEDI-

MEDITATIO I.

DE ELECTIONE XII. APOSTOLORVM; ET MISSIONE AD PRÆDICANDVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. IESVS *præmissa per noctem oratione, monteque conscenso, elegit Apostolos 12. qui cum ipso essent.* *Marc. 3. Luc. 6.*

II. *Videns turbas afflictas misit Apostolos ad prædicandum, dans eis potestatem in malos spiritus & morbos.*

III. *Mittens eos binos præcepit, ne quicquam secum ferrent, irentq; ad solos Israelitas, non Gentiles.*

FIGVRAE.

1. IACOB Patriarcha habuit duodecim filios, qui fuerunt duodecim illi Patriarchæ, à quibus totus Dei populus originem habuit. *Gen. 35. Exod. 1.*

2. Moyses misit duodecim exploratores ad considerandam terram promissionis, quam postea erat occupaturus. *Num. 3.*

3. Salomon constituit duodecim præ- *3. Reg. 4*

fectos super vniuersum populum Israel, quorum officium erat domui regiæ prouidere ad victum necessaria.

PROPHETIÆ.

Hier. 6. *CONstitui super vos speculatores, audite vocem tubæ.*

Esa. 62. 2. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes tota die, & tota nocte, in perpetuum non tacebunt.*

Psal. 44 3. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram.*

Hier. 3. 4. *Dabo vobis Pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.*

DOCVMENTA.

1. CHRISTVS electurus duodecim Apostolos, in oratione pernoctauit, vt suo exemplo declararet, quid nobis agendum sit. Si enim Dominus nostræ salutis procurandæ causa totam noctem in precibus consumit, quid orare, quidque agere conueniet nos pro ea ipsa salute? Et si Christus prius orauit, quàm Apostolos ad prædicandum amandauit, quãto magis nos in actionibus nostris, si quod nobis bonum opus perficiendum erit, prius debemus nos Domino per orationem commendare?

2. Christus antegressa prolixa oratione elegit Apostolos, vt doceret nos, Prælatos & ministros Ecclesiæ non esse eligendos per respectus humanos, multò verò minus per alia illicita media, sed per orationem, in ea ob oculos ponendo tanto màiorem Dei gloriam, & animarum salutem.

3. Chri-

3. Christus in monte elegit Apostolos, eosq; instituit, quomodo se gerere debeant; vt indicaret Prælatos & Pastores Ecclesiæ, vti sunt in excelso dignitatis gradu, sic alios omnibus quoque præstare debere doctrina & vitæ sanctitate; vt suo exemplo, & institutione gregem quoq; Domini dirigere & deducere possint ad res sublimes & cœlestes; nō autem esse similes ijs, qui nomen quidem Prælati sibi vendicant, sed animum & cor abiectum & depressum habent in terram.

4. Christus prædicando circuiens, vt vidit turbas instar ouium pastore carentium iacentes, misit Apostolos, vt eas spiritualiter instruerent, & quando opus erat cibo corporali eas refecit: hoc boni nimirum pastoris officium est, semper quidem subditos doctrina spiritualiter pascere, aliquando verò etiam quando opus est corporaliter, auxilio temporali: & non facere, quod quidam faciunt, lupi potius, quàm Pastores, qui seipsos potius quàm gregem pascunt, & non solum non docent & corrigunt suos subditos, sed prauo etiam exemplo scandalizant, eorumque profectum impediunt.

5. Christus missurus Apostolos ad prædicandum, dixit eis, vt orarent Dominum, vt mitteret operarios ad messem suam. Sæpè Dominus, etsi præstare aliquid velit, tamen vult à nobis rogari vt præstet: quod facit ad charitatem nostram excitandam, & meritum augendum, vt fideles sui non solùm ratione boni operis, sed etiam ratione bonæ voluntatis remunerentur.

9. Mandauit Dominus Apostolis ne per viam quicquam secum ferrent, ad informandum suos Prædicatores, tantum debere eorum

esse fiduciam in Deò, vt, etiamsi ipsi non prospicerent sibi de rebus in hanc vitam necessarijs, tamen certò credant sibi nihil defuturum; Quod ideò constituit Dominus, ne si mentem distinerent cura rerum temporalium, langueſcerent in cura rerum cœlestium & æternarum alijs procurandarum.

7. Si Christus vetuit Apostolis vti duabus tunicis, ne fortè destituerentur rebus necessarijs, quo magis reprehensione digni sunt, qui non modo binas, sed ternas etiam, & quaternas vestes habent, non ex timore, ne destituantur necessarijs, sed ostentatione, & pompa, implendo arcas & onerando equos pretiosis vestibus: pauperibus interim CHRISTI manentibus nudis & frigore morientibus.

8. Christus sola sua voluntate, nullo ipsorum id desiderante vel postulante, misit Apostolos ad prædicandum, qui postea magno cum fructu redierunt. Vnde colligimus prælaturas, dignitates, & officia Ecclesiastica non esse desideranda, nec procuranda, sed nec vllo modo quenquam ad ea obtinenda debere se ingerere, sed totum relinquere diuinæ ordinationi, vt Dominus faciat, quod ad maiorem suam gloriam, nostramque salutem cedit. Si verò non vocati irruamus in illa, verendum est, ne nobis exitio, alijs verò exiguo adiumento simus.

(.·.)

MEDITATIO II.
DE 5000. HOMINVM REFECTIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Rogabant* IESVM *discipuli, vt dimitteret astantes turbas.* *Matt.14 Marc.6.*

II. *Panes quos habebant sibi afferri, eosque benedicens discumbentibus distribui iussit.* *Luc.9. Ioan. 6.*

III. *Comederunt, & saturati sunt, & superfuerunt cophini 12.*

FIGVRÆ.

1 DIXIT Deus Moysi, vt toti multitudini filiorum Israel ad mensem vnum daret manducandas carnes. Cui respondit Moyses. *Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis, dabo eis esum carnium mense integro, nunquid ouiũ & boum multitudo cadetur, vt possit sufficere ad cibum?* *Num.11*

2. ELIAS farinam viduæ Sareptanæ ita multiplicauit vt satis esset ad alendum ipsum, totamque familiam in multum tempus. *3. Re. 17*

4. Reg. 4 3. ELISÆVS mandat ministro suo, vt duodecim panes hordeaceos sibi oblatos distribuat populo ad manducandum: Cumque minister dixisset. Quantum est hoc, vt apponam coram centum viris, respondit Propheta. Da populo vt comedat. Comedent, & supererit, sicut & factum est.

PROPHETIÆ.

Psal. 36. 1. IN *diebus famis saturabuntur.*
Psal. 21. 2. *Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.*

DOCVMENTA.

1. QVATVOR beneficijs afficiebat Christus suos sectatores. Primò de via fessos recipiebat. Secundò rudes instituebat. Tertiò ægros curabat. Quartò fame pressos pascebat. Sic bonus Prælatus gerere se debet erga suos subditos : vt primò humaniter suscipiat ad se confugientes. Secundò sapienter instruat ignorantes & errori obnoxios. Tertiò efficaciter sanet in spiritu infirmos. Quartò, verbo Dei oues suas spiritualiter pascat, atque etiam corporaliter reficiat ex bonis superfluis, quæ in hunc finem Ecclesia ei attribuit.

2. Apostoli, licet numero essent duodecim, tamen tantum quinque panes hordeaceos & duos pisces secum tulerunt, quia, cum continenter refectione spirituali à Domino recrearentur, non admodum sollicitì erant de corporali. Longè aliter multi, etiam ex

ex ijs qui professionē faciunt sequendi Christum, agunt, nam vti per negligentiam & teporem animi exiguum gustum habent rerum spiritualium, ita toti dediti sunt tantum procurandis commodis & delitijs temporalibus.

3. Christus accepto pane ad pascendas turbas primò gratias egit Patri, informans nos, vt ante refectionem corporalem Domino gratias agamus. Vnde valde conueniens est, vt exemplo CHRISTI Domini nostri antequam mensæ accumbamus, vel cibum sumamus, illum benedicamus, & postea gratias agamus Deo, à quo hoc & alia omnia beneficia habemus.

4. Christus acceptos panes & pisces dedit discipulis suis distribuendos in turbas: vt indicaret bona temporalia à Deo Prælatis & Pastoribus Ecclesiæ, Apostolorum successoribus data, eo fine data esse, vt distribuerentur in pauperes. Vnde proprium eorum officium est ministrare & cibum præbere subditis, non autem ministrari, & pascere semetipsos, conuenienter illi quod de se Christus dixit. *Non veni ministrari, sed ministrare.* *Ezec. 34* *Mat. 20*

5. Postquam turbæ satiatæ sunt, implêrunt Apostoli ex collectis reliquijs duodecim sportas; quod erat multo amplius quinque panibus distributis. Quare Dominus significare voluit, quam magna & copiosa merces operibus caritatis in proximos præstitis rependatur, quodque nostra bona temporalia, quando ea communia facimus pauperibus, non imminuantur, sed crescant potius & multiplicentur.

6. Locus, in quo Christus tam copiosè refecit turbas, vt loquitur Euangelium, erat

desertus, & longe remotus à locis inhabitatis: vt ex hoc miraculo serui Dei discant non desponderе animum, cum se vident penuria pressos, sed confidere in Deo, qui possit etiam in loco, vbi nec seminatur, nec metitur, seruos suos pascere, & omnibus rebus necessarijs locupletare.

7. Euangelium habet in hoc conuiuio fuisse quinque millia virorum, non facta mentione mulierum & paruulorum. Quo indicare voluit Spiritus sanctus si cupiamus gustare quàm suauis sit Dominus, & diuinis suis delitijs pasci, opus esse vt præstemus nos viros, hoc est, fortes contra tentationes & afflictiones huius vitæ; non delicatos aut molles, vt sunt mulieres & paruuli.

8. Illi quoque qui refici volunt pane gratiæ spiritualis, & dignè adire mensam Domini, considere debent cum his turbis in fæno, id est, corpori suo dominari & carnem suam per fœnum significatam, iuxta illud: *Esa.* 40. *Omnis caro fœnum*, mortificare, deprimendo illam & spiritui subijciendo.

9. Christus animaduertens turbas ob hoc miraculum se velle facere regem aufugit, præbens nobis humilitatis exemplum quemadmodum suscipere debeamus labores & onera, fugere autem dignitates & honores: sicut ipse quæsitus ad passionem & mortem, voluntariè obtulit seipsum, sed quæsitus ad *Ioan.* 18. regnum & honores effugit. Voluit quoque fugere post peractum opus tam miraculosum, ad informandum nos suo exemplo, vt in bonis operibus fugiamus vanam gloriam, & fauorem humanum sicut alibi sæpius verbis docuerat.

10. Chri-

10. Christus discipulis nauem ingressis, conscendit montem, & in eo solus orauit, ad docendum nos; vt post editum præclarum aliquod opus à turba recedamus, & nostri ipsorum considerationem ingrediamur, examinantes errata & defectus, quos in conuersatione hominum commisimus.

11. Christus non solum declinauit turbas, quæ eum volebant facere regem, sed etiam se separauit ab Apostolis, & solus se in montem recepit, vt turba, quæ Apostolos sequebatur, eum inter illos inuenire non posset. Quare voluit nos instruere, non solum non ambiendos esse à nobis honores, & oblatos repudiandos, sed etiam omnes occasiones remouendas, ob quas compelli possimus ad eos recipiendos neque facere, quod faciunt multi, qui professione religiosi declarant quidē, vel fingunt se nec velle, nec quærere dignitates; tamen non fugiunt occasiones, imò sollicitè quærunt, & vltro se ingerunt. Et vbi oblata fuerint officia vel dignitates, promptissimè accurrunt, & manibus pedibusq; cum gratiarum actione pro summo beneficio acceptant.

MEDITATIO III.

DE AMBVLATIONE CHRISTI SVPER AQVAS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Christus discipulis in nauiculam abire iussis, dimissâ turbâ ascendit solus in montem orare.* Mat. 14. Marc. 6.

II. *Cum agitaretur noctu nauicula, ipse venit, ambulans super aquas. Vnde perterrefacti discipuli, phantasma esse iudicabant.*

III. *Postquam dixit,* Ego sum, nolite timere. *S. Petrus ambulare cœpit super aquas, sed ob modicam fidem mergebatur.*

PROPHETIÆ.

Iob. 9. 1. *QVI extendit cœlos solus, & graditur super fluctus maris.*

Psal. 76 2. *In mari via tua, & semita tua in aquis multis & vestigia tua non cognoscentur.*

Esa. 43. 3. *Noli timere, quia meus es tu, cum transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te.*

DOCVMENTA.

1. NAuigantibus discipulis sine Christo, subitò in eos exorta est tempestas. Vide quàm sit res periculosa ambulare sine Christo: vnde quando incipimus nos discedere ab oratione & Sacramentorum frequentatione, quibus communicatur nobis gratia, diuinumque auxilium, magnam causam timendi habemus, ne multis tentationibus impetamur, & salutis nostræ periculum facilè incuramus.

2. Quamuis discipuli multùm laborarent *Psal. 45.* & sudarent, tamē nihil sine Christi auxilio effi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ficere poterant. Vnde cognoscimus in nostris tentationibus industriam laboresque nostros, non sufficere sine auxilio Christi ad eas repellendas. Quare omne studium nostrum coniunctum esse debet fiduciæ in Domino, qui est nostrum refugium, nostra fortitudo, nostrũ auxilium.

3. Christus cùm discipuli tota nocte laborassent in mari, tãdem sub finem se visendum præbens, liberauit eos. Vt doceremur, quando tentatione aliqua, vel ærumna concutimur, non statim animum despondere, si Dominus in principio non succurrat, sed patienter expectare & in eum confidere: nam licet in breue tempus differat auxilium, tamen tandem copiosa consolatione & auxilio moram compensat.

4. Solet quoque Dominus differre auxilium eorum qui tribulationibus agitantur vt ex vna parte agnoscentes suarum virium imbecillitatem, occasionem habeant se humiliandi; ex alia verò videndo non suppetere auxilium nisi à Deo, discant ad eum confugere. Solet præterea id Dominus facere ad probandam suorum seruorum fidelitatem, eosdemq; ampliori corona remunerandos, quo maiores eorum extiterint labores.

5. Sæpius legimus in Euangelio nauiculam Apostolorum ventorum vi in periculum veniisse, nec tamen submersam: nam Dominus, vti promiserat, semper suis adest. Quare, licet in maximis tribulationibus versemur, & periculosis tentationibus agitemur, non tamen idcirco nos derelictos arbitremur, sed recordemur eius quod scriptum est. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* Mat. vl. Psal. 92

6. Nauicula Apostolorum non vehebat homines segnes, sed fortes & validos, qui, vt habet Euangelium, inter aduersos ventos remigabant. Quo significatum est, non molles & otiosos, sed in aduersitatibus perferendis fortes, & in operibus bonis præstandis constantes ad æternæ salutis portum in Ecclesia Dei prouenturos.

7. Christus, cùm aduenisset ad auxilium discipulis præstandum, visus est eis phantasma. Hoc mundi huius malum est, vt licet periculis plenus sit, nec remedium habere possit nisi à Christo, tamen res diuinæ, & opera Christiano homine digna ab eo reputentur phantastica & hypocritica, & ideo homines cum magno suo spiritali detrimento ab illis abhorrent. Contra res & processus huius mũdi in prudentia carnis fundati habentur ab eis pro bonis & honore dignis, & idcirco eas persequuntur, & cum exitio animarũ suarum amplectuntur.

8. Quando timori discipulorum accessit terror ex insolita apparitione Christi, tunc præsens eis adfuit auxilium. Sic multis exemplis Scripturæ discimus, quando tribulationes, ærumnæ & pericula ad summum peruenerunt, proximum adesse diuinum auxilium & remedium, & ideo nunquam desperare debemus, ille enim, vti scriptum est, noster est

Psal. 9. *adiutor in oportunitatibus, in tribulatione.*

9. Petrus ambulans supra mare nullum damnum ab aquis passus est, sed tantum à ventis, quorum vi ferè submersus est; sic homines spiritales & religiosi, qui per mundi contemptum pedibus suis conculcant rerum caducarum vndas, etsi ab illis nullum patian-

tiantur damnum, tamen multum reformidare debent, ne vento ſuperbiæ euertantur & ſubmergantur.

10. Aquæ, ſupra quas ambulauit Petrus, deſignant multitudinem populi. *Aquæ multæ, populi multi.* Illi ergo optant ambulare cum Petro ſuper aquas, qui aucupantur principatus, Prælaturas, & gubernationem populi, atque id non ad ſeruiendum Deo, & ob amorem Chriſti, vt fecerat Petrus: ſed propter dignitatem ipſam, vt in maiori ſint honore, vt mundo celebriores, atque etiam ad capiendos piſces, hoc eſt, ob vtilitatem, quam ex ſubditis capere poſſunt. Iam ſi Petrus amore Chriſti, & à Chriſto vocatus committens ſe aquis, periculum ſubmerſionis adijt, quid fiet illis, qui ob finem non bonum & à Chriſto non vocati, ſe ipſi ingerunt & proijciunt in mare?

MEDITATIO IV.

DE FILIA CANANAEAE A CRISTO SANATA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. IESVS *domũ quidẽ ingreſſ⁹, voluit latere. Sed Cananæa à finib. ſuis egreſſa, eodem veniens rogabat pro filia.* Matt. 15 Marc. 7.

II. IESV *non reſpondente, rogabãt pro ea diſcipuli, ſed Chriſtus ait, ſe miſſum ad Iſraelitas non ad Gentes.*

III. *Matre persistente, & increpationem humiliter ferente, ait: Magna est fides tua, fiat sicut vis.*

FIGVRÆ.

4. Reg. 4 MVlier Sunamitis filio mortuo domi relicto, quæsitum abijt Helizæum Prophetam, abijciensque se cum multo dolore & lachrymis ad eius pedes non ante dimittere eum voluit, quàm se ad resuscitandum filium suum conferret.

PROPHETIÆ.

Thren. 3 1. *BOnus est Dominus sperãtibus in eum, animæ quærenti illum.*

Ibid. 2. *Non repellet in sempiternum Dominus, quia abiecit, & miserebitur secundùm multitudinem miserationum suarum.*

Ibid. 3. *Noui diluculo, multa est fides tua.*

Psal. 101 4. *Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum.*

DOCVMENTA.

1. CAnanæa ad impetrandam salutem filiæ egressa est è finibus Tyri & Sidonis, regione gentilium. Non potest salus animæ obtineri in Tyro & Sidone, vbi Deus non cognoscitur nec colitur. Quare cùm nec in mun-

mundo cognoscatur Deus, sed potius offendatur, facile intelligis te in eo non posse consequi salutem animæ tuæ. Egredere ergo cum Abrahamo de terra tua, & cum Loth de Sodoma & Gomorrha, & cum filijs Israel ex Ægypto, & denique cum hac Cananæa de finibus Tyri & Sidonis, & subito occurres Christo Saluatori tuo.

2. Cananæa petitura à Christo sanitatem filiæ, egressa est è finibus gentilium. Quo significatum est, animæ peccatrici, si obtinere remissionem peccatorum & gratiam Dei velit, non satis esse, desistere à prauis operibus, sed etiam egredi debere ex confinibus peccati, id est, occasiones peccandi defugere.

3. Cananæa, quia bene intelligebat, quanta molestia dæmon filiam afficeret, cum fiducia accurrit ad CHRISTVM, & liberationem imperauit. Malè habet peccator, quando non agnoscit suam ægritudinem, & afflictionem animæ suæ; multò verò peius, quando de sanitate desperat, pessimè denique quando medicum aspernatur.

4. Cananæa Christo filiæ ægritudinem exaggerauit dicens eam pessimè à dæmone tractari. Disce tu quoque peccator non excusare, sed potius exaggerare grauitatem peccatorum tuorum coram Deo, eaque syncerè confiteri, detegendo omnia vulnera, sordesque animæ tuæ: & confide quo amplius exaggeraueris infirmitatem tuam, hoc certius te inuenturum remedium.

5. Cananæa, mulier gentilis non ausa adire Christum ad postulandam pro filia gratiam; primo adijt Apostolos, qui cùm pro illa interceſſissent, ausa est se ad CHRISTI

pedes

pedes abijcere. Sic homo peccator, quando ob enormitatem suorum scelerum agnoscit se conspectu Dei indignum, quem offendit, confugere debet ad eius Sanctos, vt, cùm eorum intercessione placatus fuerit, maiore fiducia ad eum recurrere possit, & scelerum suorum condonationem obtinere.

6. Cananæa prius credidit Christum posse sanare suam filiam, & postea accessit. Secundò sæpius repulsa, perseuerauit in sua petitione. Tertiò confessa est se indignam gratia, quam petebat, comparans se catello contento micis de mensa cadentibus. Vnde discimus tres virtutes necessarias ad impetrandam à Domino gratiam. Primò fidem; vt firmiter credamus Dominum posse, & velle largiri quod petimus, si saluti nostræ sit conueniens. Secundò
Pro. 26. patientiam, ne langueſcamus in petendo, etiamsi statim voto non potiamur. Tertiò humilitatem, vt agnoscamus nos vere esse canes, eò quod more canum sæpe ad vomitum peccati redierimus, & ideò existimantes nos diuina misericordia indignos, præstolemur
2. Pet. 2. gratiam non pro nostris meritis, sed ex pura misericordia & bonitate Dei.

7. Apostoli dixerunt Christo, vt mulierem illam post ipsos clamantem dimitteret. Si volumus Sanctos orare pro nobis, & à Deo exaudiri, conuenit, vt exemplo Cananææ duo faciamus. Primò, clamemus, hoc est, vt orationes nostræ non tantum è labris, sed ex intimis cordis penetralibus proficiscantur. Secundò vt clamemus post Sanctos, id est, conemur eorum vestigijs insistere, imitando exempla virtutum & sanctæ vitæ ab ijs nobis relicta, vt hortabatur Apostolus illis verbis.
1. Cor. 11. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

8. Cana-

8. Cananæa licet gentilis & idololatra, perseuerando in precibus obtinuit à Christo quicquid voluit. Tantum efficit apud Deum perseuerantia, vt quicquid homo à Deo poposcerit ad salutem spectans, & in oratione ad ipsum & Sanctos perstiterit, etsi Deus videatur exauditionem differre, tandem tamen prolixè obtineat, etiamsi esset Cananæus aut canis immundus.

9. Si bonum non est; vt dixit Christus, sumere panem filiorum, & mittere canibus, qua ratione bonum esse poterit permittere, vt fame moriantur pauperes filij Dei & fratres tui, canes verò & equi tui pinguescant & incrassentur? Vide igitur quemadmodum expendas facultates à Domino tibi commissas, & eo fine concessas, vt ex eo quod tibi superest, etiam communices pauperibus.

10. Cananæa post impetratam à Christo gratiam, inuenit filiam suam à dæmonio liberã in lecto iacentem. Quamdiu anima obsessa est à dæmonio peccati mortalis, non aliter diuexatur, quàm hæc filia: nam, vt dicit Propheta, *non est pax impiis*: Peccatores non possunt habere pacem, eò quod dæmon, cui per peccatum sunt subiecti, non potest relinquere pacem animæ; sed nunc eam in terram deijcit per opum terrenarum desideria, nunc aquis vanitatis immergit, nunc in ignes iræ & vindictæ, nunc in fœtida sepulcra carnalitatis eam detrudit. E contra tunc anima iacet, & quiescit, quando immunis est à culpa mortali, sicut dixit Propheta. *Cum dederit dilectis suis somnum:* nempe magnæ pacis, & quietis in conscientia. *Esa.* 48. & 57. *Psal.* 126

MEDI-

MEDITATIO V.
DE SVRDO ET MVTO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Marc. 7. I. *Christo, ad mare ambulanti offerunt surdum & mutum, precantes vt manus ei imponat.*

II. *Ei, à turba seducto, tactis auriculis & lingua, ait: Epheta, adaperire:*

III. *Sublatis impedimentis loquebatur rectè; cumque rem cœlari vellet, eam ipsi magis prædicabant dicentes:* BENE *omnia fecit. &c.*

PROPHETIÆ.

Esa. 35. 1. *DEus ipse veniet, & saluabit nos. Tũc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; & aperta erit lingua mutorum.*

Sap. 10. 2. *Sapientia aperuit os mutorum.*

DOCVMENTA.

1. QVI adduxerunt hunc infirmum ad Christum, orarunt pro illo, & Dominus eum liberauit. Quo docemur, si quando obtinere velimus gratiam aliquam vel

vel auxilium à Domino, non debere tantum nos ipsos illum orare, verum etiam sanctis vti intercessoribus, vt per eorum orationes mereamur obtinere quod petimus.

2. Christus sanaturus hunc hominem, semouit eum à turba. Si sanari velimus à Christo, & liberari à peccatis, necesse est, vt secedamus à turba, hoc est à praua societate, fugiamus tumultus mundi, & omnes peccandi occasiones, nam scriptum est *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicat superbo, induet superbiam, & amicus stultorum similis efficietur.* Eccl. 13. *Corrumpunt enim,* vt loquitur Apostolus, *bonos mores colloquia praua.* 1. Cor. 15 Et contra scriptum est. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens est.* Prou. 13.

3. Christus expuit, & saliua sua attigit muti linguam. Vnde discimus, vti stomachus purgatur prauos humores exspuendo: sic ad purgandum stomachum conscientiæ, per confessionem euomenda esse foras peccata nostra, vt simus liberi à dæmonio muto, quod ipsorum peccatorum laqueis ligatam tenebat animam nostram.

4. Dominus liberaturus hunc infirmum suspexit in cœlum & ingemuit. Vnde discimus, quoties in ærumna aliqua corporali vel spiritali sumus, vnicum remedium esse attollere oculos in cœlum, & cum gemitu ad auxilium diuinum confugere: nam si in terrā oculos defigamus, nullum inde suppetet auxilium, quod de cœlo tantum venit à Patre luminum, à quo *Omne datum optimum, & omne* Iacob. 1.

omne donum perfectum. Et idem dixit Pro-
Psal. 121. pheta. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.*

5. Christus quoque respexit in cœlum, & gemuit, ad docendum peccatorem, vt vtrumque præstet, nempe, vt sic deploret peccatum suum, ne de venia desperet, confidendo diuinæ misericordiæ, nec faciat quemadmodum
Matt. 27 Iudas, qui doluit quidem, seque pœnitere demonstrauit de peccato, sed non suspexit in cœlum: quia desperauit, & malè vitam clausit.

6. Hic homo primò recuperauit auditum & deinde loquelam, vt intelligamus nos, antequam idonei simus ad loquendum de rebus diuinis, & ad alios exhortandos, debere prius esse discipulos, & primo habere aures patulas ad audienda quæ Deus in nobis loquitur, & in nobis ipsis illa meditari, quàm alios doceamus.

7. Post factum miraculum, partim Christus vetuit illud publicari, partim turbæ illud publicè prædicarunt & Christum collaudarũt. Vbi primo à Christo discimus, quantum studium adhibere ad conseruandam humilitatem debeamus, ex parte nostra omnem laudẽ propriam defugiendo & vanam gloriam, adoptando vt bona opera nostra lateant, atque ipsi in notitiam hominum non veniamus. Secundò discimus à turba, vt conemur grati esse pro beneficijs à Domino receptis, laudando eũ & benedicendo in æternum. Deinde vt zelum habeamus tuendi alterius honorem & bonam famam, nos ipsos semper demittendo, & præferendo ac honorando alios.

8. In hac oratione à Christo facta expressus est modus, quo homo peccator seipsum sanctifi-

ctificare possit; ad quam sanctificationem octo concurrunt, duo ex parte nostra, & sex ex parte Dei. Primò igitur turbæ adducunt infirmum ad Christum eumque precantur vt velit eum curare: atque hæc sunt adiumenta, quæ habemus à concionatoribus, alijsque hominibus pijs: deinde preces Ecclesiæ, orationes Sanctorum, & hominum iustorum, pro nobis supplicantium, vt exhortatur S. Iacob. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Secundò adductus est hic homo ad Christum, quo significatur liberi arbitrij nostri concursus: neque enim satis est alios hortari nos, & precari pro nobis, sed opus est nos quoque diuinis inspirationibus consentire, & sponte Christum adire, remouendo occasiones peccandi, & faciendo quicquid ex parte nostra possumus. Atq; hæc duo requiruntur ex parte nostra. Ex parte verò Dei, Primum est, quod illum separauit à turba, vti legimus eũ fecisse cum Abrahamo, cui dixit. *Egredere de domo tua.* Quod Deus facit, vt diuellat nos à conuersatione huius mundi, saltem animo; affectum nostrum abstrahendò à cupiditate rerum terrenarum, sicut ipse dixit. *Ego ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* Secundò immisit digitos suos in aures huius surdi. Quod facit Deus nobis, quando Sancti spiritus suis donis, per digitos significatis aperit aures intellectus, vt intelligere possimus veritatem, & quod Deus in nobis loquitur. Tertio saliua attigit linguam huius muti, saliua designat sapiẽtiam, ab intellectu, velut saliuam à capite profluentem, qua Deus voluntatem nostram ad benefaciendum inclinat, impertiens simul voluptatem & facilitatem

Iacob 5.

Gen. 12.

Ose. 2.

Rom. 5. tem in agẽdo. Quartò, Christus respexit in cœlum, quia gratia cum aliis donis cœlestibus venit de supernis, & à Deo infunditur. Quinto, Christus ingemuit, quia eadem gratia à Deo nobis communicatur propter meritum passionis Christi. D.N. & gemituum ipsius. Sexto, dicit Dominus Epheta, quo demonstratur Sacramentorum necessitas, quorum forma ita instituta est in prolatione verborum, vt ea peracta homo interius efficiatur sanus & liberetur à peccatis, non secus quàm hic mutus & surdus, ad prolationem verbi Epheta à Domino factam, ab omni infirmitate sanus factus est. Post hæc omnia Christus mandauit ne miraculum hoc manifestaretur, vt indicaret opus nostræ iustificationis in hac vita esse occultum, nam vt scriptum est,

Eccl. 5. *nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit.*

MEDITATIO VI.

DE CONFESSIONE PETRI ET AVCTORITATE EI DATA à Christo.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Matt. 16 Mar. 18. I. *Christo roganti, quid homines de ipso dicerent? responderunt discipuli: alij Heliam, Ieremiam aut vnum Prophetarum.*

II. *Petrus autem ait: Tu es Christus filius Dei Viui, quem ideo Christus beatum dicit.*

dicit, & Ecclesiam super ipsum ædicandam promittit, contra quam portæ inferi non prævalebunt.

III. *Addit se daturum ei claues regni cœlorum, vt quod soluerit super terram, sit solutum in cœlis.*

FIGVRÆ.

1. IAcob benedicens suos filios, vt ad Ioseph̃um super alios omnes amatum peruenit, post datã ei copiosam benedictionem, & mentionem persecutionis fratrum factam, subiecit. *Inde egressus est pastor lapis Israel.* *Gen. 49.*

2. Deus in veteri lege potestatem dedit sacerdoti iudicandi leprosos, includendo & condemnando eos qui in lepra perseuerabant: liberando eos & mundando illos qui signa sanitatis monstrabant. *Leu. 13.*

3. Deus dedit potestatem Eliæ prophetæ orationibus suis claudendi & aperiẽdi cœlum, vt dimitteret vel non demitteret pluuiam, prout illi videbatur. *3. Re 17. & 18.*

PROPHETIÆ.

ECCE *ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosũ in fundamento fundatum.* *Esa. 28. 1. Pet. 2. Act. 3.*

DOCV-

DOCVMENTA.

1. PEtiuit Dominus, quam opinionem de se haberet populus, ad informandos Prælatos & Doctores, omnesq; qui curam habent alios gubernandi in temporalibus vel spiritalibus, vt studeant explorare hominum de se opinionem, non per iactantiam, aut ob illicitum aliquem finem, vt quidam faciunt; sed ad emendandos suos defectus, si essent, remouendasque mali occasiones: & si foret aliquid boui præ manibus, illud in aliorum ædificationem & vtilitatem promoueant.

2. Christus ab Apostolis exegit rationem fidei turbarum, ad quas instruendas à Domino erant missi; vt intelligant Prælati sicut ad ipsos pertinet docere subditos; ita quoque apud Deum de earum fide & moribus rationem reddituros, & si contingat eos in instituendo populo fuisse negligentiores, aliquando pœnã luituros.

2. Christus interrogans discipulos, quæ turbarum de se esset opinio, appellat se humili nomine & vili, nempe filium hominis. Contra Petrus respondens eius interrogationi, appellat Messiam & filium Dei viui: Qua re docemur, semper debere nos submisse loqui de nobis, & si fortè ob opus aliquod bonum diuina gratia adiuuante à nobis præstitum, mereamur aliquam laudem, illam conuenit ab alijs potiùs, quàm à nobis enuntiari secundum illud: *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus & non labia tua.* Prou. 27

4. Turbæ vti non erant sub vno capite, sed inter se diuisæ, ita non vna quoq; erat earum fides

fides & opinio de Christo. Contra Apostoli sicut erant vniti sub vno Magistro Christo, ita vna erat omnium fides & opinio, vnius Petri ore explicata, qui loco Christi omnium caput erat, vnde intelligimus, in sola Ecclesia Catholica & Apostolica, quæ vnita est sub vno capite Christi Vicario fidei vnitatem inueniri, & consequenter veritatem, quæ esse non potest nisi vna, confessa & tradita ab ipso Christi Vicario, capite omnium fidelium. Verum alij qui sunt extra Ecclesiam, ab hoc capite & ab hac vnione Apostolica separati, vti nullam habent vnionem, ita nullam possunt habere veritatem. Atque ideo varia est eorum fides, dissimilia quoque singulorum de Christo iudicia, deque religione, vt liquet in hæreticis & schismaticis.

5. In quæstione proposita, quæ esset opinio hominum de se, Dominus discrimen aliquod fecit inter turbas, & suos discipulos vt eiusmodi qui plus luminis & plura beneficia à se recepissent: Quo indicaret se plura exigere à Religiosis & Ecclesiasticis, alijsque quos in hac vita præstantioribus donis & charismatis ornauit, quàm ab alijs, quibus non tam multa impertijt, conuenienter illi quod scriptū est. *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commodauerunt multum, plus petent ab eo.* Luc. 22

6. Christo rationem exigenti de fide Apostolorum, etsi omnes idem crederent, solus tamen Petrus, vt caput omnium, respondit, vnde & Dominus illi, sigillatim dixit factam reuelationem à Patre cælesti. Quæ ex re perspicuè colligitur ad Petri successorem imprimis pertinere solutionem controuersiarum de fide, alijsque rebus ad eam pertinentibus; vtpote il-

te illum, qui speciatim à spiritu sancto ad hoc instruitur & dirigitur. Et eadem de causa Dominus voluit Petrum esse Apostolorum Principem, vt Ecclesia haberet caput, vicarium suum, ad quod membra eiusdem Ecclesiæ possint in dissidio aliquo habere suum perfugiũ.

*Matt.*18 7. Etsi omnes Apostoli habuerint à Christo potestatem remittendi peccata: tamen Petro singulatim Dominus tradidit regni cœlorum claues & potestatis iudiciariæ principatum: vt intelligerent fideles omnes, quotcunque quocunque modo ab vnitate fidei suæ secesserint, & à sua societate separauerint, non posse vllo modo se, laqueis peccati exuere, ac multo minùs cœlestis regni portam intrare.

8. Christus dum collaudat Petrum vocando eum beatum, simul occasionem humilitatis præbet dicens: *Quia caro & sanguis non reuelauit tibi.* Vnde discere possumus, quàm parci esse debeamus in laudandis alijs: quando autem conueniens est, laudare aliquẽ ob bonum opus præstitum, ita fieri debet, vt ille non inde occasionem capiat vanitatis sed humilitatis potius, transcribens quicquid factum est auctori Deo, *à quo est omne datũ optimum & omne donum perfectum.*

*Iac.*1.

9. Simon, quando confessus est Christum, mutatum est nomen, & vocatus est ab eo Petrus, vt ex memoria impositi nominis meminisset esse constans, & perseuerare in confessione facta; sic quilibet fidelis ex memoria nominis Christiani in baptismo recepti, deinde ex obligatione eiusdem nominis, quando promisit se renunciaturum diabolo, & omnibus pompis eius, meminisse deberet esse constans, & facere satis promissioni tunc factæ, cum

cum voluntate imitandi, conuenienter nomini suo, non mundi vanitates, sed Christi virtutes.

10. Christus mutauit nomen Simonis, vocando eum Petrum; hic enim est mos Dei, imponere nomina conuenienter officijs quæ exercere debent. Vnde merito pudefieri, deberent multi Christianorum parentes, qui cũ profiteantur se sequi Christum, eiusque Sanctos, nec aliud putentur facturi eorum filij, tamen non Christianorum aut Sanctorum, sed gentilium, vel alia vana huius mundi nomina illis imponunt.

11. Dominus primo Petrum fecit petram, & postea super illam fundauit Ecclesiam. Vnde discere debent, qui a Deo electi sunt ad aliquod officium, quantumuis sublime & arduum, non mox trepidare, aut animum despondere: nam qui eos elegit; non destituet quoq; viribus vel præsidijs necessarijs ad munus suum exequendum; qui vero electi non sunt, sed vltro se ingesserunt, magnam trepidandi causam habent.

MEDITATIO VII.

DE TRANSFIGVRATIONE DOMINI IN MONTE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Assumptis Iesus charissimis tribus discipulis, Petro, Ioanne & Iacobo:* trãsfiguratus est ante eos.

II. *Loquebatur cùm Moſe & Helia.*

III. *Rogante Petro vt fierent ibi tria tabernacula, inſonuit vox de cœlo:* Hic eſt filius &c. *vnde conſternati diſcipuli, promi collapſi ſunt, quos tangendo Chriſtus, dixit:* Surgite *&c.*

FIGVRA.

Exod. 34. MOyſes, cũ in monte cum Deo loqueretur, facta eſt facies eius ſplendida.

PROPHETIÆ.

Pſal. 88. 1. THabor *&* Hermon *in nomine tuo exultabunt.*

Pſ. 103. 2. *Confeſsionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento.*

Pſal. 2. 3. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.*

Deut. 18 4. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies.*

DOCVMENTA.

1. CHriſtus demonſtraturus diſcipulis ſuã gloriam, eos deduxit in locum excelſum, & ſeparatum; vt intelligeremus, ſi nos quoque illius participes eſſe velimus debere nos ab hominum mundanorum turba, & ſe-

& seculi tumultibus secedere, & conferre nos ad culmen perfectæ vitæ : nam qui animum habent in terram depressum, suasque voluptates quærunt in hoc mundo, non cogitent se visione diuinæ gloriæ, minus autem diuini vultus conspectu fruituros.

2. Christus inter orandum transfiguratus est in monte. Vnde discimus, si velimus in nobis aboleri malam figuram, quam effecit peccatum, & transfigurari vnà cum Christo, debere nos addictos esse sancto exercitio orandi: quãdoquidem sicut proprius conuersationis mũdanæ effectus est denigrare animam, sicut propheta de Babylonijs, qui erant typus peccatoris loquitur. *Facies combustæ vultus eorum,* *Esa. 13.* sic conuersationis diuinæ proprius effectus est dealbare animam in actionibus tam internis, quàm externis, vti significauit propheta in illis verbis: *Accedite ad eum, & illuminamini:* *Psa. 33.* sicut accidit quoque Moysi, cuius facies post sermonem cum Deo habitum, mirè resplenduit.

3. Tres tantum discipuli meruerunt videre Christi transfigurationem : vt intelligamus paucos esse, qui peculiaribus quibusdam donis ornentur à Domino. Cuius causa est, quia pauci sunt qui omnino mundo & sibiipsis renuntient, & Christum in sectanda vita perfecta sequantur.

4. Christus in præsentia paucorum declarare voluit suam gloriam, nempe, tribus tantum discipulis, quibus etiam mandauit, ne cuiquam, donec ipse viueret, patefacerent hãc visionem : ad informandos nos, vt optemus, quoad fieri potest ea quæ conciliant nobis honorem & gloriam apud homines, manere occulta & ignota : nec ea manifestemus nisi

paucis quando postulabit necessitas, multi enim, quia facile dona sua à Deo accepta alijs publicarunt, illis exciderunt: nam qui inquit S. Gregorius, thesaurum portat in publico, exponit se periculo, ne priuetur illo.

5. Christus existens in gloria, voluit illos prophetas secum colloqui de sua passione, ad dandum exemplum eius, quod multo ante dixerat Sapiens, *In die bonorum ne immemor sis malorum.* Et sic necessarium est, vt inter vitæ huius voluptates & consolationes misceamus semper aliquam amaritudinem, ne excæcemur, reuocando nimirum, in memoriam mortem, quamq; rationem aliquando reddituri simus Deo, de occasionibus quas ad nos iuuandos præbet. Deinde vt parati simus ad perferendas aduersitates si quas Dominus nobis immittere vellet.

Eccl. 11.

6. Petrus videns Christum glorioſum, dixit. *Domine bonum est nos hic esse tecum,* sed postea tempore passionis eum captum deseruit & aufugit. O quot hodie inueniuntur, qui amore proprio pleni tantisper Christum sequuntur, & colunt dum prosperè omnia succedunt & solatia affluunt, sed quamprimũ afflictio aliqua aliunde ingruit, eum mox derelinquunt!

7. Euangelium refert Petrum ignorasse quid diceret. Si hic Apostolus ob consolationem ex gloria Christi perceptam nesciebat quid loqueretur: quanto verius dici poterit de nobis, cùm huius vitæ illecebris & rerum creatarum solatijs affixi sumus nos ignorare quid dicamus vel agamus: nam inhiando falsis illis bonis non aliud, quàm nobis ipsis exitium & damnationem vltro accersimus, licet minimè animaduertamus.

MEDI-

MEDITATIO VIII.
DE ENERGVMENO SANATO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Christo è monte descendenti (omnibus stupentibus) oblatus est à misero patre filius lunaticus vt eum sanaret.* Mat.17. Marc.7. Luc. 9.

II. *Christus monens patrem vt credat, præcepit Spiritui malo, vt exiret, nec amplius rediret.*

III. *Discipulis rogantibus cur ipsi eijcere eum nequiuissent, Respõdit 1. ob defectum fidei. 2. quia tale genus non eijcitur nisi in oratione & ieiunio.*

FIGVRA.

DAuid sono suæ Cytharæ eijciebat spiritum malignum à quo obsidebatur Rex Saul. 1. Reg. 16

PROPHETIÆ.

DIcit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum, & spiritum immũdum auferam de terra. Zach. 13

DOCVMENTA.

1. CHristus post transfigurationem suam descendit ex monte, & contulit se ad turbas à quibus expectabatur. Quare voluit instruere Prælatos & religiosos, aliasque personas spirituales, vt postquam transfigurati fuerint in se per orationes, contemplationisque exercitia, non obliuiscantur redire ad pascendas animas sibi commissas, exercendaq; misericordiæ officia erga proximos secundum rationem vitæ actiuæ.

2. Christus post tantam gloriam suæ transfigurationis, tamque eximium æterni Patris testimonium, non dedignatus est iterum conuersari cum suis rudibus discipulis. & paupere ac simplici turba, atque etiam cum infirmis & energumenis curationis causa isthuc adductis. Haud secus verbi Dei prædicatores etiamsi excellant donis naturæ & gratiæ, non vereri debent se dimittere ad informandos homines rudes & pauperes, imò & peccatores; ac quotquot infirmi sunt spiritu. Omnes enim anima rationali prædita sunt, & omnes vult Dominus saluari.

3. Satis erat Patri energumeni, petere à Christo liberationem, nec opus erat, addere, discipulos non potuisse eum liberare: aut potius omnem culpam conferre debebat in se & modicam suam fidem, quàm in discipulos Domini. Sic hodie multi ad rem optatam obtinendam, ne illis lapsus vel erratum aliquod obijciatur, in alios culpam conijcere conantur, & excusando seipsos, accusant alios.

4. Etsi incredulitas Patris energumeni magnam causam dederit, cur discipuli dæmonem pellere

pellere non potuerint, tamen Christus non reprehendit nominatum eius incredulitatem, sed generatim tantum, ad instituendos concionatores, ne publicè reprehendant particures personas, sed vitia tantum generatim carpant, singulisque relinquant, vt quod eos tangit sibi accommodent.

5. Energumeno hoc ad Christum adducto, spiritus cœpit eum conturbare, ad terram affligere, & deterius tractare quam antè. Homo non solet tentationibus agitari; quando vitam solutam ducit secundùm voluntatem dæmonis: sed dum conatur se abducere ab eius imperio, & redire ad Christum per vitam piam & sanctam, tunc dæmon, ne præda labatur è manibus, omnibus artibus vtitur ad eum retinendum, varias tentationes ei inmittendo, vti benè monuit Sapiens illis verbis. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & prapara animam tuam ad tentationem.* Eccl. 2.

6. Primo dæmon miserum hunc adolescentem deiecit in terram, deinde vero varijs modis afflixit. Hoc præcipuum officium & studiū est dæmonis, efficere, vt homo per peccatum etiam vnicum prolabatur in terram, nam semel prolapsum deinde facile in alia atque alia detrudit & præcipitat.

7. Christus perfectam sanitatem huic iueni redditurus, mandauit dæmoni non solùm vt exiret, sed etiam ne rediret. Vnde liquet peccatorem bonam & veram pœnitentiam egisse, quando non solum deserit peccatum, sed etiam in idem non relabitur, nec alia noua cōmittit, sicut contra, qui post confessionem peractam continuo redeunt ad vomitum, manifeste indicant confessionem vel contri-

tionem suam fuisse imperfectam, hoc est, non habuisse firmum & constans propositum, quod requiritur, emendandæ vitæ.

8. Iesus post expugnatum dæmonem, manum iuuenis apprehendit, eumque eleuauit & in pedes erexit: vt intelligeret peccator, in potestate sua quidem esse labi & peccare, sed non eleuari & surgere à peccato, si absit diuinæ gratiæ auxilium: deinde vt disceret, postquam peccatum euomuit, non debere se componere ad sedendum, aut manibus complicatis remanere, sed potius erigere se in pedes, & in bonis & sanctis operibus exercere.

9. Christus noluit suos discipulos reprehendere in præsentia populi, sed tantum priuatim, cum soli versarentur in domo: erant enim futuri aliorum Magistri, & ideo non conueniebat, vt populo constarent eorum imperfectiones. Quare indicare voluit admonitiones & correctiones omnes faciēdas opportuno tempore, & loco: personasque publicas non esse reprehendendas publicè, sed priuatim & secreto.

10. Dixit Christus genus illud dæmonum, à quibus adolescens ille erat tanto tempore obsessus, non potuisse eijci, nisi oratione & ieiunio. Procuret ergo peccator, dum iuuenis est, & peccatum recens, subitò cum vero dolore & confessione eum eijcere: si enim praua longi temporis consuetudine fuerit eum in anima sua inueteraſcere non poterit tam facilè expelli; nam ad exuendos habitus inueteratos non quæuis media & remedia sufficiunt, sed opus est adhibere crebras preces, ieiunia, aliasque corporis asperitates.

MEDI-

MEDITATIO IX.
DE ANGELIS CVSTODIBVS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Discipulis rogantibus: quis esset maior in regno cœlorum, statuit paruulum in medio, docẽs per humilitatem fieri.* Matt. 18.

II. *Monet ne quis contemnat paruulos, ostendens scandalum esse vnũ ex maximis peccatis.*

III. *Addit aliam rationem, quia Angeli eorum semper vident faciem patris, qui in cœlis est.*

PROPHETIA.

1. *QVis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra?* Psal. 112.

2. *Deus ponit humiles in sublime.*

3. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum eius candidum quasi vix, & capilli capitis eius quasi lana munda, millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Iob 5. Dan. 7.

4. *Angelus suis mandauit de te, vt custodiãt te in omnibus vijs tuis.* Psa. 90.

Psal. 33. 5. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

Eccl. 5. 6. *Ne dicas coram Angelo, non est prouidentia: ne fortè iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.*

DOCVMENTA.

1. DOminus dicit, nisi efficiamur sicut paruuli non ingressuros nos in cœlũ: nam vt ipse alibi dicit. *Talium enim*
Matt. 19 *est regnum cœlorum.* Quare si saluari volumus, conuenit nos paruulorum habere proprietates, talibusque vti moribus, qualibus illi in illa ætatula vtuntur. Paruuli simplices sunt, malitiæ expertes & fraudis, puri sunt mente, & corpore, honorem vel dedecus non æstimant, iniuria neminem afficiunt, illatam non vindicant, non contendunt cum quoquam, omnibus cedunt, denique timent suos maiores, facileq; illis se submittunt. Atque hæ sunt virtutes Christianæ, quas ipse Christus professus est, & imitandas docuit, cum dixit,
Matt. 11. *Discite à me, quia mitis sũ, & humilis corde,* in quibus duabus virtutibus omnes dictæ proprietates continentur.

2. Dixit quoq; Dominus: Qui humiliauerit se sicut paruulus iste, erit maior in regno cœlorum. Quam benè ergò dixit Apostolus sapientiam carnis inimicam & contrariam esse
Rom. 8. sapientiæ Dei: in mundo enim illi putantur maiores, qui honoris, & existimationis suæ statum & gradum diligenter tuentur, quos Deus nihil facit. Contra verò, qui rationem honoris sui nõ habent, & conantur se demittere, omniumque pedibus subijcere, vere sunt in con-

conſpectu Dei magni, & in cœlo etiam alijs erunt maiores, ſecundùm dictum ſapientis. *Quanto maior es, humilia te in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam.* Eccl. 3.

3. Quanto minorem homo ſe fecerit alijs, tanto reddetur maior: quia quò quis humilior eſt, hoc ſimilior & vicinior eſt Chriſto, qui eſt ſupra omnes. Quod ſi ita ſit, non deberent Chriſtiani, & homines ſpirituales inter ſe contendere de primo loco, & honoris prærogatiua, ſed potiùs de loco vltimo. Qui enim optat primum locum obtinere in terra, inueniet ſe pudefactum in cœlo. Ne ergo ſtudeamus videri maiores alijs, ſed potius faciamus nos inferiores omnibus, non enim iuſtior aut melior eſt, qui honoratior; ſed potius quo quis iuſtior hoc maior eſt, & maiore honore dignior.

4. Si tanta reuerentia deferenda eſt ſanctis Angelis cuſtodibus, vt ſicut Dominus cõmendat, propter illos neminem puſillorum contemnere debeamus; & ſimiliter Apoſtolus conſulebat mulieribus, vt capita ſua tegerent, ne forte vanitate ſua vel indecentia offenderent Angelos ſalutis hominum promouendæ cupidos: quanto potius cauere debemus, ne iniuria, vel alia noxa grauiori offendamus proximos noſtros, ſiquidem offendendo illos, offendimus quoque ipſorum Angelos, qui velut amici & intimi Deo. domeſtici, exigent contra nos vindictam, vel proculdubio obtinebunt.

5. Etſi Angeli tantam curam & ſtudium adhibeant in hominum cuſtodia, nunquam tamen mente ceſſant contemplari Patris cœleſtis faciem, nec à diuino amore diuelluntur: nam cura & ſollicitudo, qua tanguntur pro-

pter nos, ſubordinata eſt ipſi amori, & propter amorem Dei ab ipſis ſuſcepta eſt: Sic homines pij & ſpirituales, dum curis & occupationibus externis detinentur, procurare debent, vt illæ non ſolùm non impediant interna exercitia, ſed etiam promoueant ad fructum ſpiritalem & rerum diuinarum cõtemplationem. Quod eueniet; quando ſanctorum Angelorum exemplo, efficient vt actiones externæ procedant, & efficaciam ſuam ſortiantur ab internis, ab his ordinentur, & dirigantur, id eſt, vt non alio fine, quam ex puro Dei amore ſuſcipiantur.

6. Qui curam habent homines adducendi ad pœnitentiam, non debent vnquam à cœpto deſiſtere, ob faſtidium laboris, aut quia vereantur rẽ non habituram optatum exitum in illis, quos ſpiritualiter iuuare volunt: ſicut ſuo exemplo nos docuerunt cuſtodes Angeli, qui nunquam curam & cuſtodiam peccatorum deſerunt, etiamſi eorum peccatis grauiter offendantur, imò non deſerunt, etiamſi diuinitus cognouiſſent eos, quorum curam habent, nunquam conuertendos: quare nec vnquam ceſſant eos quamdiu in hac vita ſunt, & in ſtatu, quo per pœnitentiam ad Deum redire poſſint ad emendationem exſtimulare.

7. Seneca Philoſophus gentilis, ſcribens ad amicum quendam ſuum, monet eum, vt ſi in actionibus ſermonibuſque ſuis à recto diſcedere nolit, cogitet ſibi ſemper Catonem tanquam ſeuerum Cenſorem aſſiſtere. Quo documento multò magis nos Chriſtiani vti deberemus, cogitareq; in omnibus actionibus noſtris ſemper præſto adeſſe Angelos cuſtodes, vti ſeueros cenſores noſtros, idque eo fine, vt iſta cogitatio reddat nos memores noſtri, ac ſedulo

sedulo expendamus quicquid agere vel dicere volumus: si enim aliter fecerimus, verendum erit, ne qui sunt iam aduocati nostri apud Deum, postea in die iudicij fiant nostri accusatores.

MEDITATIO X.

DE MVLIERE ADVLTERA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Christo in templo docenti Pharisæi offerunt mulierem adulteram; exquirentes quid sentiat, vt accusent.*

II. IESVS *primò inclinans se scribit in terra; sed illis vrgentibus ait: qui sine peccato est, primo lapidem mittat.*

III. *Hoc audito, exierunt omnes incipientes à senioribus* IESVS *mulieri dicenti neminem condemnasse; ait: Neque ego te condemno; vade; noli amplius peccare.*

FIGV-

FIGVRÆ.

Gen. 38. 1. THAMAR accusata de fornicatione à Iuda socero suo condemnata est ad mortem: sed postquam patefactum est ipsum Iudam potius eius criminis reum, Thamar liberata est.

Dan. 13. 2. Iniqui illi Babilonij senes, populi Israelitici iudices accusarunt Susannam, testificantes se eam deprehēdisse in adulterio. Sed à Daniele conuicti de mendacio, patefactisque iniquis eorum conatibus à populo sunt condemnati, Susanna autem liberata.

PROPHETIÆ.

Psal. 9. 1. *IN laqueo isto quem abscónderunt, comprehensus est pes eorum. Cognoscetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*

Iob. 5. 2. *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia prauorum dissipat.*

DOCVMENTA.

1. ADultera à multis accusabatur, & ab omnibus condemnabatur, quamdiu erat in manibus Iudæorum: sed vt primum cœpit versari in conspectu Christi, omnes Pharisæi se subduxêre, & nullus eam condemnauit. Quare à Christo absoluta est. Sic nos, quando permanemus in peccatis, longè remoti à Christo, non solùm dæmonem & propriam con-

conſcientiam; ſed tot accuſatores, quot peccata habemus: verum quando per confeſſionem humilitati adimus Chriſtum per remiſſionem peccatorum conſecutam, non eſt amplius, qui accuſet vel condemnet, & ita à Deo abſoluimur & liberamur.

2. Chriſtus primò Iudæis adulteræ nomen deferentibus, ſententiamque ab ipſo ſciſcitantibus, non reſpondit, deinde in terra ſcribere cœpit cumque denuo reſponſionem vrgerent, ambiguo reſponſo dato, rurſum ſcribere cœpit, & ita digreſſis accuſatoribus, mulierem liberauit. Quo facto voluit nos docere, ſi quando lapſus aliquis proximi noſtri ad nos deferatur, etiamſi reprehenſione dignus ſit, non debere nos ad iudicandum eſſe faciles & præcipites apud noſipſos, multo autem minùs ad condemnandum eum apud alios: ſed rationem omnem & viam inire excuſandi illum & imminuendi, cogitantes nos omnes è terra fictos & poſſe ſimiliter peccare & labi.

3. Chriſtus audita accuſatione mulieris adulteræ, digito ſcripſit in terra. Terra ſignificat cor humanum, ex quo omnes fructus boni & mali actionum noſtrarum procedunt. Digitus deſignat diſcretionem. Quando ergo aliquid mali de proximo audimus, non debemus ſtatim temerè eum iudicare, ſed prius diſcretionis digito humiliter cor noſtrum diſcutere, inquirendo ſimuſne immunes à peccato, vel non: & ſi deprehendamus nos eſſe peccatores, condoleamus aliorum lapſibus.

4. Diſtulit quoque Dominus reſponſum ſuum ad informandos Principes & iudices, vt dum audiunt aliquas accuſationes, non confeſtim ſententiam proferant, ſed prius cauſam eiuſque circumſtantias examinent ne ini-

iniquitate accusatorum, vel specie aliqua iustitiæ defraudati, iniustam sententiam pronuntient.

5. Christus, vt accusatores suo responso pudefecit, eorumque iniquitatem demonstrauit, denuo se in terram ad scribendum inclinauit, ne magis, si in eos diutius respexisset, pudefierent, & liberius deinde subducerent. Nimirũ nos quoque instituens, si quando videamus aliquẽ nostra commonitione, vel reprehensione pudefactum, non illi instare diutius, vel oculis in eius vultum coniectis maiorem illi ruborem procreare, sed potius fragilitati humanæ miserendo, dissimulare.

6. Qui in Dei conspectum prodeunt corde duplici, non merentur exaudiri in suis precibus, sed potius cum pudore repudiari, vt hic accidit Pharisæis, quorum conatus in irritum reciderunt. Nam exitum fœlicem habere non possunt negotia, quæ, etsi speciem boni præ se ferunt, tamen non ad honorem & gloriã Dei, sed proprij commodi causa suscipiuntur. Contra vero, qui in conspectum Dei prodeunt cum humilitate & verecundia, agnoscentes se peccatores, merentur obtinere veniam, sicut obtinuit humilis ille publicanus, & hæc quoque adultera. *Luc.* 18.

7. Qui sine peccato est vestrum, inquit Christus, primus in eam lapidem mittat. Qua sententia discimus non murmurare, aut malè loqui de proximis nostris considerando multas nostras imperfectiones & peccata: quia quantumcunque sanctus & iustus homo sit, semper si bene conscientiam suam excutiat, inueniet quod in se reprehendat, atque ita nõ facilè lapides ob murmurationem in alios emittet.

8. Di-

8. Dixit Christus mulieri, neque se condemnare illam, iret modo, & non peccaret amplius. Vide eundem Dominum, qui in hac vita tam misericordem se declarat erga peccatores, quos peccati pœnitet, quique peccare desistunt, seueriſſimum in eos futurum, qui bonitati eius, perſistēdo in peccatis abutūtur. Vnde qui nunc dicit. Neq; ego te condemno, postea duram & terribilem proferet sententiam, qua condemnabit peccatores ad supplicia inferni.

9. Christus non condemnauit eam, quum à nullo erat condemnata: vt tu intelligas si tua te vita non condemnet, nec condemnandum esse a Deo: & licet multa peccata admiseris, si tamen per pœnitentiam illa expiaris; & solus cum Christo, vti hæc mulier, permanseris, cum proposito voluntati eius obsequendi, & sanctam eius legem præstandi, non dubium, quin iusto Dei iudicio sis absoluēdus.

10. Idem Dominus, qui dixit mulieri: Non te condemnabo, dixit quoque. Vade & noli amplius peccare: vbi iustiſſimus hic iudex non promittit aut misericordiam solam, aut minatur solum iudicium, sed vtrumque facit, vt omnes intelligant, si causam habeant fidendi in ipso, quoniam suauis est & misericors, similiter causam habere timendi, quoniam iustus est. Vnde quod nunc cū misericordia tolerat, vt inducat eos ad pœnitentiam, postea seueriſſimè castigabit, si pœnitentiam agere nolint. Vult ergo Dominus, vt inter spē & metum semper viuamus, spe que erecti post lapsum in peccatum nō desperemus, & timore perterrefacti, promiſſione misericordiæ abutentes in iudiciū non incurramus. Quare benignus Iesus, qui vult omnes saluos fieri, ijs

qui

qui sunt in periculo desperationis proponit portum remissionis & veniæ: qui verò sub vmbra misericordiæ suæ veniunt in periculum nimiæ fiduciæ differentes de die in diem emendationem, minatur seueritatem suæ iustitiæ.

MEDITATIO XI.

DE ILLVMINATIONE COECI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Ioan. 9. I. *Viso cæco rogarunt discipuli: an ille ipse; an parentes peccassent? Resp. Christus, id factum vt manifestentur opera Dei.*

II. *Facto luto, liniuit oculos eius mandans, vt iret ad natatoriam Siloe; statimque vidit, & vbique factum vulgabat.*

III. *Iudæis eum in concilio suo examinātibus dedit Christo testimoniū; quod Propheta esset. Cumq; à Iudæis ideo eiectus esset, occurrens* IESV, *cum fide adorauit eum.*

FIGVRÆ.

Tob. 11. 1. TOBIAS iuuenis posito felle piscis supra cœci Patris oculos visum ei restituit. ELI-

2. ELIZEVS misit Naaman Syrum ad aquas fluuij Iordanis, vt in illis se lauaret, & sanitatem recuperaret. 4. *Reg.* 5

PROPHETIÆ.

1. *DEVS ipse veniet & saluabit nos, tunc aperientur oculi cœcorum.* *Esa.* 35.

2. *In die illa de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt.* *Esa.* 29.

DOCVMENTA.

1. EVangelium refert Christum vidisse cœcum, non otiosè & frustra, quia videndo eius necessitatem, restituit ei sanitatem: vt doceret, non debere nos tantum cognoscere proximi ærumnas, cum in eas inciderit, sed etiam porrigere ei manus vt ab illis liberetur.

2. Discipuli à Christo rogarunt, ob quod peccatum homo ille natus fuerit cæcus: solet enim Deus sæpè ob peccata hominibus flagella immittere: vt intelligamus non debere nos conqueri vel admirari, si quando Deus nobis aliquam afflictionem immittat: agnoscimus enim nos esse peccatores, & peccatis nostris pœnam promeruisse, sed debemus eam ferre patiẽter, & procurare, vt si velimus à Deo tolli pœnam, nos quoque, illius causam, nempe peccatum tollamus, & ex anima nostra exterminemus: sicut dixit Christus ad paralyticum. Vade, & noli amplius peccare, ne tibi deterius aliquid contingat. *Ioan.* 5.

3. Modus quo Christus curauit cœcum natum, significat modum quo curatur peccator à cœcitate peccati. Tria enim Christus fecit huic

huic cœco. Primo eum respexit. Secundo lutum posuit super eius oculos. Tertio mandauit ei vt se lauaret aqua fontis. Sic ad curationem peccatoris tria ferè sunt necessaria. Primò vt à Deo per diuinam gratiam respiciatur, nam homo quidem potest per se labi, sed non potest per se auxilio diuino destitutus resurgere. Secundo vt habeat compunctionem cordis, ex cognitione fœditatis peccatorum profectam, quod designatur luto oculis cœci impositio. Tertiò, vt adiũgat puram confessionem peccati, quia peccator apud Sacerdotem lauat animam suam, sicut cœcus se lauat aqua fontis.

4. Cœcus natus illuminatus à Christo, licet de hoc facto magna esset inter Iudæos opinionum dissensio, partes Christi constanter contra principes Synagogæ defendit, docens & instituens, nos vt lingua & opere gratos nos suæ diuinæ Maiestati declaremus, si quando ab eo beneficijs tam corporalibus, quam spiritualibus afficiamur.

5. Cœcus persistens in veritatis confessione defensioneque Christi, ciectus est è Synagoga ad confusionem nostram, nam ille vt Dei gloriam tueretur, flocci pendit contemni ab hominibus, nos verò, qui fideles nos profitemur, sæpè, ne ab hominibus contemnamur, audemus contemnere Deum.

6. Cœcus crebrius à Pharisæis iniurijs & maledictis lacessitus; ac deinde Synagoga exturbatus, nunquam in tota hac contentione verbum vllum purgandi vel defendendi sui causa effutiuit, sed mox atque audijt eos Christo insultare, magno zelo, & dicendi libertate eius defensionem suscepit, licet probè sciret, se id cum magno periculo facere: vt doce-

ret

ret nos, qui profitemur nos Christianos, non vlciſci, vel etiam magni facere iniurias illatas nobis, illatas vero Deo, nullo modo tolerare aut diſſimulare, ſed verbis & rebus etiam cum diſcrimine, ſi opus ſit, vitæ, diuino honore patrocinari.

7. Cœcus e templo expulſus eſt, quod Chriſti nomen & honorem tueretur, vt tu intelligas; tibi, à puncto temporis quo decreueris ſeruire Deo, mundum fore contrarium, & homines te perſecutores, & à ſe exterminaturos. Verum ſicut hic homo è templo à Phariſæis eiectus, fuit à Chriſto receptus, & factus templum eius, per gratiam illi communicatã, ſic etiam ſuſcipiet te, quandoquidem Deus non deſerit ſuos in perſecutione, ſed per perſecutionem reddit magis glorioſos.

8. Bis tantum legimus Chriſtum ſe ſuo ore manifeſtaſſe, hoc eſt, faſſum eſſe, ſe eſſe Meſſiam tantopere expectatum & verum filium Dei, ſemel Samaritanæ cum diceret. *Ego ſum qui loquor tecum.* Rurſum, huic cœco, cum ei diceret, ſe eſſe filium Dei, in quem credere deberet, atque id fecit Dominus, vt in bonæ huius peccatricis perſona animaret omnes peccatores, ſe, ſi conuertantur & à peccatis deſiſtant, maiore beneficio eos affecturos, quam vnquam affecerit ſeruos ſuos etiam cariſſimos. Deinde fecit ad conſolandos in huius miſeri cœci perſona omnes, qui ob aliquam tribulationem in hoc mundo afflicti ſunt, dum vident quanti eos Deus faciat, maiora illis amoris ſigna quàm alijs multis, qui in hac vita honoratiores videntur & fœliciores demonſtrans. *Ioan. 4.*

9. Chriſtus ſpuit in terram, fecitque lutum ex ſputo, ac poſuit ſuper oculos, cœci, vt

in-

intelligeremus, sicut quando immemores vilis & miseræ conditionis nostræ, cœci efficimur, pluris nos ipsos facientes, quam conueniat : sic nostræ superbiæ & cœcitatis remedium in eo consistere, vt nunquam abstineamus à consideratione, nos esse terram & lutum, & quod in terram resoluendi simus.

MEDITATIO XII.

SVSCIPITVR CHRISTVS A MARTHA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Luc. 10. I. *Christo suscepto Maria audiebat verbum; Martha autem solicita petit opem sororis, vt iuuet.*

II. *Cui Dominus ait: Martha, Martha, solicita es, & turbaris circa plurima. Porrò vnum est necessarium.*

III. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

FIGVRA.

4. Reg. 4 ELIZEVS hospitio exceptis est in ciuitate Suna à nobili muliere, quæ vt animaduertit Prophetam frequenter isthac transire, fecit ei in domo sua cœnaculum paruum, eique ministrauit diligenter.

PRO-

PROPHETIÆ.

1. *QVare colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* Hier. 14

2. *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutture meo.* Cant. 5.

3. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.* Psal. 84.

DOCVMENTA.

1. CHristus in domum Marthæ receptus, non fuit otiosus, sed locutus est verba vitæ æternæ, dans exemplum suis discipulis, eorumque successoribus, & religiosis, vt, quando à pijs hominibus in domum recipiuntur, illos vicissim pascant cœlesti doctrina, & sanctis instructionibus.

2. Magdalena sedebat ad pedes Domini, audiens verba illius. Quò anima humilius sedet, per humilem sui ipsius existimationem, hoc diuinarum visitationum & instructionum capacior est: nam aquæ non subsistunt in altis montibus, hoc est, in superborum cordibus, sed dilabuntur in valles profundas, hoc est, corda humilium. Psal. 103.

3. Martha occupata in cibo pro Christo parando, accusat Magdalenam tanquam otiosam, cum ab ore Christi penderet. Sic solent facere quidam pij homines in mundo, qui vacantes exercitijs vitæ actiuę, vt iuuandis per

opera caritatis proximis; quia nunquam contemplationis dulcedinem deguſtarunt, reprehendunt eos, qui ſeruiũt Deo in religione, exiſtimantque eos, qui externos labores non habent, degere in otio: atque ideo omnes debere facere, quod ipſi faciunt, vtpote magis neceſſarium mundo & gratius Deo.

4. Maria tribus modis fuit accuſata. Primò
Luc.7. à Phariſæo temeritatis, quod exiſtens peccatrix auderet Chriſtum attingere. Secundò à Iuda prodigalitatis, quod pretioſum illud vnguentum in caput Chriſti & pedes effude-
Ioan.12. rit. Tertiò à ſorore, de otio, nempe in hoc Euangelio. Sed ſemper Maria patienter tacuit, Chriſtus autem eam purgauit & defendit. Sic hoc tempore in ſæculo ij, qui agnoſcẽtes ſe peccatores, & diuina gratia egere; recurrunt ad Chriſtum, ac Sacramenta frequentant, ab hominibus mundanis ridentur, & pro temerarijs habentur: quique conantur peccata ſua eleemoſynis redimere, & liberales
Dan.4. ſunt in pauperes, mundo exiſtimantur prodigi, & dilapidatores ſuæ hæreditatis. Similiter, qui abdicato mundo, mundaniſque negotijs ad ſaluandum animas ſuas amplectuntur quietem religionis, à mundo arguuntur tanquam otioſi & inutiles. Verum omnes hi nihili facere debent dicta & iudicia huius mundi, quia Chriſtum habent aduocatum & defenſorem.

5. In domo, qua exceptus eſt Chriſtus non legimus quenquam fuiſſe præter Martham & Mariam, ad ſignificandum, neminem in hoc mundo dignum eſſe recipere Chriſtum per gratiam, & ſimiliter in altero poſſe domum Dei ingredi, hoc eſt, patriam cæleſtem, per gloriam, niſi qui alterutrius harum fœminarum

tum vitam imitatus fuerit, hoc est, vel exercuerit se in vita actiua, iuuando proximos in anima vel corpore caritatis & pietatis Christianæ operibus, vel certè in contemplatiua, seruiendo Deo in sanctis contemplationibus & orationibus.

6. Christus non reprehendit ministerium Marthę, vtpote bonum & pium, quia pro Christo & amore Christi laborabat, & turbabatur, sed reprehensione digni sunt, qui profitentur quidem se in suis ministerijs, docendo, prædicando aliaque officia erga proximos exercendo, imitari Martham, sed id faciunt intentione peruersa, dum in suis laboribus potius quærunt seipsos, quam Christum, & magis se fatigant ob temporalia commoda, quam propter remunerationem cœlestem.

7. De Martha tantum dicit Euangelium; quod Christum exceperit in domum suam; De Magdalena autem non dicitur, quod domum habuerit. Quo indicatur, eos qui seruitio Christi per vitam contemplatiuam se dedicant, aspernari debere omnes huius mundi possessiones, & depositis omnibus curis & sollicitudinibus terrenis dedere se lectioni & contemplationi rerum diuinarum, ac frequẽti compunctioni; tam pro peccatorum remissione, quam pro æternæ vitæ desiderio. Tales fuerunt Prophetæ, tales Apostoli, tales alij multi, qui relictis omnibus, & mundo deserto, adhæserunt Christo, quos Scriptura appellat,

nihil habentes & omnia possidentes. 2. Cor. 2

***

MEDITATIO XIII.
DE ADOLESCENTE
PETENTE, QVOMODO SALVVS FIERET?

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 19. Marc. 10. I. *Christo quidam Princeps occurrens, genu flexo rogabat: quomodo posset saluus fieri? Resp. serua mandata.*

Luc. 18. II. *Illo affirmante se hæc ipsa seruasse ab à iuuentute sua ait: vnum adhuc deest: si vis perfectus esse, vende omnia, & sequere me.*

III. *Illo tristi abeunte dixit Christus: quam difficile, qui pecunias habent intrabunt in regnum Dei. &c. Petro dicenti se cum suis omnia reliquisse; spondet mercedem.*

PROPHETIÆ.

Psa. 118. 1. IN *quo corrigit adolescentior viam suam in custodiendo sermones tuos.*

Deut. 33 2. *Qui dixit patri suo & matri suæ, nesciu vos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierũt eloquium tuũ, & pactum tuum seruauerunt.*

3. Si di-

3. *Si diues fueris, non eris immunis à delicto.* Eccl. 11°

4. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saculum saculi, cornu eius exaltabitur in gloria.* Psal. 111.

5 *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illũ.* Eccl. 11.

DOCVMENTA.

1. DOminus, interrogatus ab adolescente, quid facere deberet ad obtinẽdam vitam æternam, primum ei proposuit præcepta ad caritatem proximi spectantia, deindè vero consilia pertinentia ad amorem Dei perfectum: vt doceret nos, co ntendenti ad diuini amoris perfectionem, & vitæ contemplatiuæ exercitia, primò necessarium esse, vt se exerceat in operibus, ad caritatem proximi spectantibus, quæ sunt propria vitæ actiuæ.

2. Christus appellatus ab hoc adolescente Magister bonus, videtur ægrè tulisse, eumque correxit. Quod non fecit Dominus propter se, nec enim in eum cadere poterat vana de seipso existi matio: sed propter nos, vt disceremus; cum aliqui nimium nobis adulantur, non dissimulare, nec arridere, sed potius declarare nobis illas laudes displicere, eosque verbis asperis corrigere, vt hac ratione conseruemus in nobis humilitatem, & adulatoris temeritatem coerceamus; offendiculum quoque aliorum remoueamus, qui ex nostro silentio suspicari possent, huiusmodi titulos & epitheta honorata nobis placere.

3. Cùm affirmaret idem iuuenis se obser-

uasse omnia mandata, Christus sciens illum non ideo esse de salute securum, enim hortatus est ad maiorem perfectionem : vt nempe moneret quoque nos, etiamsi videremur nobis multum præstitisse, diuinisque mandatis paruisse, non debere nos ideo esse metu vacuos, quasi nihil deesset : debere autem nos sancto quodam timore suspensos, ignari quousque Deo opera nostra placeant, semper aspirare ad maiorem perfectionem, & in dies longius in cursu virtutis progredi, more eorum qui arcum dirigentes ad scopum, aciem oculorum altius intendunt, quo à scopo non aberrent : pari enim ratione & nos, si salutis nostræ scopum attingere velimus, altiora respicere debemus, quotidie in bonis operibus & virtutibus Christianis crescendo, secundùm consilium scripturæ, *Qui iustus est, iustificetur adhuc.*

Apo. vl.

4. Hic iuuenis videbatur se velle adiungere Christo, magnoque salutis desiderio teneri; sed cùm aduertit in periculum vocari suas facultates, tergiuersatus est, & consilium Christi repudiauit. O quot hodie sunt, qui videntur pij & deuoti, dum prosperè illis omnia succedunt, & commoditate sua in seruitio Christi fruuntur : verùm, vbi irruerit ventus contrarius, qui illos vel in facultatibus, vel honore, vel filijs, vel propria persona nonnihil tangat vel affligat, mox demonstrant se amore sui pleniſſimos, eoque victi turpiter retrocedunt. Quot item sunt, qui in verbis apparent perfecti Christiani, bonaque alijs consilia impartiunt, at dum ipsi monentur sui officij, vt aliena restituant, vt remittant iniurias, vt noxiũ cõtractum rescindant, vel occasionem peccati deserant, nihil agunt,

ne in

ne in opibus, carne, vel existimatione aliquid patiantur. Omnes hi, certum est, cœlum non ingredientur.

5. Qui dixerunt Christo, *Ecce nos reliquimus omnia,* constituti sunt ab eo iudices mundi, vt intelligeremus eos solos esse bonos iudices, & de alijs iustè iudicare posse: qui liberi sunt ab omni animi perturbatione & rerum temporalium cupiditate.

6. Dixit quoque Dominus discipulis suis, eos, quoniam ipsum in hac vita secuti essent, in altera secum confessuros supra duodecim sedes; vt intelligeremus eos, qui in sæculo labores defugiunt, nec volunt per bonorum operum exercitium sectari Christum, non posse vlla spe teneri, se vna cum Christo aliquando sessuros, id est, quiete æterna fruituros, sed potius cum omnibus ignauis detrudendos ad inferos.

7. Si sententia à CHRISTO data vera est, nempe, quotquot propter ipsum reliquerint patrem, matrem, agros, magnum thesaurum habituros in cœlo præter vitam æternam: quod præmium, quam sententiam expectabunt illi, qui scientes se à Christo vocari, tamen, ne facultates suas vel amicos deserant (excepto casu extremæ necessitatis) renuunt eum sequi? ac item illi qui iam diuino seruitio dedicati, amore parentum, vel opum deserunt Christum, & miserè redeunt ad seruitium præstandum mundo? certè non aliam habent expectare sententiam omnes illi, nisi quam ipse Christus protulit, dicens. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Matt. 10

8. Si aliquando contingat, Dei seruos non sentire in se centuplum, hanc pacem animi, & quietem à Domino in hac vita promissam, non ideo debent iudicare diuinas promissiones non esse constantes & infallibiles, sed potius debent excutere conscientiam suam, & iudicare seipsos, si fortè inueniant aliquem nidum auium, vel cauernam vulpium, id est, aliquam superbiam occultam, vel amorem proprium, aut affectum inordinatum erga creaturam: & si conati fuerint nidum illum, vel malas bestias abijcere, mox se prodet illud centuplum, & diuina cordis consolatio.

9. Mundus arguit eos qui se relicto sequuntur Christum, dicens: relinquere parentes & cognatos esse crudelitatem, deserere opes aliaque huius vitæ bona esse stultitiam: omnibusque suis asseclis nō aliud promittit, quam breuem voluptatem cum magna amaritudine coniunctam in hac vita, & magno discrimine æternæ damnationis in altera. Ex alia parte Christus laudat eos, qui omnibus renunciant propter se, tanquam actum magnæ perfectionis, promittitq; in hac, alteraque vita cœleste præmium coniunctum cum securitate salutis æterni. Iam ergo tu, quisquis adhuc de vitæ tuæ statu deliberas, vide vter duorum veracior sit, mundusne an Christus, & cuiusmodi sint præmia ab hoc & illo proposita: illum verò sequere, quem iudicabis salubriorem animæ tuæ.

MEDI-

MEDITATIO XIV.
DE LAZARI SVSCITATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Audito Christus nuntio, de Lazari ægrotatione, per biduum subsistit, vt euidentius foret miraculum.* Ioan. 11.

II. *Antequam suscitet mortuum, vtriusque sororis fidem extimulat:* Ego sum, &c.

III. *Collachrymatus, & precatus imperando suscitauit.*

FIGVRA.

ELizæus resuscitauit filium mulieris Sunamitidis, à qua frequenter solebat hospitio excipi. 4. Reg. 4

PROPHETIA.

I. *EGo dormiui & soporatus sum, & exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me.* Psal. 3.

DOCVMENTA.

I. REfert Euangelium hanc Mariam fuisse illam, quæ vnguento vnxit pedes Domini, suisq; capillis tersit: nullam au-

tem mentionem facit, aut pulchritudinis, aut nobilitatis eius secundum carnem, sed tantum eorum; quæ egit cum CHRISTO. Cognosce homo hic errorem tuum, quisquis addictus es honori & gloriæ huius mundi aEsa. 40. cupandæ, quæ instar floris deficit & marcescit, & non potius magni facis seruitium Dei, quo licet exiguo conciliare tibi poteras æternam gloriam.

2. *Ecce, quem amas, infirmatur.* Sæpe qui plus amati sunt à Christo, pluribus morbis, alijsque malis obnoxij sunt: nam vti medicus, aliquando ægrum minore aliquo malo afficit, vt auertat maius; sic CHRISTVS interdum permittit infirmitates corporales, ne anima incurrat spiritales, quæ sunt multo periculosiores. Vnde præuidens aliquos peccaturos, eos flagellat, ne peccent, & saluentur.

3. Martha & Maria occurrerunt Christo, non expectantes donec veniret ad ipsas: qua exre discimus, dum peccato obnoxij sumus, si Deo reconciliari velimus, vt ei per pœnitentiam occurramus, antequam ille ad nos forte veniat per vindictam, nam, vt dicit S. Ambrosius ibi vindicta diuina cessat, vbi nostra pœnitentia & confessio præcurrit.

4. *Lachrymatus est Iesus.* Fleuit Christus super Lazaro, qui erat typus peccatoris, ad docendum nos, quòd primum debeamus flere pro nobis, quia omnes sumus peccatores, maximè quando amisimus vitam spiritualem: vt indicemus multis suspirijs & lachrymis opus esse ad recuperandam vitam spiritalem. Debemus quoque lachrymari pro necessitatibus nostrorum proximorum, in primis spiri-

tuali-

tualibus, cùm videmus eos mortuos iacere in vitiorum sordibus, vt Dominus nostris lacrymis permotus dignetur nos & illos ad vitam reuocare.

5. De Christo innocentissimo scriptum est, quod sæpius fleuerit, totas noctes in oratione consumpserit, famem, sitim, & fatigationem in itineribus passus sit: verum nunquam legitur risisse, aut prosperitatem habuisse: Et nos peccatis pleni, vel rarò, vel nunquam vnam lachrymam emittimus,, corporis voluptates quærimus, fugimus labores, tempusq; cachinnis & vanis recreationibus consumimus. *Luc. 6.* *Ioan. 4.*

6. Christus resuscitaturus Lazarum prius mandauit Iudæis, vt lapidem tollerent à monumento, vt omnes intelligerent hanc suam esse voluntatem, nos, quæ nostri officij sunt & muneris, debere per nosmetipsos omni studio perficere; quæ verò vires nostras & facultatem excedunt, debere suæ paternæ prouidentiæ committere: quia frustra à Deo gratiam & spiritalia dona expectat is, qui negligens est in exercendis iam receptis, quique minoribus beneficijs abutitur, indignum se facit maioribus. Etenim Deus suo auxilio præsto est semper vigilantibus & laborantibus, non autem otium agentibus vel ftertentibus.

7. Christus resuscitaturus Lazarum, primo eleuauit oculos, Patremque deprecatus est, ad informandum nos, vt in negotijs & necessitatibus nostris confugiamus ad præsidium orationis, & dum orationi vacamus, oculos in altum tollamus, hoc est, vt mens nostra tota sit defixa in Deo, non dando in ea locum, nisi vni Deo, rebusque diuinis. Deinde debemus eleuare in oratione oculos ad Deum, vt

ostendamus nos non meritis nostris confidere, sed in ipsius tãtum misericordia spem omnem collocare.

3. De Lazaro primo in Euangelio dicitur, quod fuerit languens, secundò, quod dormierit, tertiò, quod mortuus fuerit, quartò, quod quatriduanus fuerit, & quintò, quod fœtuerit. Hos omnes gradus transeunt, quotquot à gratia & iustitia labuntur in mortem peccati. Primo enim dicitur homo languere ob peccati fomitem, & prauas, quas sentit, inclinationes. Deinde dormit quando per oblectationem sensus prauæ suggestioni incipit præbere locum. Et his duobus gradibus adhuc conseruatur gratia, & homo amicus & dilectus Christi dicitur. Tertiò dicitur simpliciter mortuus, quando voluntate interna consentit peccato. Quartò est quatriduanus, quando opere explet peccatum. Postremò fætet, quando consuetudine peccandi se reddit infamem & alii ab eo, tanquam à putida carne abhorrent.

9. E contrario resurrectio Lazari à morte ad vitam, significat progressum peccatoris à statu peccati ad statum gratiæ. Primò Deus sua diuina notitia eum respicit; quam designabat cognitio, quam Christus habuit de Lazari ægritudine. Secundò Deus præbet auxilium animæ, vt à peccato resurgat & ad se conuertatur, quod significatum est profectione Christi versus Bethaniam ad excitandum Lazarum. Tertiò liberum arbitrium se conuertit ad Deum per cognitionem & displicentiam peccati, & desiderium consequendæ remissionis, quod significabatur itione Marthæ & Mariæ ad Christum. Quartò cognitionem peccati sequitur contritio, significata Christi lacrymis.

Quin-

Quintò est propositum firmum non offendendi Deum amplius, quod significabatur remotione lapidis à sepulchro. Sextò Deus infundit gratiam iustificantem, quæ significata est per magnam illam vocem, qua Christus suscitauit Lazarum; hoc enim opus requirebat diuinam potentiam. Septimò est confessio peccati, designata per egressum Lazari ex tenebris sepulchri. Octauò est absolutio Sacerdotis, indicata per fasciarum solutionem ab Apostolis factam. Vltimo est bonorum operum exercitium, cui homo vacare debet post consecutam iustificationem, quod significauit Christus, quando dixit de Lazaro, *Sinite eum abire.*

10. Dominus suscitaturus Lazarum, voluit aperiri sepulchrum; vt doceret efficacissimum remedium ad cauenda peccata, vel ad resurgendum, quomodo homo in ea lapsus fuerit, esse meditationem mortis, & horrorem sepulturæ secundùm dictum sapientis. *Fili memorare nouissima tua, & non peccabis in æternum.* Eccl. 7.

MEDITATIO XV.

DE PETITIONE MATRIS FILIORVM ZEBEDÆI.

PVNCTA MEDITATIONIS

I. *Christo prædicente Passionem suam, cùm natura non intelligerent; Mater petit filijs vt sedeant cum Christo.* Mat. 20 Marc. 10 Luc. 18.

II. *Christo quærenti an possent bibere Calicem? dicentibus se posse ait: illos bibituros, sed patri committendum.*

III. *Alijs 10. indignantibus ostendit discrimen, scilicet quod velit humiles singulariter in Cœlo exaltare.*

FIGVRÆ.

3. *Reg.* 2. 1. ADONIAS ad obtinendam à Rege Salamone gratiam, vsus est opera suæ nouercæ, quæ ingressa ad Regem dixit, *Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam.* Cui cum respondisset Rex, vt peteret: illaque desiderium Adoniæ exposuisset, Rex iratus, minatus est Adoniæ mortem, eò quod eius petitio vergeret in præiudicium sui regni.

Gen. 44. 2. IOSEPH Patriarcha quia vehementer amabat fratrem suum Beniamin & ideo eum detinere apud se optabat, curauit in saccum eius reponi scyphum, ex quo ipse bibere consueuerat, ob quod indicium multa perpessus est.

PROPHETIÆ.

Eccl. 3. QVANTO *magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.*

2. *Qui*

2. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Iob. 22.

DOCVMENTA.

1. CHristus Hierosolymam iter habens agit cum discipulis de sua passione. Vnde discimus, scalam qua ascenditur ad cœlestem Hierosolymam, esse Passionem Christi Domini nostri, cuius gradus sunt, excellentes virtutes, quę in ea relucent, vt humilitas, obedientia, patientia, caritas, honoris cõtemptus, paupertas cum reliquis virtutibus, quam scalam vt ascendamus, operam nauare debemus, nec in ea consistere, dum ad culmẽ peruenerimus, in quo expectat nos Dominus ad cõplectendum, coronandumque illos, qui vsque ad finem perseuerarint. Mat. 24

2. Si duo hi discipuli consilium inijssent cũ Christo sicut inierunt cũ matre, non tam ambitiosam petitionẽ proposuissent. Vnde docemur, quãdo de honoribus & dignitatibus suscipiendis agitur, non debere nos consilia inire cum parentibus & cognatis, qui potius cogent nos ad præcipitium, sed cũ hominibus pijs & religiosis, qui affectuum humanorũ experte s, dicant veritatẽ, & securũ consiliũ suggerant.

3. Dominus etsi ambitiosum discipulorum animum probè cognosceret, tamen reprehendere, vel asperioribus verbis excipere eos noluit, ne pudefierent: vt intelligerẽt omnes qui animarum curã gerunt, vt magna benignitate & prudentia agant cum subditis, eosq; suauiter à peccatis abterreant, & ad Deum deducant: nam sæpius tecta & occulta admonitio plus valet, maxime apud homines intelligentes & capaces, quã manifesta reprehensio, imò hæc aliquando plus exasperat & abalienat?

4. His

4. His discipulis primum locum; apud Christum quærentibus, respondit Dominus, Nescitis quid petatis; Ac vere ita est, hominem ambitiosum, quando aspirat ad honorum gradus & dignitates, nescire quid agat. Illa enim magno labore & sudore acquiruntur, magna sollicitudine & timore possidentur, ac tãdem maximo dolore relinquuntur.

5. Christus Dominus noster ijsdem discipulis dicens, Possentne eundem bibere calicem, quem ipse bibiturus esset, magnam nobis pudefiendi occasionem dedit, dum se offert ad bibendum amarissimum passionis calicem, quẽ nos nostris peccatis promerueramus, nos autem, qui peccata ipsa commisimus ne gustare quidem, sed nec primoribus labris attingere hunc calicem volumus.

Ioan. 13. 6. Quando Petrus restitit Christo, noluitque sibi ab eo pedes lauari, non legimus quenquam offensum vel scandalizatum fuisse. Sed nunc cum Iacobus & Ioannes petunt assidere Christo in suo regno, omnes discipuli indignantur & obmurmurant. Vnde discimus securius & quietius esse versari in statu humili & abiecto, in quo nullam inuidiæ, nullamque obmurmorationi vel querelæ aliorum occasionem damus, quam in sublimi & honorato, quo omnium inuidiam, odium & æmulationes in nos concitamus; sic vt nunquam in vera pace & tranquillitate, sed in magno metu & angore viuamus.

7. Verum quia necesse est in Ecclesia Dei esse Prælatos & Superiores qui alios gubernent Christus Dominus noster, præclarè tum documento discipulis dato, tum exemplo suo informat nos, quales debeant esse Ecclesiæ Prælati, vt videlicet se existiment & gerant

se

se tanquam ministros & seruos seruorum subditorum, ad instruendum eos, iuuandum & succurrendum omni officio caritatis.

8. Si Christus, Dominus orbis, in hunc mundum veniens, dicit se non venisse vt sibi ministretur, vel honor deferatur, sed vt ipse ministret alijs, sanguinemque & vitam exponit pro illis, quantam causam pudefiendi habent Prælati & Pastores, qui officium quidem Christi sibi vsurpant, nō vt vacent procurandæ aliorum saluti, sed vt alijs dominentur imperent; non vt eis distribuant suos reditus multò minus autem vt vitam ponant, cùm opus est pro ouibus suis, sed vt fruantur earum lana, laboribusq; earum & sudoribus se suosque cognatos impinguent.

MEDITATIO XVI.

DE COECO IERICHONTINO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Christo cum turba intrante Iericho Bartimæus clamabat:* IESV, *fili Dauid, miserere mei, alijs increpantibus.* Mar. 10. Luc. 18.

II. *Christus ad se adducto ait: Quid tibi vis faciam? respondit: Domine, vt videam.*

III. *Cui Christus: respice; fides saluum te fecit, & sequebatur magnificans* DEVM. PRO-

PROPHETIÆ.

Ps.140. 1. *Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos.*

Eccl.34. 2. *Dominus illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.*

DOCVMENTA.

1. Hic cæcus desiderio recuperandi visum ardens, sedebat secus viam, quam Dominus transibat, in eaque perseuerans implorando misericordiam, à Christo exauditus est & illuminatus. Quamdiu peccator sedet secus viam mundi, nec peccatorum occasiones cauet, artibus fraudulentis vtitur, sectatur honores, voluptates, & delitias huius sæculi & carnis, non cogitet se vnquam ad diuinæ gratiæ lumen peruenturum. Nam per Eccl.21. has vias non ambulauit Christus, sed diabolus, & finis eorum est mors & damnatio æterna. Ex alia parte, qui non ignari miseri & periculosi status sui, & salutis suæ cupidi, adiungunt se viæ Christi, occasionesque & pericula peccati fugiunt, cum hominibus piis Deumque timentibus conuersantur, verbum Dei libenter audiunt si in hoc statu perstiterint nec cessent implorare Domini misericordiam, procul dubio exaudientur, & lucem suæ gratiæ cum æterna salute consequentur.

2. Cum cæcus inciperet acclamare, Christus in itinere progrediebatur, cum verò acclamauit fortius, Christus substitit. Sæpe contigit, dum vacamus precibus, aut gratiam à Domino postulamus, vt videatur Deus longius

gius à nobis abesse, nec velit nos exaudire: sed si eius bonitati fisi constanter perseueraueri-mus, experiemur eum nobis esse vicinum, & misericordiæ sinum aperire.

3. Turba quæ Iesum præcedebat, & cœcum reprehendebat, quod misericordiam poscere, significat turbam cupiditatum carnalium, & tumultum passionum inordinatarum, quæ distrahentes mentem, & cor peccatorum occupantes impediunt, quo minus veniat Iesus ad nos illuminandos. Sed velut cœcus, quo plus reprehendebatur, hoc clamabat amplius: Sic nos quo plura impedimēta occurrūt salutis nostræ, hoc ardētius orationi insistere debemus, & ad Dominum clamare, vt nostri misereatur.

4. Turba arguebat & cōminabatur cœco vt taceret; ille verò vehementius clamabat. Sic multi hodie faciunt, qui, si quem videant desiderio suæ salutis accensum velle peruersam vitam deserere, & Christum adire, aut relicto sæculo amplecti vitā religiosam, eū grauibus verbis, & aliquando etiā interpositis minis, increpant, vt bono proposito suo renunciet. At serui Dei, obturatis ad hominum obloquia auribus, posthabito omni pudore & respectu humano, debent exemplo huius cœci non cōmoueri, sed maiori potius ardore in via inchoata persistere, ac tanto longius in virtutis & perfectionis studio progredi, quanto ab hominibus mundanis magis deterrentur, & retrahuntur.

5. Christus videns cœcum implorare suam misericordiam, non est progressus longius, sed expectauit, donec ille ad se veniret: docens hoc exemplo Principes & Prælatos, dum animaduertunt pauperem aliquem postulare audientiam ad exponendum suam necessitatem,

debe-

debere eos vocare ad se, benigneque audire, & quod iustum est respondere.

6. Cœcus, quamuis turbæ eum conarentur à clamore cohibere, nunquam à clamore cessauit, donec illi responderetur, vt æquo animo esset, vocari ipsum à Domino. Sæpe accidit in exercitio orationis, hominem varijs cogitationibus agitari, & à negotiorum sæcularium turbis in tam sancto opere impediri: sed seruus Dei non debet idcirco vel turbari, vel abijcere orationem, sed contentiori studio potius in illa persistere: nam tandem superata omni difficultate, inueniet se magna consolatione & pace in conspectu Domini perfundi.

7. Cœcus à Christo vocatus, abiecit mox, vt habet Euangelium, vestem suam vel pallium & Christum adijt, & patefacta sua infirmitate, postulauit ab eo sanitatem: eaque recuperata, ad consuetum locum non redijt, sed gratias egit glorificando Deum, & Christum deinceps sequendo. Non aliter faciendum est peccatori, quando se bona aliqua inspiratione aduetit à Domino vocari, vel quando per aliquam afflictionem ab eodem visitatur, nempe debet confestim deserere pallium prauæ consuetudinis peccandi, & cum firmo proposito de cætero non peccandi, ad Domini pedes sese abijcere, confitendo infirmitates suas spirituales, & misericordiam pro illis implorando. Quam vbi à Domino obtinuerit, non debet amplius post tergum respicere, redeundo ad veterem consuetudinem & occasiones peccandi, sed Deo gratias reddere, non ore modò, sed etiam operibus bonis: Nam aliud non est sequi Christum, vt fecit hic cœcus, quàm insistere virtutum eius vestigijs & exemplis,

emplis, neque potest homo vlla re magis Deo beneficia ab eo accepta compensare: quam glorificando, & bonorum operum exercitatione illum sequendo.

8. Dominus interrogauit cœcum, quid vellet sibi fieri? Tam bonus est Dominus, vt beneficia omnia quæ constituit nobis impartiri, velit dare ad nostram petitionem, vt sua dona gratuita ita fiant quoque nostra merita: atque idcirco licet nostras necessitates cognoscat, antequam eum deprecemur, nihilominus inuitat nos ad petendum etiam importune, dicens: *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Mat. 6. 7

9. Turbæ quæ prius cœcum reprehenderant, post conspectum miraculum, cœpernnt cum eo laudare Deum. Magna est virtutis potentia: licet enim habeat multos hostes & persecutores, ad extremum tamen semper victoriam obtinet. Sic crebrò videmus euenire, qui illudunt seruis Dei, & detestantur eos, qui amore salutis se abstrahunt à consuetudine huius mundi & adhærent Christo, demum à propria conscientia, & exemplo virtutum conuictos admirari, & reuereri eos, quos ante vituperarant, sæpe etiam emendatæ in melius viuendi ratione, eos imitari.

10. Per cœcum designatur peccator, qui dum est in peccato mortali, verè est cœcus mente. Hic ergo tunc sedet iuxta viam, quando incipiens cogitare de salute sua, appropinquat Christo, qui est vera via, deducens hominem ad vitam. Tunc quoque sublata voce implorat misericordiam, quando cum dolore & lachrymis deprecatur peccatorum suorum veniam. Turba, quæ illum reprehendit, sunt mundus, caro & dæmon, qui peccatorem à pœnitentia & con-

& confessione de peccatis facienda auocant, nam turba cupiditatum carnalium illi abblãditur, turba hominum mundanorum illum persequitur, turba vero dæmonum illum in fraudem inducit. Verum quo impugnatur vehementius, hoc exemplo huius cœci debet pugnare ardentius & alacrius, & cum desiderio & oratione ad Deum clamare, nec de diuina misericordia diffidere, quia citra dubitationem tandem exaudiet, & vocando illum ad se, lucem & tranquillitatem animi illi restituet.

MEDITATIO XVII.

SVSCIPITVR A ZACHÆO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 19. I. *Zachæus, Princeps Publicanorum & diues, cum* IESVM *videre non posset, ascendit in Sycomorum.*

II. IESV *eum vidente ac mandante vt descenderet, &c. descendens suscepit cum gaudio satisfactionem offerens.*

III. *Tunc* IESVS *ait: hodie salus domui huic facta est, eò quod & ipse sit filius Abrahæ, &c.*

PRO-

PROPHETIÆ.

1. *DEsiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Psal. 9.

2. *Sapientia facilè videtur ab his, qui diligunt eã, & inuenitur ab his qui quærunt illam: præoccupat qui se concupiscunt vt illis seprius ostendat.* Sap. 6.

3. *Si impius egerit pœnitentiam à peccato suo, fecerit iudicium, & iustitiam, & pignus restituerit, rapinamq; reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, vita viuet, & non morietur, omnia peccata eius quæ peccauit non imputabuntur.* Ezec. 33

4. *Nolo mortem impij, sed vt conuertatur à via sua & viuat.* Ibid.

DOCVMENTA.

1. ZAchæus dum versatur in hominum turba, non potuit videre Iesum : at tactus desiderio videndi, præcucurrit, & conscensa Sycomoro non solum eum vidit, sed etiam meruit eum in domum suam excipere. Sic homo peccator, quamdiu versatur in terra, addictus voluptatibus terrenis, & alijs peccandi occasionibus, lumen diuinæ gratiæ aspicere non potest ; sed quando Deus sua gratia præueniente illi immittit salutis desiderium, ipseque incipit viam mandatorum percurrere, ac ascendens Sycomorum, id est, ficum fatuam pedibus conculcat omnes fatui-

fatuitates & vanitates huius mundi, tunc non solùm incipit frui visione diuinarum consolationum, sed ipse Christus sua gratia ingreditur animam eius, vt in ea commoretur.

2. Zachæus post exceptum Christum in domum suam, non dixit, Ego dabo, ego restituam, vel in testamento relinquam, vt restituantur omnia iniquè accepta, & in pauperes erogentur. Sed dixit in præsenti: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus. Vnde & Christus mox illi respondit. Hodie domui huic salus facta est. Non satis est homini qui peccauit, aut alium defraudauit, ad consequendam perfectam salutem, vt peccare desistat, sed opus est quoque vt in præsenti satisfaciat, vel pœnitentiam agendo, vel debita proximo mox restituendo, atque etiam procurando, vt quamdiu viuit, eleemosynas aliaque opera bona faciat, nec committat, vt tantum fiant ab alijs post suam mortem.

3. Zachæus etsi esset homo honoratus, & publicanorum princeps, tamen ad videndum Christū non veritus est ascendere in arborem Sycomorum. Sycomorus significat crucem Christi. Nemo ergo cogitet se posse videre Christum, nisi per imitationem humilitatis, patientiæ & mortificationis conscendat arborem crucis. Hanc ascenderunt Martyres, alijq; omnes Sancti; hanc ascendunt omnes, qui ludibrium mundi facti amplectuntur cõsilia Christi.

4. De Zachæo refert Euangelium, eum Principem fuisse publicanorum, & statura pusillum, qua quia impediebatur, vt in media turba Christum videre non posset, ascendisse Sycomorum & vidisse. Sic omnes illi, qui malitia cæteros excedunt, dicuntur statura pu-

pusilli, ob exiguum pietatis spiritum, qui est in illis: & idcirco turba perturbationum animi negotiorumque sæcularium impediuntur, quo minus Iesum videre possint. Hi igitur si eum videre velint, hoc est, in se operationem diuinæ gratiæ sentire, ascendant Sycomorum, cuius arboris fructus sunt valde dulces id est, pedibus obterant omnes delitias huius mundi, & sic sublati in culmen virtutum, poterunt conspectu Iesu, diuinorumque eius consolationum dulcedine gaudere.

5. Sycomorus arbor excelsa est, cuius fructus foris asperi & duri sunt, interius dulces: & dicitur ficus fatua. Per hanc sycomorum significatur status religiosus, qui excelsior est statu sæculari, consistit enim in diuinarum rerum contemplatione, cuius fructus, id est, exercitia religiosorum, etsi in speciem videantur asperi, tamen verè ob spiritalem gustum & sensum quem præbent, sunt dulces & suaues. Vocatur autem arbor fatua, quia hominibus loco stultitiæ habetur, priuare se omnibus bonis sæculi, & alieno arbitrio se subijcere, ac in religione velut mortuum, vitam degere: in hanc sublimem arborem ascendit pusillus Zachæus; id est omnes, qui submissè de se sentientes, sunt humiles corde, & ad saluandas animas suas, ac ad videndum Deum in patria cœlesti humilem statum mundi huius deserunt, & sublimem religionis amplectuntur.

6. Christus conspecto Zachæo in arbore dixit, se velle in domo eius hospitari: Dominus pro sua habitatione non elegit animas demissas & terrenas, sed mentes erectas & abstractas. Si ergo velimus excipere Christum in domicilium animæ nostræ, debet esse abstra-

cta; primo à commoditatibus corporis & voluptatibus carnis, quæ abstractio significata est ascensione Zachæi in arborem. Secundo debet esse abstracta per propriæ voluntatis abnegationem, quod significauit Zachæus, quando ad solam Domini vocem descendit, & magno cum gaudio ad eum accurrit. Tertio debet esse abstracta à cupiditate rerum temporalium, quam abstractionem expressit Zachæus, cum dixit: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.

7. Zachæus, conspecto ex arbore Christo descendit, eumque comitatus in domum suam excepit, & facultates suas pauperibus distribuit. Vnde discimus, post institutam in sublimitate orationis de vita & doctrina Christi meditationem descendendum esse ad opera & officia pietatis erga proximum: nec enim sufficit contemplari Iesum, quando ille indiget hospitio, vel auxilio nostro. Tunc autem verè indiget, quando indiget re aliqua noster proximus, cum dixerit: *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Mat. 25

8. Zachæus his suis sanctis actionibus perfectam quasi formam expressit eorum, quæ cuique Christiano ad salutem consequendam facienda sunt: sicut ille eam à Christo consecutus est. Nam sicut Zachæus ad videndum Christum, primò reliquit domum, negotia, & socios suarum iniquarum actionum, sic nos primò debemus relinquere peccandi consuetudinem, omnesque actiones, quæ solent nos ad peccandum inducere. Secundo Zachæus cœpit currere, vt anteuerteret turbam, sic nos solliciti esse debemus in præstandis operibus bonis, gnauiter viam diuinorum mandato-

cum

rum percurrendo. Tertiò, Zachæus ascendit in arborem, sic nos cor nostrum & affectum auui-sum à rebus terrenis attollere debemus ad cœlestia. Et quia hæc arbor erat typus crucis Christi, nos conformare debemus cruci, patiẽter tolerando omnem contemptum & afflictiones huius vitæ. Et sicut Zachæus ascendit in altum causa videndi Christi, sic nos sæpe per orationem ascendere debemus ad meditationem & contemplationem sanctissimæ eius vitæ. Quartò, Zachæus vocatus à Christo cum festinatione descendit, sic nos non debemus esse segnes & tardi in admittendis diuinis inspirationibus, sed promptissimè exequi quicquid Dominus pro salute nostra nobis suggesserit. Quintò, Zachæus excepit Dominũ in ædes suas magno cum gaudio: sic nos quoque crebrius debemus Dominum sacramentaliter in animę nostrę domum cum omni humilitate, deuotione & lætitia spirituali recipere. Sexto, Zachæus stabat erectus in præsentia Christi, dum turbæ murmurarent: sic nos cum diuina ope erecti fuerimus à peccato, studeamus non amplius labi in illud, sed potius rectitudinem iustitiæ conseruemus & in bona vita inchoata, neglectis obloquijs & calumnijs huius mundi persistamus. Septimo, Zachæus suas facultates distribuit, partim ad satisfaciendum illis quos defraudarat, partim ad iuuandos pauperes: sic nos primò pro peccatis debemus operibus pœnitentiæ satisfacere Deo, deinde etiam proximis, si aliquid illis debeamus, vel restituendo aliena, vel iniurias condonando; deinde etiam ex facultatibus quas habemus aliquid in pauperes dispẽsando. Si multa bona a Deo acceperimus, multa etiã pauperibus cum Zachæo debemus: si parum,

parum; si nihil, minimum eis condoleamus, & bonam voluntatem illis declaremus, atque etiam orationibus & bonis verbis consolemur eos, quos deprehendimus aliqua necessitate vel ærumna affligi; & tunc de nobis dici poterit, quod Christus dixit de Zachæo. *Hodie domui huic salus facta est.*

MEDITATIO XVIII.

DE COENA BETHANIAE.

Puncta Meditationis.

Mat. 26 Mar. 14. I. *Cœnabat Christus in domo Simonis leprosi, & pariter Lazarus.*

Ioan. 12. II. *Effudit Maria vnguentum super caput eius.*

III. *Obmurmurat Iudas, Christus verò approbat.*

PROPHETIA.

Cant. 1. *DVM esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis.*

DOCVMENTA.

1. SImon in cuius domo Christus cœnauit, vocatus est leprosus, non quod tunc esset leprosus, sed quia prius fuerat, antequam à Christo sanaretur. Vnde discimus, etiamsi gratia Christi ab omnibus peccatis expurgati simus, retinere tamen eorum memoriam; & vo-

vocare nos semper peccatores, vt doleamus de illis non secus quàm si actu adhuc illis obnoxij essemus.

2. Lazarus resuscitatus assidebat mensæ cum Christo: sic peccator, postquam per Christum fuerit à peccati morte reuocatus ad vitam iustitiæ, meretur in Angelorum suorum aliorumque iustorum societate eius mensæ assidere, donisque suæ cœlestis gratiæ refici & cibari.

3. Maria vnxit caput & pedes Domini vnguento pretioso. Quo indicatur Deo offerenda, quæ apud nos sunt pretiosissima, & similiter pauperibus, qui sunt pedes Christi, non esse dandas res deteriores & inutiles quæ nobis amplius non seruiunt, sed meliores, & quibus nos etiam vtimur.

4. Maria effuso vnguento in Domini caput, fragrantia impleuit totam domum. Quemadmodum enim peccator factore praui exempli iniuriam facit Christo, & inficit ac scandalizat reliquos fideles Ecclesiæ Dei, sic boni Christiani bonorum operum exemplo laudant Deum & ædificant proximum, secundùm illud Apostoli. *Christi bonus odor sumus in omni loco.* 2. Cor. 2.

5. Illi exemplo Magdalenæ vnguento pretioso vngunt caput Christi, qui omnia opera sua faciunt & dirigunt purè ad honorem & gloriam Dei. Illi verò vngunt Christi pedes, qui insistentes eius vestigijs sanctam eius vitam imitantur. Illi quoq; vngunt caput Christi; qui se in diuini seruitij operibus exercent; pedes verò, qui opera quædam faciunt in auxilium & vtilitatem proximi.

6. Quidam discipuli murmurarunt contra Magdalenam, quasi temerè profudisset vn-

guentum tam nobile. Bona opera semper solent esse calumnijs & criminationibus obnoxia: atque etiam aliquando prætextu alicuius boni, vel quasi ex bono zelo, sed non secũdum scientiam, arroduntur: verùm nõ ideo debent aut timere, aut deterreri à cœpto seruitij Dei, quin pergant facere, quod iudicant ad gloriã Dei, & animarum salutem debere fieri. Possuntque consolari se Domini sui exemplo qui similia crebrius passus est, atque etiam sentẽtia Apostoli: non posse nos simul placere Deo, & hominibus: & certè si velimus niti sermonibus vel opinionibus hominum, serui Dei neutiquam essemus. Gal. 1.

7. Discipuli, cum dicerent sua opinione videri sibi melius, si pretium vnguenti, quo à Magdalena vnctum est caput cum pedibus Christi, datum fuisset pauperibus, ab ipso Christo sunt reprehensi, & factum Magdalenę commendatum: Quanquam alibi sæpius laudarit misericordiam in pauperes. Vnde docemur, sicut reprehensione digni non sunt, qui suas facultates expendunt in pauperes, ita neque ea dignos esse, sed laude potius, qui eas consumunt in fabricandis ornandisque Ecclesijs, fundandisque monasterijs ad ampliorem diuini nominis cultum & gloriam; vtrumque enim opus sanctum & Domino Deo nostro gratum est.

8. Verbis illis, *Pauperes semper habebitis vobiscum*, Christus indicare voluit hominibus diuitibus, quanta familiaritate vtĩ debeant cum pauperibus; pauperes enim præcipuè propter diuites facti sunt, vt hi communicando illis ex superuacaneis opibus necessaria, salutem quoque æternam merito beneficentiæ consequantur.

MEDI-

MEDITATIO XIX.

DE INGRESSV IN HIERVSAL.

Omissa est quia eadē habetur. p. 2. Med. 1.

MEDITATIO XX.

DE FLETV CHRISTI SVPER HIEROSOLYMÆ EVERSIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS

I. *Christus appropinquans vrbi fleuit super eam.*

II. *Dicens: si cognouisses, quæ ad pacem tibi abscondita sunt ab oculis tuis.*

III. *Quia inimici circundabunt te, nec relinquent lapidem super lapidem quia nō cognouisti diem visitationis.*

FIGVRA.

Hierosolyma à Rege Nabuchodonosor capta, Ieremia Propheta multis gemitibus & suspirijs deplorauit eius vastationem, dicens: Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, facta est quasi vidua Domina gentium, Princeps prouinciarum facta est sub tributo? *Thren. 1.*

PROPHETIÆ.

1. DEducant oculi mei lachrymam per noctem & diem, & non taceant, quoniam *Hier. 14*

niam contritione magna contrita est virgo filia populi mei plaga pessima vehementer.

Esa. 1. 2. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Et paulò pòst subiunxit pœnam illi ob hoc peccatum inflictam. *Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni, & regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario; & sicut ciuitas quæ vastatur.*

Hier. 8. 3. *Miluus in cœlo cognouit tempus suum, turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui populus autem meus nō cognouit iudicium Domini.*

Nu. 24. 4. *Venient in triremibus de Italia, superabunt Assyrios, vastabunt Hebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt.*

Dan. 9. 5. *Et ciuitatem sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas & post finem belli statuta desolatio.*

6. *Venient super te omnes maledictiones istæ, quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec seruasti mãdata eius. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu, quæ non deferat seni, nec misereatur paruuli: donec te disperdat & conterat in cunctis vrbibus tuis, & destruantur muri*

muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam obsideberis intra portas tuas, & comedes carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum in angustia & vastitate, quia opprimet te hostis tuus.

DOCVMENTA.

1. DOminus, cùm tanto honore & applausu exciperetur à populo, nullam tamen visus est inde capere voluptatem; sed erat totus in meditatione defixus rerum ad nostram salutem spectantium; vt indicaret huius mundi delitias breues esse & vanas, & ideo rationem nullam earum habendam, ac potius respuendas. Deinde non esse fidendum hominum laudibus: nam qui hodie videntur nos honore afficere, cras vituperabunt & malè loquentur de nobis; sicut accidit Christo, nam hic ipse populus, qui hoc die illum honorauit, paucis post diebus exclamauit, *Crucifige, crucifige eum.*

2. Christus fleuit supra Hierusalem; à qua sciebat se tanto odio haberi, & persecutiones pati. Quo exemplo docemur, non solùm dolere & compati afflictionibus tam corporalibus, quam spiritualibus proximorum nostrorum sigillatim peccatorum, (qui eo magis deplorandi sunt, quo minus seipsos deplorant) verumetiam inimicorum, si quando in ærumnas aliquas incidant iuuando illos, quibuscunq; rebus possumus iuxta præceptum Domini, eoque amplius, quo lõgius per peccata sua à Deo receſſerint, orando pro illis, vt dominus eos conuertere dignetur & ad salutem perducere. *Matt. 5.*

3. Christus doluit & fleuit super Hieroso-

lymam; quando in summo erat gaudio, nullamque suæ salutis curam agebat; repræsentans ea in re personam boni Prælati, qui æquè de subditorum suorum incommodis atque de suis debet esse sollicitus. Vnde ad ipsum spectat lachrymari pro illis qui rident, & contristari pro illis qui inaniter lætantur, & sollicitum esse pro ijs qui nullam sui curam gerunt, magno zelo, omniq; studio eos iuuando non solũ correctionibus paternis, monitionibusque salutaribus, sed oratione quoq; & lachrymis.

4. Dominus inter summos honores sibi à populo delatos lachrymatur de Hierosolymitano excidio; præbens nobis exemplũ, ne rebus prosperè fluẽtibus, obliuiscamur afflictionum proximi secundũ consilium Apostoli; *gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.*

Rom. 12

Nam vt ille idem scribit; hæc est membrorum in vno corpore societas & vinculum, vt si vnũ membrum patiatur, compatiantur cætera mẽbra; & si vnum gaudeat reliqua congaudeant; quare hominis Christiani actio non est, gaudere & exultare in sua prosperitate, & nulla cura tangi proximi, num bene vel male habeat.

1. Cor. 12

5. Fleuit quoque Christus inter honores à turba sibi delatos, vt significaret, gaudia huius mundi omnia mixta esse multis doloribus & innumeris amaritudinibus, eaque breui in luctum commutanda, secundum illud sapientis, *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.*

Prou.

6. Fleuit deinde Christus sub hoc tempus ad docendum homines, quando flendum sit nempe inter honores & applausus huius sæculi, qui potius flendi quam gaudendi materiam subministrant. Nam vt experientia quotidia-

na docet, quid aliud est honor mundanus, nisi spuma, fumus, & somnium? Spuma est, quia inflat, fumus, quia excæcat; somnium, quia subitò euanescit. Quare optimum consilium est gaudia mundana aliqua graui cogitatione, vt mortis, vel iudicij, vel aduersitatum, quæ vel acciderunt vel accidere possunt temperare, congruenter consilio Sapientis. *In die bonorum non immemor sis malorum.* Eccl. 11.

7. Defleuit Dominus non tam ruinam materialem Hierosolymorum quàm peccata eorum, quæ causam ruinæ dederant; vt nos quoque discamus deflere non temporalia damna, sed peccata nostra: ad aliud enim non seruiunt lacrymæ, quàm ad eluendas animi maculas, & peccata expianda. Nam etsi defleamus mortem parentum, vel amicorum, aut iacturam fortunarum, nunquam tamen poterimus aliquid illorum recuperare, si autē Deum offenderimus, poterimus illum recōciliare lachrymis & deletis per illas peccatis, amissæ restitui gratiæ.

8. Prædixit Dominus excidium Hierosolymorum, eò quod ciuitas illa tempus suæ visitationis non cognouisset: vt videlicet omnes intelligerent, nunc dum viuimus tempus esse nostræ visitationis, quo dominus omni benignitate nos visitat, vocat cum clementia, & expectat cum patientia. Verum postea aliud veniet tempus, cum Dominus nos visitabit tanquam Iudex ad exercendam iustitiam, quo tempore strictissimam exiget rationem etiam de verbis otiosis: si ergo tuc velimus esse securi, vtamur nunc bene opportunitate huius tēporis à Domino cōcessi, iecundū cōsiliū Sapiētis. *Quodcunq; facere potest manus tua, instāter operare, quia nec opus, nec ratio, nec* Mat. 12. Eccl 9.

ſapiẽtia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.

8. *Si cognouiſſes & tu*, inquit Chriſtus ad Hieruſalem. Quibus ex verbis intelligere poſſumus, omnia mala noſtra oriri ex defectu cognitionis: nam dæmon non ſecus quàm carnifex, obuelat oculos peccatoris: ne grauitatẽ peccati cognoſcat, quæ grauitas eſt gladius ille acutus qua præſcindit illi ceruices & occidit: vt quando aperiendi ſunt oculi, inueniat ſe in inferno, vbi nullum amplius remedium ſalutis ſupereſt.

MEDITATIO XXI.

DE FICV MALEDICTA ET EIECTIONE E TEMPLO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 21. *Mar.* 11. *Luc.* 19. I. *Chriſtus cum pridie, abſoluta concione, Bethaniam redijſſet, poſtridie reuerſus, eſurijt.*

Ioan. 11. II. *Cum in ficu fructus non reperiſſet, maledixit, atque illa ſtatim exaruit, Diſcipulis ſtupentibus.*

III. *Ingreſſus templum eiecit ementes & ven-*

& vendentes, conquerens, quod domum orationis facerent ſpeluncam latronum.

PROPHETIÆ.

1. *NOn eſt hortus ad comedendum, præco quas ficus deſiderauit anima mea, petijt ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt.* Mich. 7.

2. *Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecerit ſcelera multa?* Ier. 11.

3. *Nunquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua inuocatum eſt nomen meum in oculis veſtris?* Ier. 7.

4. *Viſitabo ſuper omnem qui arroganter ingreditur, ſuper limen in die illa, qui compleuit domum Domini Dei ſui iniquitate & dolo.* Soph. 1.

5. *Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio.* Pſ. 77.

DOCVMENTA.

1. SCribæ & Phariſæi inuidia torquebantur conſpectis admirandis Chriſti operibus, & honore illi à populo delato. Propriũ hominis arrogantis & ambitioſi eſt contriſtari de laude vel honore alterius: Vnde diſcere potes, ex hac mala radice naſci, quoties non lætaris, ſed cõtriſtaris potius de proſpero ſuc-

cessu proximi. Quare non indignemur contra alios, sed potius contra nostram superbiam & ambitionem.

2. Moris erat Christi, quoties ingrederetur vrbem Hierosolymorum adire primo loco templum, vt formam nobis religionis imitandam præscriberet; nempe, vt quocunq; nos contulerimus, primò inuisamus sacrum Templum & domum Dei, ibique per orationem nos diuinæ maiestati commendemus, tum verò ad negotia nostra expedienda pergamus.

3. Populus Hierosolymitanus mane recepit Iesum magno honore & gratulatione, vesperi autem , ne eum hospitio exciperet, finxit se eum non agnoscere: vnde docemur spes nostras non defigere in hominibus, qui à mane in vesperam mutantur: hodie declarans se beneuolos, cras autem dum operam eorum egebis, terga vertunt: negantq; se tui meminisse.

4. Christus toto die in prædicando & docendo consumpto, sub vesperam Hierosolymis discedit primò, vt doceret nos, non quærere quietem in mundo, quia proditiones machinatur. Secundò, vt doceret seruos suos, ecusq; conuersandum esse cum secularibus, quantum opus est ad eorum institutionem & auxilium, repetendo cum Christo Bethaniam, id est, domum obedientiæ. Tertiò, vt intelligerent, pro laboribus in proximi salutem impensis non esse exigendum vel expectandum præmium ab hominibus, dantes gratis, quod gratis acceperunt.

5. Ficum arborem, quantumuis viridem, & multis recentibus foliis florentem Christus, quia in ea non inuenit fructus arefecit.

fecit. Non pascitur Dominus folijs non sufficit habere bona proposita & bona desideria, si coniuncti non sint bonorum sanctorumque operum fructus: nam meretur gratiam Dei amittere, qui sinit illam esse otiosam, & illi non cooperatur, exercendo virtutis actus. *Omnis enim arbor*, inquit ipse Dominus, *quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* *Matt. 7*

6. In vrbe Hierosolymitana multa alia erant loca in quibus offendebatur Deus, sed Christus tantum habuit rationem templi, vt intelligeremus præcipuum studium ponendum esse in rebus ad cultum diuinum spectantibus: nam ex eo quod debita officia deserimus Deo, pendet reformatio omnium aliarum rerum quas agimus.

7. Christus seuerè castigauit templi prophanatores. Nos omnes, teste Apostolo, sumus templum sanctum Dei; in quo habitat Spiritus sanctus. Itaque vide quanto studio procurandum tibi sit, vt templum illud sit mundum ab omnibus rebus, quibus oculi huius sancti hospitis, qui est sanctitas & puritas ipsa, offendi possent. In eos enim qui peccatis suis prophanarint templum istud, proferetur terribilis illa eiusdem Apostoli sententia: *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* *1. Cor. 3.* *Ibid.*

8. Dominus dixit Iudæis. *Domus mea, domus orationis vocatur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Vnde magnam hauris occasionem confusionis: dum in mentem reuocas, quam exigua tibi cura fuerit confugiendi in tuis necessitatibus ad hanc domum orationis quantaque tepiditate

oratio-

orationes tuas hactenus habueris,& quod peius est, quod ex parte tua domum Dei crebro conuerteris in speluncam latronum, oculis tuis parum castis insidias struendo nunc huius,nunc illius personæ honestati.

9.Si domus Dñi domus orationis est,vide quãta puritate animæ tuæ, quantaq; deuotione & attentione in templo Dei versari debeas, Si.n. cũ mundi Principibus homines tã reuerenter agunt,i isque in locis, vbi illi præsentes adsunt,summa obseruatur modestia & silentiũ, quid facto opus erit in præsentia illius infinitæ maiestatis,summique Regis cœli & terræ?

10. Christus misericordiam temperauit cum seueritate:nam ex vna patre eiecit è templo, ementes & vendẽtes;ex altera, cæcos & claudos sanauit,vt discerenius & nos ita seueri esse in castigandis peccatis proximi, vt simul eorum in necessitatibus misereamur.

11. Christus reformaturus abusus ciuitatis Hierosolymitanæ, cæpit à templo, corrigendo eius ministros. Sacerdotes in Ecclesia Dei sũt quasi stomachus in corpore humano, nam vti stomachus cibum acceptum concoquit & digerit, & deinde per totum corpus distribuit; sic Sacerdotes acceptam à Deo per Scripturas diuini verbi scientiam, per meditationem prius concoquunt in se, deinde verò communicant toti populo. Quare etiam debent dare operam, vt tum sermone, tum opere ita se componant, vt omnibus bonum exemplum præbeant. Nam sicut quando in corpore humano est membrum aliquod infirmum, vt pes vel manus,non ideo patitur stomachus, sed cũ stomachus æger est,omnia alia mẽbra patiuntur;ita in Ecclesia Dei, si vnus aliquis homo peccet, non idcirco peccant Sacerdotes; sed si Sa-

si Sacerdotes in peccatis sint, totus populus in peccatum ruit. Vnde si Christianus quilibet rationem Deo reddet de solo suo peccato, Sacerdotes reddent non solùm de suis, sed omnium aliorum peccatis.

MEDITATIO XXII.

DE MORTE HOMINVM MVNDANORVM, AC IVSTORVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Dives epulo, induebatur purpura & byſſo, & epulabatur ſplendide, Lazarus iacebat abomnibus deſertum.* Luc. 10.

II. *Dives moriens ſepultus eſt in inferno; Lazari animam portarunt Angeli in ſinum Abrahæ.*

III. *Dives in tormentis videns Lazarum petit guttam aquæ, ſed illi negatur, quia in vita bona recepit.*

PROPHETIÆ. De malis.

1. *MOrs peccatorum peſſima.* Pſal. 33.

2. *Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur, relinquent alienis diuitias ſuas, & ſepulchra eorum domus eorum in æternum.* Pſal. 48.

3. *Erunt decidentes ſine honore, & in contumelia* Sap. 4.

tumelia inter mortuos in perpetuum, & erũt gementes, & memoria illorum periet.

Iob. 21. 4. *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncta ad inferna descendunt.*

Eccl. 41. 5. *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis, viro quieto, & cuius via directa sunt in omnibus.*

DE MORTE ELECTORVM.

Psa. 115. 1. *PRetiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.*

Psa. 126. 2. *Cum dederit dilectis suis somnũ, ecce hæreditas Domini, filij merces fructus ventris.*

Sap. 4. 3. *Iustus si in morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.*

Sap. 3. 4. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis: Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.*

DOCVMENTA.

1. CHristus referens prauam vitam & infelicem exitum diuitis epulonis, & contra beatum finem mendici Lazari reticuit nomen diuitis, & pauperis expresit, ad docendnm nos, vt quando referimus res cũ dedecore, & ignominia coniunctas, non prodamus earum auctorem, si autem referamus aliquid laude & imitatione dignum, etiam nomen auctoris patefaciamus.

2. Dein-

2. Deinde, ideo non nominatur hic homo dīues in Euangelio, vt intelligamus, peccatores, etsi aliquando magnū nomē habeant in terra, nullum tamen nomē habere apud Deum, nec vllam eorum rationem haberi, secundum illud Prophetæ: *recedentes à te, in terra scribentur.* quicquid enim in terra scribitur, statim deletur, quia & memoria talium inter homines facilè perditur. *Ier.17.*

3. In omnibus Euangelij locis, Dominus quoties de diuitiis loquitur, eas condemnat vt pernicioſas, vel reprehendit & minatur hominibus diuitibus, vel etiam eorum salutem facit impossibilem. Deinde quoties ferè mentionem facit diuitiarum, simul quoq; mentionem facit eleemosynæ: vt intelligamus, etiamsi diuitiæ sint res quædam adiaphoræ, quæ licitè acquiri possint & possideri, tamen admodum difficilè est, imò vt Dominus dicit, diuinæ virtutis subsidio opus est, vt quis possit salua conscientia, saluteq; animæ suæ opes accumulare. *Qui enim*, inquit Apostolus *volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli.* Nulla autem via & modus est, quo diues ad salutem peruenire possit, nisi per eleemosynas: sic enim Dominus ipsis diuitibus consuluit: *Verumtamen*, inquit, *date eleemosynam, & ecce omnia munda erunt vobis.* *Matt.19* *Ibid.* *1.Tim.6* *Luc. 11.*

4. Hic pauper Lazarus iacebat ad ianuam diuitis, cupiens exsaturari tantum micis ex mensa eius cadentibus, & nemo illi dabat. Vnde cognoscere possumus nimium amorē rerum huius vitæ efficere, vt homo iacturam faciat caritatis erga proximum, & naturalis com-

commiſerationis, quam homo erga hominem habere ſolet. Vnde ferè fit, vt egẽtiores, & minus rebus temporalibus abundantes maiori caritate & miſericordia moueãtur erga alios, quàm diuites.

5. Pauper hic mendicus totum diem conſumebat in petenda eleemoſyna ad ianuam diuitis, & nemo illi dabat. Vnde conijcimus, quantum poſsit eorum exemplum, qui ſunt aliorum capita & ſuperiores, quia experientia diſcimus, dum caput familiæ caritatem & miſericordiam exercet erga pauperes ſimul omnes eius domeſticos & famulos ad caritatem eſſe propenſos. Contra, quando nullam ex auaritia miſericordiam demonſtrat, pauperibus, tota quoque familia erga eoſdem pauperes ſe immiſericordem & crudelem declarat. Vnde & illud conſequitur, ſicut eiuſmodi familiæ capita ſuo malo exemplo occaſionem dant domeſticis ſuis, vt peruerſi ſint & mores domini ſui imitentur, ita ſuo tempore rationem ab ijs reddendam, & cruciatus inferni ſuſtẽturos, non ſolum pro ſuis, ſed etiam ſubditorum peccatis.

6. Pauper Lazarus, vt micas optabat, ita contentus erat tantum micis è menſa diuitis cadentibus: vbi vides quàm exigua re diuites poſſint lucrari cœlum, ſi nimirum ſuperuacanea tantum, & quæ è menſa ipſorum excidunt, communicent pauperibus: ſic enim poſſent peccata ſua redimere, & parare amicos, à quibus reciperentur in æterna tabernacula.

7. Mortuus eſt Lazarus mendicus, & ab Angelis deportatus eſt in ſinum Abrahæ: mortuus eſt & diues, & ſepultus eſt in inferno. Vbi ex vtriuſque fine potes æſtimare, ex vna part[e]

parte quis exitus sit ærumnarum & tribulationum huius vitæ, patienter & humiliter tolerarum, quia per illas patet aditus ad cœlum, & sessionem glorioſorum principum ſemper in conſpectu Dei viuentium. Ex altera parte potes videre, quis finis ſit voluptatū, dignitatum, & commoditatum huius vitæ: nam pretioſa hominis peccatoris & ſuperbi veſtimenta conuertuntur in flammas ignis vndique eum conſumentes, lautæ epulæ in æternam amaritudinem, omnis gloria & abundantia in ſummam ignominiam & calamitatem. Itaque ſi pauper es, vel infirmus, tolera patienter, ob ſpem æternorum bonorum, quæ poſſidebis in cœlo: ſi vero diues ſis, vide quomodo vitam inſtituas, & caue ne opes faciant te diuelli à Deo vero animæ tuæ theſauro.

8. Æquè moritur diues ac pauper; mors eſt terminus rerum omnium, quæ, vt omnes illecebræ & commoditates opulentorum, ita omnes angores & afflictiones inopum concluduntur & finiuntur. Vnde diſcere potes, neminem merito poſſe, vel extolli ob magnas opes, quia breui tempore deſerendæ ſunt, vel animum deſpondere ob inopiam, & afflictiones huius vitæ, quia breui finem habebunt.

9. Lazarus mendicus, vlceribus plenus, & ab hominibus contemptus, à Deo tanti æſtimatus eſt, vt animam eius ab Angelis curauerit deferri in locū ęternę requietis. Vnde diſce nunquam vllum hominem quantumuis vilē, pauperem, & infirmitatibus plenum contemnere, quia eiuſmodi, ſi patienter ferant tribulationes à Deo immiſſas, gratiores ſunt diuinæ eius maieſtati, & in cœlo glorioſiores omnibus, quos mundus in ſummo habet pretio & exiſtimatione.

10. Ex

10. Ex angoribus quibus homo affligitur in hora mortis, & seuero iudicio quod Deus facit anima è corpore egressa, pro emendatione vitæ tuæ disce tria, semper mentiabiecta habere, & nunquam è memoria deponere. Primum est, quantam crucem & dolorem illo puncto temporis ob Deum toties, offensum sis sensurus: itaque procura, dum viuis, pœnitentiam agere de peccatis præteritis, & de cætero Deũ non offendere. Alterum est, quantopere optaturus sis te quamplurima opera bona ad gloriam Dei per omnem vitam feciſſe, vt Deum illa hora inuenias propitium, quare fac, vt nunc, dum potes incipias bonis operibus diligenter vacare. Tertium est, quantam pœnitentiam tunc pro peccatis desiderabis facere si vel minimum temporis tibi concederetur, age ergo, vt nunc ita viuas, & pœnitentiã agas, vt illo puncto te egisse optares.

11. Cum mors tam sit certa, & hora mortis tam incerta, vt nec vnum diem vitæ nobis possimus promittere, valde vigilare debemus, & quolibet die, mane nobis quoad fieri potest persuadere illum extremum esse diem vitæ nostræ, atque ita animã nostrã negotiaq; nostra curare & disponere: atq; si post illũ diẽ victurinon essemus: neq; contrariũ nobis persuadere debemus, si enim id fecerimus, fieri non potest vt fallamur, si enim quotidie potest mors in nos insilire, merito eam quotidie; nullo habito dierum discrimine præstolari debemus.

12. Valde vtile & necessarium documentum est, quod Sapiens nobis reliquit his verbis, *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Ex recordatione enim mortis, Primò nascitur timor Dei, qui est pria-

principium sapientiæ, & omnis boni. Secundo, facit, vt homo sit sibi præsens, & aduertat vbi fingendus sit pes, ne labatur, Deumque offendat, atque ita facilè abstinet à peccatis. Tertiò, aperit homini oculos, vt agnoscat propriam miseriam: qua cognitione superbia corruit, & exurgit humilitas omnium virtutum custos. Quartò, efficit, vt homo cognoscat omnium rerum præsentium vanitatem, vt quod à nullo verè iuuari possit, nullam quoq; hinc sit secum delaturus. Vnde fit, vt facilè ab eo contemnantur, nec spem suam in ijs collocet: sed in solo Deo, bonisque cœlestibus. Denique persistendo in mortis memoria, timor tandem conuertitur in amorem, & mors ipsa quæ prius videbatur terribilis, incipit fieri optabilis, vt quæ finem impositura sit tantis periculis & miserijs, principium verè factura vitæ immortalis. *Eccl. 7.* *Psa. 110* *Eccl. 1.*

MEDITATIO XXIII.

DE IVDICIO VNIVERSALI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Erunt signa, in sole, luna, stellis; in terris pressura gentium à crescentibus hominibus præexpectat:* *Mat. 24.* *Marc. 13* *Luc. 21.*

II. *Apparente cruce exibunt Angeli congregantes Corpora à 4. Cœli plagis, & locabunt bonos à dextris, malos à sinistris.*

III. Chri-

III. *Christus cum Sanctis veniens tanquam iudex malos condemnabit. Ite Maledicti &c: Esuriui. Iustos saluabit: Venite Benedicti, possidete regnum &c. Esuriui &c.*

PROPHETIÆ.

Psal.49. 1. *DEus deorum locutus est, & vocauit terram.*

A Solis ortu vsque ad occasum, ex Sion species decoris eius.

Deus manifestè veniet Deus noster, & non silebit.

Aduocauit cœlum de sursum, & terram discernere populum suum.

Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.

Psal.96. *Nubes & caligo in circuitu eius, iustitia & iudicium correctio sedis eius.*

Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu eius.

Esa.13. 2. *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ furorisque ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea: quoniam stellæ cæli & splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo.*

Dan.12. 3. *In tempore illo consurget Michael princeps*

ceps magnus, qui stat pro filijs populi tui, & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cæperunt vsque ad tempus illud, & in tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro: & multi de his qui dormiunt in terra puluere euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper.

4. Canite tuba in Sion, iubilate in monte sancto meo: Conturbentur omnes habitatores terræ, quia veniet dies Domini, quia prope est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis. Ioel. 2.

Ante faciem eius ignis vorans, & post eã exurens flamma.

A facie eius contremuit terra, moti sunt cœli, Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum, Dominus dedit vocem suam, ante faciem exercitus sui.

Magnus enim dies Domini, & terribilis valde, quis enim sustinebit eum?

In diebus illis congregaboomnes gentes & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi. Ioel. 3.

5. Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est & velox nimis, vox diei Domini amara, dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Soph. 1.

Mal. 4. 6. *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem & germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ & sanitas in pennis eius: & egredieмini & salietis sicut vituli de armento, & calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.*

DOCVMENTA.

1. SI consideremus, quàm arctam & accuratã vitæ nostræ rationem reddituri simus in tremendo illo iudicio, magnam trepidandi causam habemus, & nos ipsos colligendi: nam quantumcunque iusti videamur, tamen iustissimo iudici non deerit quod iudicet & reprehendat in nobis; cuius oculi, vt dicebat
Iob. 10. ille S. Iob, non sunt carnei, vt videat tantum quæ homines vident, sed intuitu suo penetrant etiam intima humanorum cordium.
2. Cor. 11 Certè si Sanctissimus Apostolus, qui raptus
1. Cor. 4. fuit in tertium cœlum, scripsit, licet nullius sibi conscius esset, in hoc tamen non sibi videri iustificatum & securum, eo quod à Domino iudicandus esset: qua ratione poterimus securi esse nos, qui sumus pleni peccatis?

2. Christus in iudicio tantum facit mentionem operum misericordiæ, non quod iusti aliis operibus pijs vitæ æternæ meritorijs non vacassent; sed quia Deo hæc virtus tam grata est, vt voluerit eam hoc modo honorare, ac si

pro

pro illa sola præmium vitæ æternæ daretur. Quanquam rarum est, hominem aliquem verè esse misericordem, & non esse alijs quoque virtutibus præditum: si verò peccator sit, non patietur eum Deus diu in peccatorum sordibus hærere, sed gratiam suam illi dabit, vt desertis peccatis salutem tandem consequatur, secundum illud Christi: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matt. 5.

3. CHRISTVS sub operibus misericordiæ corporalibus, pro quibus remunerabitur bonos, voluit quoque comprehendere spiritualia, vt quibus copia non est faciendi eleemosynam corporalem, faciant saltem spiritualem, vt eodem præmio potiantur. Is autem spiritualiter præbet cibum & potum Christo esurienti & sitienti, qui sua doctrina, piaque institutione erudit rudes & ignorantes, eisque viam veritatis & iustitiæ ostendit. Secundò, is vestit & cooperit nudum Christum, qui sua exhortatione peccatorem diuina gratia nudatum conuertit, & iuuat vt virtutibus Christianis induatur, de quibus Apostolus, *Induite vos*, inquit, *sicut electi Dei viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, &c.* Col. 3. Tertio ille colligit & hospitio excipit peregrinum Christum, qui per pœnitentiam, cæterasque virtutes parat animã suam ad recipiendum in ea Christum, ante per peccatum aliquod ab ea abalienatum. Ille denique visitat Dominum infirmum vel incarceratũ, qui suis commonitionibus, vel reprehensionibus conatur consolari, vel adiuuare eos, qui ob tribula-

tionem vel tentationem aliquam sunt infirmi Spiritu, aut propter peccatum adhuc sunt in dæmonis seruitute. Quæ opera spiritalia caritatis hoc sunt perfectiora, & maiori præmio apud Dominum digniora, quanto anima est præstantior corpore.

4. Christus extremo illo die in ferenda sententia nullam rationem habebit, aut nobilitatis generis, aut dignitatis personæ, aut diuitiarum, aut alicuius alterius rei huius mundi, sed tantum virtuti & sanctitati præmium attribuet. Vnde discimus, nullum illo die præsidium fore, aut in dignitatē status, aut fauore & beneuolentia Principum virorum, ne quis ad ista respiciat, sed tantum in pietatis cultu & bonorum operum exercitatione: hæc enim sola & fauorem apud Deum conciliant, & mercedem promerentur. Similiter qui hoc in mundo contemnuntur & affliguntur ab impijs, magnam habent causam exultandi; quia si patienter tolerarint contumelias & ludibria, cæteris omnibus in illo die anteponentur.

5. Christus cum reprobos vocasset maledictos, rationem subiecit. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare. Vnde intelligimus, in extremo iudicio homines non solum condemnandos ob patrata mala opera, sed etiam ob prætermissa bona quæ poterant & debebant facere, secundum illud dictum ipsius Christi,

Matt. 3. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Quare nemo sibi imponat, nec solo nomine Christiani se securum existimet, vel satis esse arbitretur, non furari, non occidere hominem, vel alia peccata cōmittere: si enim non vacauerit quoque bonis operibus, atque imprimis caritatis in pro-

proximum, eandē ſententiam habet expectare cum illis, quibus dictum eſt. *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare.* *Ibid.*

6. Ex alia parte ex terribili pœna, qua Chriſtus animaduertit in reprobos, quod bona opera non fecerint, colligimus, quàm grauiter caſtigandi ſint, qui nō ſolum bona opera prætermiſerunt, ſed multa quoque mala perpetrarunt: ſi enim detrudendus in ignem eſt, qui de pane ſuo nihil communicauit pauperibus, quid fiet illi, qui ſuſtulit alienum? Et ſi tantæ pœnæ reus eſt, qui nudum non veſtiuit, quā merebitur, qui alios ſpoliauit? Rurſum, ſi dæmonum ſocietate dignus eſt, qui hoſpitē in domum ſuam non excepit, quid illi futurum eſt, qui eundem domo ſua expellit? denique ſi carceri inferni addicetur, qui non viſitat incarceratos & infirmos, quo loco dignus erit, qui leui ex cauſa alios in vincula compegerit, crudelisque & inhumanus in proximum fuerit?

MEDITATIO XXIV.

DE POENIS DAMNATORVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Ibunt hi, mali ſcilicet, à Dæmonibus raptati.* *Mat. 25.*

II. *In ſupplicium.*

III. AETERNVM.

PROPHETIÆ.

Psal. 89. QVis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Psal. 54. Tu Deus deduces eos in puteum interitus.

Psal. 48. Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.

Psal. 10. Pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.

Psal. 93. Et reddet illis iniquitatem ipsorum, in malitia eorum disperdet eos.

Isa. 33. 2. Concipientes ardorem parturietis stipulã: spiritus vester, vt ignis vorabit vos, & erũt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburenti.

Ibid. Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit timor hypocritas, quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?

Isa. 66. Videbunt cadauera virorum, qui prauaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erũt vsque ad satietatem visionis omni carni.

Iob. 10. Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat.

Ad niuium calorem transeat ab aquis nimium & vsq; ad inferos peccatum illius. Iob. 4.

Humilia valdè spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij, ignis & vermis. Eccl. 7.

Stupa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis Via peccantium complanata lapidibus, & in finem illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. Eccl. 22.

Dominus omnipotens iudicabit iniquos, in die iudicij visitabit eos, dabit ignem & vermes in carnem ipsorum, vt vtantur, & sentiant vsque in sempiternum. Iudit. 16

DOCVMENTA.

1. AIT Euangelium. *Ibunt hi in ignem æternum:* nimirũ, quibus dixit Christus. Esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c. Sicut contra iussi sunt ire in vitam æternam, quibus prius dictum erat, Esuriui, & dedistis mihi manducare. Vnde colligere possumus, si optamus quodammodo certi reddi in hac vita, quæ sors nobis sit in altera vita obuentura, num scilicet simus socij eorum futuri qui ibunt in ignem æternum, an eorum qui in vitam æternam, debere nos consulere nos ipsos, conscientiamque nostram excutere, an tales nos præstemus erga pauperes Christi, vt possit nobis tunc dici. *Esuriui, & dedistis mihi manducare*, &c. An vero reformidemus, ne contrarium potius de nobis dici queat. Ex hoc examine ergo quilibet poterit de se statuere, qua sententia dignus sit in extremo illo die futurus.

2. Multas vtilitates afferere poteſt conſideratio pœnarum inferni, ſpeciatim quatuor. Prima eſt, quia conſideratio grauitatis eatũ, quas in altera vita patimur pro peccatis hic commiſsis, facit vt promptius laborem & aſperitatem pœnitentiæ, & pariter omnes tribulationes, quas Dominus ob peccata nobis immittit, amplectamur. Quæ pœnitentia tanto leuior apparebit, quanto hæ omnes corporales & temporales afflictiones, compatatione pœnarum quas promeruimus, reuera ſunt leuiores & breuiores multisque conſolationibus refertæ, quas Dominus ſolet communicare omnibus qui in ſimili genere operum bonorum ſe exercent.

3. Altera vtilitas eſt, quia hæc conſideratio plurimum iuuat ad vincendas omnes tentationes: dum mox atque ſe offert fœda aliqua cogitatio, aut prauum deſiderium, memoria & horrore illius ignis perpetuò ardentis apud inferos, conamur extinguere flammas libidinis, vel alterius inordinati affectus, antequam ijs cor noſtrum accendatur: neque enim dubium eſt, ſi ante conſenſum in peccatum vel commiſſionem peccati, paululum ex animo perpenderet homo, quã duro momentaneum & exiguum oblectamentum ſit luendum ſupplicio, nequaquam ſineret ſe ab illa tentatione vinci, nec pro vlla re mundi induci ad Dominum offendendum.

4. Tertia vtilitas eſt, quod hæc conſideratio inſerat cordibus noſtris timorem Dei, qui eſt
Eccl. 1. initium ſapientiæ, & ducat hominem ad caritatem: atque ita videmus, quando hic timor ingreditur animam peccatricem, totam ab eo commoueri, & paulatim præparari ad deſerendum peccatum, & reuocandam Dei gra-

gratiam. Illis quoque qui iam in gratia Dei sunt timor idem est loco fræni, quo retrahuntur ab omnibus peccandi occasionibus, & multo magis a quouis peccato, eo quod miserabili mercede in altera vita, nempe æterna morte, compensetur. Et idcirco dixit sapiens, *beatum esse hominẽ qui semper est pauidus.* Prou. 28.

5. Quarta vtilitas huius considerationis est, quod vehementer cor nostrum igne diuini amoris accendat: nam si quisque nostrum perpendat, quot nunc illis pœnis infernalibus excrucientur, qui fortè vnum tantum peccatũ mortale commiserunt; quot item ibi torqueantur, pro longe leuioribus & pauciorib. peccatis, quam fuerint nostra, ac denique quoties ijsdem peccatis, & forte grauioribus tandem pœnam promeriti simus, nec tamen permiserit Dominus nos in misero illo statu, in quo iã alij sunt, versari, sed potius pro summa sua clementia & misericordia vsque in præsentem diem nos conseruarit & tolerarit, magnam profecto habemus causam, dum videmus nos ab eo tantopere amari, & tam benignè tractari; eum vicissim redamandi, gratiamque ei referendi, ac verò etiam operam dandi, vt imposterum maiore studio eum colamus, & diligẽtissimè caueamus, ne peccato aliquo grauiore eum amplius offendamus.

MEDITATIO XXV.

DE GLORIA BEATORVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Iusti ibunt per dotem agilitatis, ab ab Angelis deducti.* Mat. 25.

II. *In vitam.*
III. AETERNAM.

PROPHETIÆ.

Psa. 86. GLorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.
Gloria & diuitiæ in domo eius.

Psa. 111. *Quam dilecta tabernacula tua Domine*
Psal. 83. *virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria domini.*

Psal. 64. *Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti, inhabitabit in atrijs tuis.*

Psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

Psa. 149 *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Exultationes Dei in gutture eorum.*

Psal. 35. *Inebriabũtur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*
Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

Psa. 64. *Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.*

Isa. 33. 2. *Qui ambulat in iuſtitijs, & loquitur veritatem, &c. iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimatio eius, panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt. Regem in decore ſuo videbunt oculi eius, cernent terram de longe.*

Ibid. *Videbunt Hieruſalem habitationem opulentam, habitaculum, quod nunquam trãsferri*

ferri poterit, nec auferẽtur claui eius in sempiternum. & omnes funiculi eius non rumpẽtur, quia ſolummodo ibi magnificans eſt Dominus noſter.

Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Iſa. 34.

Et redempti à Domino conuertentur, & venient in Syon, cum laude & lætitia ſempiterna, ſuper capita eorum gaudium, & exultationem obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus. Iſa. 35.

Ecce enim creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, ſed gaudebitis & exultabitis vſque in ſempiternum, in his quæ ego creo: quia ecce ego creo Hieruſalem exultationem, & populum eius gaudium. Iſa. 65.

3. *Qui docti fuerint, fulgebũt, quia ipſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Dan. 12.

4. *Iuſti in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio eorum apud altiſſimum. Ideo capient regnum decoris & diadema ſpeciei de manu domini, quoniã dextra ſua teget eos, & in brachio ſancto ſuo defendet eos.* Sap. 5.

PARS TERTIA.

MEDITATIO I.

DE INGRESSV IN HIERVSALEM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 21. Luc. 19. Ioan. 11. I. *Præcepit Dominus adduci asinam & pullam:* soluite & adducite mihi, *&c.*

II. *Asinam conscendit, Apostolorum vestibus instratam.*

III. *Populus obuiam veniens vestimentis suis, & ramis sternebat viam & canebat:* Osanna filio Dauid, &c.

FIGVRA.

Exod. 12. PRæcepit Dominus filijs Israel; vt Agnum qui immolandus esset die Paschæ, quinque diebus ante, domum suam adducerent: ibique seruarent vsque ad diem sacrificii.

PROPHETIÆ.

Zach. 9. EXulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, *Ecce Rex tuus venit tibi iustus,*

iustus, & saluator: ipse pauper, ascendens super asinam & pullum filium asinæ.

Dicite filiæ Sion: Ecce Saluator tuus venit, merces eius cum eo. Isaiæ 62.

DOCVMENTA.

1. NOLVIT Christus insidere asino nudo, sed instrato vestibus Apostolorũ. Christus in anima nuda sedem non figit; sed in ea, quam virtutibus & Apostolicis operibus ornatam vestitamque inuenit.

2. Dominus ad se vehendũ, non sibi delegit animalia superba & pompatica; sed abiecta & mansueta. Curemus in nobis, insint hæ virtutes, vt in anima nostra considere & quiescere dignetur Christus.

3. Tunc instar Apostolorum locum vestimentis nostris paramus, in quo Christus sedeat; cum pijs exhortationibus delinimus, & flectimus animos & corda hominum, vt in ijs inhabitare possit Christus & quiescere.

4. Illi sternunt vestimenta sua in via, qui mortificatis affectibus & edomita carne, viam parant Christo, qua ad illorum mentes accedat. Illi item qui sua virtute, exemplum alijs ad imitandum præbent.

5. Tunc Christo cum ramis oliuarum obuiam imus, cum exercemus opera misericordiæ & charitatis: cum palmarum ramis autem, quando de tentatione aliqua victoriam reportamus.

6. Vestes nostras ad pedes Christi sternimus, cum inopes, qui sunt quasi pedes Christi, nostris diuitijs subleuamus.

7. Christum in anima nostra cum laudi-

bus, & benedictionibus tum excipimus; cùm in Confessione sincerè exponimus omnia peccata: itemque cùm pro beneficijs in nos collatis Maiestati ipsius gratias agimus.

8. Christus gloriam suam voluit mistam esse humilitate: vt qui pullo asini veheretur, animali scilicet, ad vilia plebis opera destinato. Sic & nos, vbi vel externa laude, vel externa tentatione ad vanam gloriam extollimur, reuocemus in memoriam nostræ conditionis vtilitatem, quamque in rebus omnibus miseri & imperfecti simus.

MEDITATIO II.

DE CONCILIO IVDÆORVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 26 Mar 14. Luc. 22. I. *Christus, circa Paschа denunciat discipulis passionem, dicens fore, vt post biduũ tradatur, & crucifigatur.*

II. *Principes & Seniores cum Caipha consilium inierunt, vt eum dolo tenerent, timentes plebem.*

III. *Sathana in Iudam intrante, abijt ille ad Iudæos congregatos, spondens se traditurum: & constituerunt ei 30. argenteos.*

FI-

FIGVRA.

FRATRES Ioſephi, cùm eum ad ſe venientem adſpicerent, ſtimulante inuidia de eius nece cogitabant: & conſilio inito dicebant inter ſe: *Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum.* *Gen. 37.*

Fratres Ioſephum Iſmaelitis viginti denarijs vendiderunt. *Ibidem.*

PROPHETIÆ.

FOderunt foueam, vt caperent me, & laqueos abſconderunt pedibus meis. Tu autem Domine ſcis omne conſilium eorum aduerſum me in mortem. *Hier. 13.*

In eo dum conuenirent ſimul aduerſum me, accipere animam meam, conſiliati ſunt. *Pſal. 30.*

Dixerunt inimici mei, & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in vnum dicentes; Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum. *Pſal. 70*

Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. *Zach. 11.*

Vendiderunt Iuſtum pro argento, & pauperem pro calceamento. *Amos 2.*

DOCVMENTA.

1. QVI alijs vel ætate, vel ſcientia, vel dignitate præſtant, ij operam dare debent, vt præſtent etiam ſanctitate & legum obſeruatione: vt poſſint non modò conſilio, ſed

sed etiam vitæ exemplo sibi creditos adiuuare. Caueant verò sibi, ne suo exemplo cuiquam occasionem dent ruinæ, quod ab istis Sacerdotibus & Senioribus Iudæorum commissum est: qui suo iudicio Christum morte dignum pronunciantes, causam præbuerunt populo, vt peruerso iudicio ipsorum sequens authoritatem, contra Christum insurgeret.

2. Si Iudas Apostolus Christi, qui cum Christo conuersabatur, eius doctrinam audiebat, & miracula præ oculis habebat: tamen sola occasione loculorum, qui erant ipsi commissi, ita per auaritiam excæcatus est, vt animum posset inducere, vt Dominum suum venderet: quid nobis fiet si non cautè caueamus peccatorum occasiones?

3. Qui principio vim sibi non infert, nec vincit animi vitiosas inclinationes, magno est in periculo ruinæ. Diabolus enim in quam partem inclinari nos intelligit, in eam nos suis tentationibus & grauibus impellit, & facilius prosternit.

4. Quemcunque sermone aut exemplo ad peccatum inducimus, ei Christum vendimus, per eius peccatum iniuria afficiendum, & crucifigendum.

5. Quot cupiditatibus tenemur rerum terrenarum, honoris, scientiæ, opum, voluptatum corporis, tot loculos cum Iuda circumferimus, id est laqueos quibus capiamur, & trahamur ad interitum. Omittamus hos loculos, ne pereamus: neque enim Apostolorum vllus periit, nisi qui loculos habuit.

6. Quoties Dominum offendimus, vt nostræ cupiditati faciamus satis, aut illius diuinas inspirationes contemnimus: toties Christum vili precio vendimus, & multo viliori nonnunquam, quam illum Iudas vendiderit.

MEDI-

MEDITATIO III.

DE DISCIPVLIS AD PARANDAM COENAM MISSIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Primo die azymorum, Petro ac Ioanni dicit:* Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus. *Mat.* 26. *Luc.* 22.

II. *Quærentibus vbi vellet parari? dat illis signum, vt sequantur hominem, aquam baiulantem, dicentes Patrifamilias: dicit* Magister, apud te facio Pascha cum discipulis.

III. *At ille ostendit eis cœnaculum magnum stratum, ibique pararunt, ac* IESVS *Matre in Bethania relicta facto vespere discubuit cum duodecim.*

FIGVRÆ.

SAVL cum socio dum quærit Samuelem, occurrit in ipso vrbis ingressu pueris exeuntibus ad hauriendam aquã, à quibus didicit, quo loco esset Samuel, qui vtrumque eo die solemni adhibuit conuiuio. *1. Reg.* 9.

Eliezer missus à domino suo Abraham *Gen.* 24.

ad

ad iniquirendum Laban, in vrbis ingressu occurrit Rebeccæ, ferenti in humeris lagenam aquæ; quæ inuitauit eum in domum patris sui, locum dicens esse ibi spatiosum, cum omnibus rebus ad habitandum necessarijs.

Tob. 10. Anna Tobiæ mater, cum filio, in longinquam peregrinatlonem iussu patris abituro, valedixisset, cœpit flere & dicere: baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisistià nobis.

DOCVMENTA.

1. QVI in illis rebus obedientiam præstant, in quibus iustis de causis ab obedientia liberi erant, idque vt alijs exemplum præbeant, tãto maiore sunt virtute præditi, quanto sunt Christo similiores; qui cum nulla lege teneretur, vt tamen nobis exemplum relinqueret, voluit se sponte legi subijcere.

2. In rerum externarum angustijs, non nimia est capienda solicitudo, sed Deo fidendum, illudque cogitandum, si modo nos illi fideliter seruiamus, & ante omnia regnum Dei & gloriam eius quæremus, fore, vt ille non desinat necessaria nobis curare. Quemadmodum Christo, tametsi nullum apparatum feciſſet ad Pascha, omnia tamen ad tempus præsto fuerunt.

3. Misit Christus Petrum & Ioannem, ad parandum Pascha. Petrus bonam actionem, Ioannes deuotam significat contemplationem. Sic nos si cupimus dignum parare in anima locum, quo corpus Christi in Sacramento accipiamus,

piamus, præmittere debemus virtutum actiones cum deuotis orationibus.

4. Domum, quam Christus ad celebrandum Pascha erat ingressurus, prius ingreditur homo, portans lagenam aquæ: vt intelligamus, cùm in SS. Sacramento Dominum recepturi sumus, lauandam prius purgandamque animam, aquis lacrymarum & contritionis de peccatis.

5. Si cupimus, vt Dominus noster in corde nostro hospes esse dignetur, efficiamus ex illo cœnaculum grande, stratum grande: per magnitudinem fidei, amplitudinem spei, charitatis latitudinem: stratum varietate virtutum omnium.

6. Cùm Christus Patris mandato vocaretur, vt Hierosolymam iret ad crucem, discessit Bethania, relicta Matre, amicis, & omnibus quæ apud illos iucunda esse possunt. Sic nobis, cùm vt diuinis præceptis obediamus, itemque sanctis inspirationibus, si quando nos Deus vocet Hierosolymam, id est, ad visionem pacis, ad statum scilicet perfectiorem, vbi vera est pax; abijciendus est omnis affectus & respectus humanus: relictis enim parentibus, amicis, atque omnibus quæ mundo grata sunt, currendum est alacriter, ad amplexandam cum Christo crucem obedientiæ.

7. Parentes & amici Christi Bethaniæ erant, quod domum afflictionis significat: at verò hostes & crux Hierosolymis, quæ est visio pacis: quo latenter indicatur, inter patentes, mundi voluptates, nihil nisi molestias Spiritus inueniri, & per crucem è contra persecutionum & afflictionum, recta iri ad veram & perfectam pacem.

MEDI-

MEDITATIO IV.
DE COENA VLTIMA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 26 Mar. 14 Luc. 22. I. *Discumbens cum Discipulis, ait:* Desiderio desideraui manducare hoc Pascha vobiscum, antequam patiar.

II. *Ex hoc* non manducabo illud donec impleatur, in regno Dei.

III. *Accepto Calice gratias agens dixit:* Accipite & diuidite inter vos: nō bibam de generatione vitis, donec veniat regnum Dei.

PROPHETIÆ.

Prou. 9. *SApientia immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.*

Ps. 127. *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.*

DOCVMENTA.

1. CHristus dum cœnat & discipulis suam caritatem ostendit, Iudam non excludit à quo se venditū iri screbat. Sic nos à beneficentia nostra neminem omnino proximorum debemus excludere, sed bene facere omnibus:

nibus: & non minus pro ijs, qui nos odio, quã qui nos amore prosequuntur orare.

2. Non abijciendus est animus, si quando desiderijs nostris continuò Dominus non satisfacit: etiamsi bona illa & sancta sint. Nam & ipse Christus tot annos expectauit, antequam salutem nostram, cuius tanto æstuabat desiderio, nobis conficeret.

3. Christus non ignarus, vel quam misera esset hæc vita, vel quam optabilis ipsi & pretiosa mors semper vitam fastidiebat, mortem exoptabat: At nos cœci, qui nihil aliud dulce aut præstans iudicamus, nisi quod oculis cernimus, & nimium horremus mortem, & vitæ cupiditatem immensam fouemus.

4. Porrexit discipulis calicem Christus, vt eum inter se diuiderent. Calix hic molestias & res aduersas huius vitæ indicat, qui voluntate Christi inter nos diuidendus est. Vt scilicet alter alterius mala doleat, alter alterius onera portet, alter alteri, cum res postulat, sit subsidio. Ita si facianus, implebimus legem Christi, qua de re Apostolus. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

5. Promisit Christus Apostolis, tum se perfectè manducaturum cum ipsis Pascha, cum in sua Ecclesia regnum obtineret, quod nunc omnibus fidelibus præstat: cum enim digne sacra mysteria sumunt, epulatur ipse cum illis tanquam membris suis. Quod si igitur tanta hominis Christiani dignitas, quanta est manducare Christum, non mouet nos ad huius mensæ frequentationem: moueat saltem quod Christus nobiscum manducet: vt die illa iudicij extrema possit dicere: *Venite benedicti quoniam esuriui & dedistis mihi manducare.* Mat. 25.

6. Vc-

6. Verus Paschæ Agnus, id est, Christus in Sacr. eo modo sumi debet, quo ille mysticus. principio cum pane azymo sine fermento, id est, conscientia expurgata ab omni malitia & peccandi voluntate. Deinde cum lactucis agrestibus, id est, cum acerbo dolore peccatorum. Tertio succinctis lumbis per continentiam carnis. Quarto calceatis pedibus, id est, affectibus liberis à rebus terrenis. Quintò cum baculis in manibus, id est, accurata custodia nostri ipsorum.

MEDITATIO V.
DE LOTIONE PEDVM.

PVNCTA MEDITATIONIS

an. 13. I. *Christo suorum pedes lauare incipiẽti, & ad Petrum venienti, dixit ille:* Domine, Tu mihi lauas pedes! *hoc non fiet in æternum.*

II. IESV *dicenti:* Si te non lauero, non habebis partem mecum, *ait: Domine,* non tantum pedes, sed etiam manus & caput.

III. *Finita lotione, resumptis vestibus, monuit eos, vt eodem modo sibi mutuo pedes lauarent, concludens:* Exemplum dedi, vt quemadmodũ feci, sic & vos faciatis.

FI-

FIGVRA.

FRATRIBVS Ioſephi in Ægypto, cùm ab ipſo ad conuiuium inuitati eſſent: præbita eſt prius aqua pedibus lauandis. *Gen.* 43.

Moyſes Aaronem & filios prius aqua lauit, quam eos indueret ſacris Sacerdotum veſtibus. *Luc.* 8.

DOCVMENTA.

1. MAnus & caput vt munda ſint, inſtar Apoſtolorum, curare debemus, id eſt, vt in operibus & moribus ſit ſanctitas puritas & rectitudo in intentione.

2. Sæpe pœnitentia & confeſſione crebra,, abluendæ ſunt ſordes cupiditatum & amoris terreni à pedibus animæ, vt poſſimus partem habere cum Chriſto.

3. Chriſtus de humilitate nos eruditurus, prius exemplo, tum verbis docet: prius enim lauit, quàm docuit: vt intelligeremus eos qui alijs ſuperiores ſunt, aut eorum curam gerunt, debere ſuos primùm ſuo exemplo, deinde oratione ad virtutem adducere.

4. Pedes fratrum & proximorum cum Chriſto lauamus, cùm pro ijs, qui in peccatis hærent, preces fundimus, cum iniurias nobis illatas vltrò donamus, cum noſtris ſanctis moribus & cohortationibus pijs illos ad peccata & imperfectiones fugiendas inducimus.

5. Quæcunque actiones à caritate & humilitate proficiſcuntur, eæ, Chriſti exemplo, ſum-

ſummo deſiderio & alacritate arripiēdæ ſunt. Neque enim verecundari Chriſtianum decet, ſi factum Chriſti ſequatur : nec ſeruum, ſi ijs miniſterijs occupetur, in quibus videt eſſe Dominum.

6. Pudeat nos : cum videmus Dominum & Magiſtrum cum diſcipulo contendentem, vt ſibi liceat inferiorem eſſe, & pedes more mancipij lauare. Et nos terræ vermiculi erubeſcimus ſeruire aut obedire ijs, etiam quibus inferiores ſumus : cupientes honorem & reuerentiam nobis potius exhiberi.

7. Noluit Chriſtus Petro lotionis cauſam, niſi abſoluto opere, indicare. Sic nos non decet curiose rerum, quas Deus in hoc mundo permittit, ſcrutari cauſas ; potius perferre omnia : ad extremum enim omnia cum fructu & voluptate quorſum pertinuerint intelligemus.

8. Qui ægrè ferunt, aut certè infructuoſas apud ſe eſſe patiuntur aliorum reprehenſiones, aut Superiorum, patrumque ſpiritualium monitiones ; item qui contemnunt aut repugnant diuinis inſpirationibus : ij ſunt, qui à Chriſto lauari, & quod ſequitur, partem habere cum illo recuſant.

MEDITATIO VI.

DE INSTITVTIONE SS. EVCHARISTIÆ.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat 26 Mar. 14. Luc. 22.

I. *Cœnantibus illis,* IESVS *accepit panem ac gratias agens, benedixit, fregit,*

git, dedit que discipulis, dicens: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.

II. *Similiter accepto calice gratias egit ac dans illis, dixit:* Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.

III. Hoc facite in meam commemorationem.

FIGVRÆ.

MELCHISEDECH Sacerdos Dei altissimi obtulit panem & vinum. *Gen.* 14.

Præcepit Dominus populo Israel, vt ad suum Pascha, sumerent agnum sine macula, & assum igni comederent, cum pane azymo, & lactucis agrestibus. *Exod.* 12.

Pluit Deus manna de cœlo, ad cibum populi sui in deserto. *Exod.* 13

PROPHETIÆ.

PAnem Cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo. *Psal.* 77

Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me. *Psal.* 22.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. *Psal.* 110

Isaiæ 25. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ.*

Zach. 9. *Quid enim bonum est eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

Prou. 9. *Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

DOCVMENTA.

1. CHRISTVS accipiens panem prius gratias egit Deo Patri: ita & nobis antequam venerandum hoc Sacramentum sumamus, precibus animus præparandus est, & de tanto beneficio cœlesti datori agendæ gratiæ.

2. Vt Christum imitemur, opus est, vt ante initia bonarum actionum gratijs actis Deum honoremus.

3. Nos ipsos comminuere affectuum mortificatione debemus, & propriæ voluntatis abnegatione, nosque ipsos Christo cibum dare, quemadmodum ille exinaniuit se, vt animæ nostræ fieret cibus.

4. In rebus huius vitæ aduersis, gratiæ & laudes dicendæ sunt Deo. Sicut Christus cum accepisset calicem, quo supplicia ipsius indicabantur, gratias egit & benedixit.

5. Postquam Christus Apostolis dederat ex suo calice bibere, promisit fore, vt vinum cum ipso nouum in regno suo bibant. Nos enim si in hac vita bibamus rerum aduersarum calicem, qui nos assimulat Christo; in altera diuinorum ipsius gaudiorũ participes erimus.

6. Quo-

6. Quoniam in hoc Sacramento se Christus Panem Angelorum appellat, laborandum nobis est, si quidem, vt par est, hoc pane vesci optamus, vt Angelorum in nobis puritas & mūdities enitescat.

7. Corpus & sanguinem suum reliquit nobis Christus sub panis & vini specie; vt quemadmodum ex pluribus granis frumenti panis vnus; & ex pluribus vuarum granis vinū conficitur: sic Christiani omnes, qui huius mysterij participatione se dignos exhiberent, omnes vno huius Sacramenti vinculo iungerentur, ea caritate, quam in primitijs Christianorum floruisse testantur Apostolorū Acta. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.

MEDITATIO VII.

DE PRODITIONE PATEFACTA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Christo turbato ac dicente:* vnus ex vobis me tradet; *tristati singuli dixerunt:* Nunquid ego sum Domine, *&c.* *Mar.* 26 *Mar.* 14 *Luc.* 22. *Ioan.* 13.

II. *Ioanni supra pectus eius recumbenti ac roganti:* Quis esset? *respondit* IESVS: cui ego intinctum panem porrexero.

III. *Intinctum pane* dedit Iudæ *dicēs:*

Quod facis, fac citius: *statimque introuit in illum Satanas; ille exiuit; nec quisquam intellexit discumbentium.*

FIGVRA.

2. Reg. 15 & 17. ACHITOPHEL cùm admissus esset ad intima Dauidis Regis consilia, coniuratione contra illum cum Absalone inita, auctor fuit vt trucidaretur Dauid.

PROPHETIÆ.

Psal. 45. *SI inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, & si is qui oderat me super me magna locutus fuisset; abscondissem me forsitan ab eo.*

TV verò homo vnanimis, Dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.

DOCVMENTA.

1. CVM indigni ad sacram mensam accedimus: tum manus tradentis Christum est in mensa cum ipso. Sic enim in speciem simulamus, nos inter amicos cupere cum illo cœnare, reuera lictoribus illum per peccata nostra ad crucem tradimus.

2. Christi lenitatem imitabimur, si non subito commoueamur, & ad pœnam proximum & fratrem damnemus, cùm vel imperfectionis aliquid in ijs videmus, vel inii-

riam accipimus. Mansuetus homo potius illum cum amoris significatione subleuabit, & preces ad Deum fundet, vt gratia inter ipsos reintegretur.

3. Misit primùm Diabolus cogitationem proditionis in cor Iudæ, deinde ingressus est ipse ad rem perpetrandam. Principijs cogitationum malarum, & Diabolicarum suggestionum obstemus: ne si cum delectatione ijs immoremur, paulatim aperiamus illis ostium cõsensus, quo dęmon ingressus omni nos spoliet gratia.

4. Peragamus opera nostra in luce, non in tenebris nocturnis, quod Iudas fecit. Nihil in abdito faciamus, quod idem coram omnibus non essemus facturi. Similiter homines Spiritui dediti & religiosi, caueant, ne quicquam ex actionibus pijs, quas priuatim etiam exercent, occultum esse velint, vt id nec Patribus spiritualibus, nec superioribus aperiant: ne & ipsi, Iudæ instar, in fraudem illecti à Diabolo, præcipitium aliquod incurrant.

5. Erubescamus apud nõs, quod tam parum imitemur caritatem Christi, occultè ille reprehendit, nec proditorem vult prodere: at nos peccata nostra ignota esse cupimus, de alienis & promptè fabulamur, & ea nota esse volumus omnibus.

6. Ioannes, qui gratiam significat, requiescebat in sinu Christi, cui Christus, quis esset proditor secretò aperuit. Laboremus & nos per cordis puritatem, vt apud Dominum gratiosi simus. Sic per contemplationem digni erimus, qui nunc in dulcissimo Christi pectore conquiescamus, vt postmodũ ad arcana illa cœlestia admittamur.

7. Christus passionem & depressionem suam appellat gloriam & claritatem, qua glorificabit illum Deus. Quàm diuersa sunt iudicia Dei & hominum. Homines claritatem suam in honoribus, amplitudine, & rebus secundis huius vitæ collocant; Deus æterna sapientia, in contemnendo seipsum & patiendo.

MEDITATIO VIII.

PRAEDICTIO DE SCANDALO DISCIPVLORVM, ET PETRI NEGATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Contentionem quærentium*: Quis videretur esse maior? *sedat, docens id humilitate obtineri, & suo exemplo confirmat.*

II. *Petro significat Sathanam* expetisse *eum*, vt cribraret, *sed eius oratione confirmandū ne deficiat; quia & omnes scandalum passuros.*

III. *Petro affirmanti se paratum in carcerem & mortem cum ipso ire, prædicit ipsum, ea ipsa nocte, ter esse negaturum: quamuis tam ipse Petrus, quam alij, contrarium sponderent.*

FIGV-

FIGVRA.

MORITVRVS Patriarcha Iacob, stantibus in orbem omnibus filijs, prætulit minorē fratrē Ephraim, maiori Manassi; deinde cum multa futura prædixisset, bene illis precatus est. *Gen.* 48. & 49.

DOCVMENTA.

1. QVANDOQVIDEM non puduit Christum suis seruire discipulis, nos item, si pudet alterius cuiusquam hominis imitari humilitatem, Christi saltem humilitatem imitari non pudeat.

2. Apostolis promisit Christus regnum, non quod ipsum secuti essent, sed quod secum in tentationibus permansissent. Parum est bene cœpisse, nisi perseueres; neque is qui tantum sequitur Christum, sed qui patitur, & affligitur pro ipso, afficitur præmijs.

3. Diabolus cupit tentationibus cribrare omnes homines, sed imprimis seruos Christi, ab illo ad aliorum vtilitatem & auxilium destinatos. Vigilemus ergo, quia non dormit inimicus.

4. Christus rogauit pro Petro, vt conuersus alios confirmaret. Et nos, si quam à Domino gratiam consecuti sumus, non eam pati debemus otiosam esse, sed adhibere ad auxilium & salutem aliorum.

5. Ne putemus nos esse tutos, quantumcunque in virtutibus processisse videamur, sæpe enim accidit, vt qui reliquis virtute

longè antecellere putantur, turpius corruant.

6. Permisit Dominus Petrum in columnā illam magnam labi, pro nostra instructione. Primum vt disceremus non nobis fidere, aut de nostris viribus magnificè sentire, nostra imbecillitate cognita. Deinde vt plus Christo, ijsque, qui vice ipsius nobis præsunt, quam nostro iudicio credamus. Tertiò, vt imprudentem eorum audaciam reprimeret, qui res magnas scire, & facere melius quam alij volunt. Quartò, vt quibus aliorum cura & gubernatio commissa est, suo experimento discant, quomodo subditorum infirmitatibus, si quando labantur, compati debeant.

MEDITATIO IX.

DE ITINERE AD HORTVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat 26 *Mar.* 14. *Luc.* 22. *Ioan.* 18. I. Hymno dicto, *egressus est cum discipulis trans torrentem Cedron, in montem Oliueti.*

II. *Ingressus hortum, assumptis tribus discipulis,* cœpit tristari, pauere, tædere, ac mœstus esse.

III. *Ait illis:* Tristis est anima mea, vsque ad mortem; sustinete, & vigilate mecum. *Et auulsus est ab eis ad iactum lapidis.*

FIGV-

FIGVRA.

IOSAPHAT Rex Iuda, intelligens Moabitas & Ammonitas magnum exercitum contra se ducere, plenus timoris & pauoris, prostrauit se in oratione coram Domino, obtecrans vt manus hostium posset euadere. 2. Par. 20

PROPHETIÆ.

COR meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Psal. 54.

Repleta est malis anima mea, & vita mea in inferno appropinquauit. Psal. 87.

DOCVMENTA.

1. NEQVAQVAM seruis Dei desperandum est, si quando tentationis tempore, etiam si timore, & animi quadam deiectione se impugnari sentiãt; vt enim nobis præberet exemplum, voluit Christus redemptor noster ipse timore & tristitia affici.

2. Non tam tristis est Saluator de sua morte, quam cupidè optabat, quã de nobis. Debemus ergo & nos ipsum imitantes, tristitia simul & misericordia de proximorum spirituali damno aut indigentia moueri.

3. Si Christus ex amore nostri tantum dolorem & anxietatem sine vllo solatio sentire voluit; decet nos pro amore in ipsum nostro, proq; nostra salute voluptates, & inania mundi gaudia contemnere.

4. Si cum deuotione cupimus orare, intrandum est cordis secretum, purgata mente à terrenis affectibus, & à multorum conuersatione, etiam amicorum discedendum: vt Christus à carissimis discipulis abijt.

5. Discamus exemplo Christi fræno rationis coercere exultantes perturbationes, ne vsque ad animam penetrent; sed maneant in solis sensibus sub imperio voluntatis.

6. Si quando in actionibus aut laboribus pro Deo susceptis, tædium nobis aliquod obrepat aut tristitia; ne despondeamus animum, neque putemus idcirco nostros labores merito aut fructu carere. Solemur nos exemplo Christi, qui in ipso opere redemptionis nostræ tædium & quoddam velut fastidium sensit.

7. In omnibus molestijs & tentationibus ad preces confugiendum est; quarum ope consequemur, vt vel prorsus onere hoc liberemur, vel certè ea nobis virium fiat accessio, vt facilius perferre, & fructum ex rebus aduersis capere possimus.

MEDITATIO X.

DE ORATIONE CHRISTI IN HORTO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 26 *Mar.* 14. *Luc.* 22. I. *Procidens in faciem orabat, vt si fieri posset, transiret ab eo hora, cum resignatione: non mea, sed tua voluntas fiat.*

II. *Inue-*

II. *Inueniens discipulos dormientes, ait Petro:* Simon dormis? *non potuisti vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate.*

III. *Orauit secundò, & cum discipuli dormirent, ijs relictis abijt, tertiò eundem sermonem repetens.*

PROPHETIÆ.

AEDIFICAVIT *in gyro meo, & circundedit me felle, & labore: sed & cum clamauero, & rogauero, excluſit orationem meam.* Thren. 3

Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, non inueni. Psal. 68.

DOCVMENTA.

1. NEQVAQVAM cessandum aut desperandum est, si non repente preces nostræ exaudiantur, persistendum potius & sæpè ac sæpius petenda gratia. Frequenter enim quod initio negatur, in fine conceditur.

2. Orationes nostræ, quidquid petamus à Deo semper coniunctæ esse debent, tum certæ in Deum spei, vt ad ipsum velut Patrem confugiamus, tum obedientiæ & nostri ipsorum in diuinam voluntatem resignationi, vt cum Christo dicamus, *Pater non mea, sed tua voluntas fiat.*

3. Ita debemus exercitationibus noſtris ſpiritualibus intenti eſſe, vt ſimul de ſalute proximorum ſolliciti ſimus, noſtris cohortationibus alijſq; charitatis officijs illos adiuuando, vt Chriſtus fecit Apoſtolis.

4. Vigilandum eſt in cordis & ſenſuum cuſtodia, & ſæpe orandum, ne tentationibus victi fugiamus, quod diſcipuli Chriſti fecerunt.

5. *Non potuiſti vna hora vigilare mecum?* Dicebat Petro Chriſtus: Magnum dedecus & rubore dignum eorum, qui ſeruitutem Dei profeſſi tepidi ſunt & remiſſi: quando huius ſæculi homines tot annos, imo totã vitam conſumunt in offendẽdo Deo, vt pro præmio poſtmodum recipiant ſupplicia æterna. At quos Dominus elegit: vt vna hora ſecum laborent, vt poſt det illis pro præmio regnum cęlorum, ſine cura ſunt, ſomnum negligentiæ ſuæ dormientes.

6. Quanquam omnes, qui Deo negligenter ſeruiunt, in iuſtam incurrant reprehenſionẽ; tamen qui alijs tum ad gubernationem, tum ad exemplum præpoſiti ſunt, ij & grauius peccant, & acrius à Domino obiurgabuntur.

7. Cùm oramus, exemplo Chriſti admodum nos deprimere debemus, agnoſcentes indignitatem noſtram. Oratio enim humiliantis ſe nubes penetrabit. *Eccl. 35.*

MEDITATIO XI.
DE CHRISTI AGONIA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Luc. 22. I Apparuit Angelus de cœlo confortans eum.

II. Fa-

II. *Factus in agonia prolixius orabat.*
III. *Factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

FIGVRA.

IACOB Patriarcha, veniente illi obuiã fratre Esau, trepidus confugit ad orandum Deum: qui misit Angelum, à quo confirmatus est, cùm diceret: Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra hominem præualebis? *Gen. 32.*

PROPHETIÆ.

SIcut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea: *Psa. 21.*

Factũ est cor meũ tãquã cera liquescens; in medio vẽtris mei aruit tãquã testa virtꝰ mea.

Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter mirteta, quæ erant in profundo. *Zach. 1.*

DOCVMENTA.

1. DIscamus exemplo Christi, voluntatem nostram exuere, & eam penitus transferre in voluntatem Dei. Discamus & sensuum cupiditates vincere, easque spiritui subijcere. Discamus in spiritualibus necessitatibus refugere ad optimum Patrem nostrum. Discamus denique in oratione constantes esse, vt cum Christo digni habeamur consolatione & confirmatione cœlesti.

2. Quantæ molis fuit noſtræ redemptionis opus, quod potuit ſanguinem illi exprimere, qui cælum & terram ſuſtinet : at nos quàm parui illud facimus, quibus pro ſalute, ſæpe moleſtum eſt vel pedem de terra mouere.

3. Si cruciatus huius vitæ tanti ſunt, vt illorum cogitatione Chriſto ſudor cruentus effluxerit : quo nos ſudore ſanguineo perfunderemur, ſi ex animo cogitaremus de ijs cruciamentis, quæ vel apud inferos, vel in purgatorio parata ſunt ? quorum longè maior eſt acerbitas, quàm omnium mundi cruciatuum.

4. Tantus debet eſſe noſter in precibus ardor, vt flagranti deſidério pro Chriſti amore patiendi, & conformandi nos acerbæ illius paſſioni, cum ipſo etiam ſudemus ſanguinem.

5. Si Chriſtus fortitudo Patris & agnus innocentiſſimus de ſua felicitate ſecurus, tamen imminentis mortis cogitatione, in tantas animi anguſtias & agoniam incidit : quos angores, quas agonias, nos in illo momento quo moriemur ſuſtinebimus, cum ſentiemus nos tam infirmos ſpiritu tam plenos peccatis & ſalutis incertos ? Agamus ergo precibus quam ardentiſſimis cum Domino, vt in terribili illo tranſitu ab ipſo adiumentum & ſolatium accipiamus, quemadmodum ipſe accepit à Patre.

6. Chriſto orante apparuit Angelus confortans eum. Sic orantibus cum ſenſu pietatis & ardore, adſunt Angeli : & quanquam non ſemper quod petunt impetrant, quia fortè non expedit, tamen Angelica conſolatione non carent.

MEDI-

MEDITATIO XII.

DE PRODITIONE CHRISTI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Cum permisisset discipulos aliquantulum dormire, ait:* sufficit: surgite; eamus: Ecce appropinquauit, qui me tradet. *Mat. 26. Mar. 14.*

II. *Iudas veniens cum turba, dato eis osculi signo, appropinquauit* IESV *dicens:* Aue Rabbi & osculatus est eum.

III. *Ministris dicentibus, se quærere* IESVM Nazarenum, *cum respondisset:* EGO SVM; *abierunt omnes retrorsum, &c.*

FIGVRA.

IOAB princeps militiæ Regis Dauid, obuiam veniens Amaso, salutauit illum dicens? Salue mi frater, simulq; altera manu apprehendens mentum, quasi volēs osculari; altera pugione latus trāsfigit, illumque occidit. *2. Re. 20.*

PRO-

PROPHETIÆ.

Psa. 40. HOmo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.

Esa. 53. Oblatus est, quia ipse voluit.

DOCVMENTA.

1. IN comparandis virtutibus, & in rebus arduis ac difficilibus, ad gloriam Dei & salutem animarum suscipiendis, non oportet timidè refugere: sed animo impauido obuiam ire tentationibus & molestijs, & omnia constanter perferre: quæ alij contra nos aut factis aut dictis moliuntur, idque exemplo Christi.

2. Iudas quia Dominum reliquerat, eo sceleris venit, vt ex Apostolo Christi, qui titulus summam, quæ inter homines est, sanctitatem indicat, dux euaserit ministrorum Diaboli, & Christi ipsius proditor: sic qui semel a vocatione sua deficit, ad extrema scelerum plerumque delabitur.

3. Candidè & sincerè agendum est cum Deo & proximo, sine simulatione, qua Iudas vsus est, cum verbis Christum salutaret, Magistrum osculo traderet inimicis.

4. Æquo animo ferendæ sunt fraudes omnes & iniuriæ, à quocunque inferantur, etiam ab amico, vt Christus tulit à suo discipulo.

5. Inimicis & calumniatoribus nostris nihil imprecandum est mali, ne asperis quidem verbis obiurgandi, sed suauiter; & cum amo-

ri

ris affectu monendi sunt, quod Christus Iudæis & Iudæ præstitit.

6. Christum osculo tradunt, qui ficto animo ad confessionem, aut indigne ad communionem accedunt.

7. Caueamus mundum, quia proditor est, & amicus falsus. Cum diuitijs nos ornat, arridet nobis: cum voluptates offert & gaudia, osculatur nos: cum honores largitur, amplexatur. Atque his modis speciem amici præferens, morti nos tradit sempiternæ.

MEDITATIO XIII.

DE CAPTIVITATE CHRISTI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Ministris in* IESVM *irruëtibus, rogarunt Discipuli:* Domine, si percutimus in gladio? *Et Petrus* abscidit *Malcho* auriculam. *Mat.* 26 *Mar.* 14. *Luc.* 22. *Ioan.* 18.

II. IESVS *vero prohibuit:* sinite vsque huc; *Et cum tetigisset auriculam serui,* sanauit eam.

III. *Postquam quæsisset ex ministris, & magistratibus, cur in templo non apprehendissent? ait:* hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum: *at* discipuli omnes fugerunt.

FIGV-

FIGVRA.

Iudic.15 TRia milia de tribu Iuda, venientes ad Samsonem dixerunt: Ligare te venimus, & tradere in manus Philistinorum: sicque duobus ligatum funibus adduxerunt.

PROPHETIÆ.

Psal.21. *CIrcumdederunt me vituli multi, & tauri pingues obsederunt me.*

Aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens & rugiens.

Thren. 4 *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.*

Ezech 3. *Fili hominis data sunt super te vincula & ligabunt te in eis.*

Zach. 13 *Percute pastorem, & dispergentur oues gregis.*

Iob 19. *Fratres meos longe feciſti à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me.*

Ibid. *Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant obliti sunt mei.*

DOCVMENTA.

1. COntra inimicos nullis nisi precationis armis nobis vtendum est, & Christi exemplo bona pro malis reddenda, neq; id modo verbis, sed etiam re ipsa. Gladio temerarij iudicij nemo feriendus est, ne nos eodem

eodem tangamur, vt monet Euangelium, *Nolite iudicare & non iudicabimini.* Matt.

2. Quandoquidem Christus amore nostri volens lubensque se capiendum Iudæis tradidit: decet vt & nos vicissim amore illius, captiuemus omnes sensus nostros in illius obsequium, oculos, non aspectando illicita: aures, noxia non audiendo: linguam, neque de rebus otiosis, neque de aliorum fama sinistrè loquendo: manus, abstinendo ab actionibus malis: cor, non admittendo noxias cupiditates: mentem denique, cauendo noxias cogitationes.

3. Illi manus Christo ligant, qui non confidunt fore, vt Deus ipse res necessarias procuret, aut illis in tentationibus & afflictionibus opem ferat. Deinde, qui diuinis inspirationibus resistentes, non sinunt Deum vt ea in se efficiat quæ desideret. Tertiò ingrati, qui gratiæ non cooperantur, atque ita se ea indignos reddunt. Item tepidi & negligentes, qui ociosam habent gratiam, nec illa vtuntur. Denique qui de se, ob gratiam acceptam, magnificè sentiunt, aut apud alios iactitant, non abscondendo occulta dona. Hi enim his donis indigni fiunt.

4. Christus voluit ligari pro nobis, vt nos sibi alligaret vinculis charitatis. Laboremus ergo, vt ita nos illi firmiter charitate astringamus, vt nulla re facilè separari possimus.

5. Fugiunt à Christo, qui pati cum Christo refugiunt: deserunt Christum, qui vel timore aliquo humano, vel tentatione Dæmonis, & cupiditate effrænata victi, à iustitia & veritate deflectunt.

6. Discipuli Christum secuti sunt, vsque ad pas-

ad passionis tempus: tum deinde reliquerunt. Sic parentes, amici, & huius mundi bona seruient tibi dum viuis; vbi ministri mortis te circumdederint, diffugient omnes. Discamus ergo non collocare spem in hominibus aut rebus humanis, sed in solo Deo, constantissimo & fidelissimo amico.

7. Ij discipulis sunt similes, qui seruiũt Christo tantisper, dum res bene fluunt, neque vlla molestia aut tædio afficiuntur: vbi verò tentatio exoritur, aut necesse est commoditates & suam voluntatem relinquere, aut pati quicquam in obsequio Christi, subitò se retrahũt, & illum destituunt.

MEDITATIO XIV.

DE CHRISTI AD ANNAM DEDVCTIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Christus cum ad Annam duceretur, secutus est* à longè Petrus, *& alius discipulus, notus Pontifici.*

II. *Pontifici interroganti de doctrina, & Discipulis, respondit, se palam locutum, & auditores roget.*

III. *Hoc audito, Vnus ministrorum dedit ei alapam, dicens:* Sic respondes Pontifici? *&c. atque ita Annas ligatum misit ad Caipham?*

FIGV-

FIGVRA.

CVM Michæas vera diceret Regi Achab, surgens Sedechias pseudopropheta, inflixit illi alapam increpans etiam quod ita locutus esset. 3. Re. 22.

PROPHETIÆ.

Dedit percutienti se maxillam, saturabitur opproprijs. Thren. 3

Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam. Iob 16.

DOCVMENTA.

1. LIgant & trahunt ignominiosè Christũ ad Annam, vbi calumnijs & iniurijs opprimatur, qui cum sub obedientia viuant, superioris iussa suæ voluntati accommodant, aut efficiunt, vt Superior ad ipsorum imperfectiones conniuiat.

2. Christi doctrinam cum Anna excutiunt, vt illam calumnientur: qui inquirunt & iudicant de superiorum iussis: rectene præcipiatur an secus, neque simpliciter id quod iubentur faciunt.

3. Non est tristitiæ causa, aliorum de nobis minus recta existimatio, modò ne accuset nos conscientia. Nam & Christus ipsa veritas & sapientia, calumniam passus est.

4. Si quando per errorem aliquem aut peccatum à Christo discedamus, curãdum vt quã primum ad ipsum per pœnitẽtiam redeamus, atque de integro statuamus sequi illum vsque ad finem,

ad finem, quod Petrus & Ioannes fecerunt.

5. Christus à discipulis interrogatus, cum laudes, quibus illos admodum prędicaret non haberet, tacere maluit: Sic nobis cordi debet esse, quin etiam defendi proximi fama, vt nihil de illis loquamur, nisi quod ad illorum commendationem, aliorum fructum pertineri possit.

6. Calumniatoribus modestè respondendum curandumque vt alij potius quàm nos, rerum nostrarum sint testes, vtque nos vita nostra non lingua defendat, & claudat ora hominum impudentium, quorum exempla hic videmus in Christo.

7. Qui in nos quocunque modo peccant, possumus admonere de suo errore & peccato, sine ira tamen & impatientia, amoto peccato: sic & nostri sermonis benignitate, corda eorum emolliamus, iram exstinguamus potius, quam excitemus.

8. Christo in facie damus alapam, cum vt alicui mortalium placeamus, aut certè ne displiceamus, vel malum admittimus, vel omittimus bonum, quod ad honorem Dei, aut proximi adiumentum pertinebat.

9. Tunc item percutimus diuinum os Iesu, cum non audire, non accipere volumus veritatem, quam ille nobis per sanctas inspirationes tacitè loquitur. Item cum ægrè ferimus aut contemnimus admonitiones, & bonas Patrum aut Superiorum cohortationes: quia ipsi in nobis regendis vicem Dei obtinent.

MEDI-

MEDITATIO XV.

DE GESTIS IN DOMO CAIPHAE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Ministris Christum ad Caipham ducentibus, Petrus sequebatur à longè, & sedebat cum ministris.* Mat. 26 Mar. 14.

II. *Varijs testimonia falsa dicentibus, surgentes duo dicebant Christum dixisse, se templum dissoluturum.*

III. *Cum testimonia non conuenirent, &c. Surgens summus Sacerdos dixit:* non respondes *his, quæ objiciuntur.*

FIGVRA.

PRincipes Iezrael mandato Iezabelis, duos produxerũt falsos testes, vt Naboth virum iustum capitis damnarent. 3. Reg. 21

PROPHETIÆ.

SVrgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me. Psal. 43.

Os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Psa. 108

Locuti sunt aduersum me lingua dolosa.

Ego

Ose. 7. *Ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia.*

Psal. 32. *Factus sum tanquam homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.*

DOCVMENTA.

1. QVI alios dignitate præcellunt, conueniunt inter se de morte Christi: at turbæ & homines simplices eum sequuntur, & doctrinam eius amplexantur. Vnde intelliges, quanta pericula & ruinarum occasiones sint in alto statu: contra quanto homines humiles & simplices, maiori securitate & facilitate perueniendi ad salutem fruantur.

2. Exemplo Christi patienter ferendæ sunt calumniæ, quæque falso inter nos dicuntur, sine vel defensione nostri, vel eius, qui falsa de nobis dicit, accusatione.

3. Si rectam esse volumus viam nostram coram Deo, negligendæ sunt voces ignorantis vulgi, & maledicorum linguæ, potius tacendo respondendum, & vincendum ferendo.

4. Falsos in Christum testes quærunt, qui excusationes inueniunt, ne diuinis obtemperet inspirationibus, aut ne officium faciant. Similiter qui studiosos virtutis & ad perfectionem aspirantes accusant & vituperant.

5. Cum à quopiam iracundè & turbulentè inuadimur accusatione aut obiurgatione, tacere præstat, quam excusare vel defendere. Eadem enim opera & iram hominis ardentis extinguemus, & aliis erimus exemplo.

6t Cum

6. Cum falsò traducimur aut accusamur, solatio nobis sit exemplum Christi: cogitemus sententiam illius: *Beati vos, cum male dixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlo.* Mat. 5.

MEDITATIO XVI.

DE ADIVRATIONE PONTIFICIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Summus* Pontifex *rursum dixit*: adiuro te per Deum *viuum, vt dicas nobis, si tu es* CHRISTVS? Mat. 26 Mar. 14.

II. *Respondit* IESVS: dixisti ego sum. *ammodo videbitis filium hominis, sedentem à dextris virtutis Dei, &c.*

III. *Sacerdos scindens vestimenta, dixit*. Blasphemauit, quid vobis videtur? *omnes condemnauerunt esse reum mortis.*

PROPHETIAE.

EXcæca *cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videant oculis suis, & auribus audiant,* Esa. 6.

& corde intelligant & conuertantur.

Sap. 2. *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris. Improperat nobis peccata legis, & filium Dei se nominat.*

Iob. 36. *Causa tua quasi impij iudicata est.*

DOCVMENTA.

1. CHRISTVS iniurijs & falsitate testium lacessitus, tacet: adiuratus vt veritatem profiteatur, respondet, etsi sciret hac de caussa esse plurima tolerãda: vt doceret nos; vbi Dei honos agitur, non licere nobis vel cum vitæ periculo, veritatis professionem omittere.

2. Nequaquam faciles esse debemus in iudicando, aut actionibus seu verbis proximorum, in malam potiùs quam bonam partem interpretandis; neque in credendo, si quid alijs narretur mali, ne cum Caipha etiam facile eremus.

3. Cum tentatione agitamur, de nulla re pronuntiandum, aut certo aliquid in posterum statuendum est. Perturbatio enim animi, non modo efficit vt res exiguæ magnæ appareant, sed etiam veras cum falsis confundit, quod apparet in Caipha.

4. Proprium est mundi, damnare eos qui verum dicunt: laudare, qui adblandiuntur. Itaque si quid recte & verè locutus, iudicaris blasphemus, noli turbari, neque ideo à dicenda veritate discede, quando idem euenit Christo.

5. Contemnenda sunt hominum iudicia: neque enim illi nos, si probi simus, efficient impro-

improbos : sed timeamus ne coram Deo rei simus, qui de nobis sententiam laturus est, non ex sententijs hominum, sed iudicio suo.

6. Linguæ maledicorum & detractorum nihil omnino possunt nocere ; quin potius si velimus, plurimum nobis prodesse possunt: siquidem cum humilitatem in nobis augeant, meliores nos faciunt.

MEDITATIO XVII.

QVAE CHRISTVS APVD CAIPHAM PASSVS SIT.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Viri, qui tenebant* IESVM *cædentes eum colaphis, expuerunt in faciem eius, & velarunt eam.* *Mat.26. Mar.14. Luc.22.*

II. *Alij dantes palmas in faciem dicebant:* prophetiza nobis Christe, quis te percussit?

III. *Alij* multa blasphemantes *dicebant in eum.*

FIGVRA.

PHilistæi cùm Samsonem luminibus orbassent, iusserunt illum coram se ludere, & in ipsum scommata iaciendo se recreabant. *Iudit. 16*

PROPHETIÆ.

Isa. 50. *CORpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.*

Ibid. *Faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me.*

Zach. 12 *Faciem tuam velabis, quia portentum dedite domus Iſrael.*

Iob. 3. *Abominantur me & faciem meam conſpuere non verentur.*

DOCVMENTA.

1. FAciem Chriſti conſpuunt, qui impuris cogitationibus aut cupiditatibus animam ſuam, id eſt, Dei imaginem fœdant.

2. Idem faciunt, qui Deo ſuam offerente gratiam, aut ſanctis inſpirationibus aliquid imperante, ipſi tamen non conſuetas imperfectiones deſerere conantur, repugnant, & à ſe reijciunt.

3. Diuinam quoque faciem Ieſu deturpant, qui ſine reuerentia & ſenſu pietatis, non expurgatis ex animo omnibus peccatorum ſordibus, impuro ore, ſanctiſſimum Domini corpus accipiunt.

4. Illudimus Chriſto, cum vel pauperes, vel alios Dei ſeruos contemptui & ludibrio habemus.

5. Chriſto per linguam faciunt contumeliam, qui vel non ſatis reuerenter de rebus ſacris loquuntur, vel cum ſint religioſi, more ſæcularium loquuntur, vel de proximo ea dicunt, quæ nihil ad audientium fructum faciant.

6. Qui.

6. Oculos Christo obligant, qui factis excusationibus suas tegunt imperfectiones: quique sine verecundia & timore Dei tam audacter, peccant, ac si non videret Deus.

7. Tunc item claudimus oculos Christo, cum Superiores nostros volumus esse cæcos, nos ipsos scilicet bono lumine præditus, id quod facimus, cùm laboramus vt superiores se nostris, non nos illorum iudicijs nosmet accommodemus.

MEDITATIO XVIII.
DE NEGATIONE PETRI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Petrus calefaciens se cum ministris, negat se nosse Christum prima & secunda vice simpliciter: tertia vice cum iuramento, &c.* *Mat. 26 Mar. 14, Luc. 22. Ioan. 18.*

II. *Gallo iterum cantante, Christus respexit Petrum, & recordatus est verbi eius.*

III. *Exiens foras* Petrus fleuit amarè.

PROPHETIÆ.

A *Bominati sunt me quondam consiliarij mei, & quem maximè diligebam aduersatus est me.* *Iob. 19.*

Inquilini domus meæ, sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum. *Ibid.*

DOCVMENTA.

1. FVGIENDA est nostri iactantia, neque nostra virtute fidendum: sed viuendum in perpetuo timore & humilitate, ne ruamus, vt Petrus ruit, tametsi vertex esset Apostolorum, omnes etiam caritatis ardore superans.

2. Loca & conuersatio hominum, qui occasionem peccandi præbent, cauendi sunt. Difficile est enim inter improbos esse probũ. Petrus certè dum inter Apostolos agebat, mortem pro Christo optabat: inter Iudæos indignissimè illum negat.

3. Principijs tentationum eundum est obuiam, nec permittendum vt imperfectio quantulacunque in animo confirmetur, ne in grauiora incidamus. Id cùm Petrus negligeret, primò contra domini consilium dormiuit. Iterum fugit, mox negauit, deniq; periurium & sui ipsius exercitationes adiunxit.

4. Lapsi fragilitate in defectum aliquem, non debemus spem abijcere, neque in illo hærere: sed repente educere nos, & vt Petrus fecit, dolore & pœnitentia, quod commissum est, emendare.

5. Quamdiu in aliqua peccandi occasione hæremus, ne cogitandum quidem est posse nos emendari, aut spiritu proficere, vt Petrus, interim dum est in domo Caiphæ, potest sæpè labi in peccatum, emendare se & amarè flere, nisi domo egressus non est.

6. Negant Christum ad exemplum Petri, qui timore inani, aut vtilitatis vel respectu humano cessant loqui de ijs, quæ decent, aut virtu-

virtutis studium in aperto habere, quod studium cùm ab omnibus Christiani nominis officium, tum à religiosis sua professio exigit. Cogitent illi Saluatoris sententiam. *Qui erubescit me coram hominibus, erubescam & ego eum coram Patre & Angelis.* Luc. 9.

7. Laboremus in eo, vt semper nobis ante oculos versetur imbecillitas nostra: neque securi simus quod bonæ voluntatis conscij nobis simus. Instabilis est voluntas, & quauis tentatione mutatur, nisi à Deo seruetur & cõfirmetur.

8. Quamquam è peccato nostris nos viribus sine ope diuina erigere non possumus: tamen serui Christi, qui bona voluntate illi seruiunt, si fortè in defectum aliquem incidant, singulari quodam modo, per secretas inspirationes à spiritu sancto aspiciuntur & sublenantur, quod videmus in Petro.

MEDITATIO XIX.

DE COMPASSIONE MATRIS IESV.

PVNCTA MEDITATIONIS.

EX HIEREMIA PROPHETA.

1. *PLorãs plorauit in nocte, & lachryma eius in maxillis eius. Non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius.* Thren. 1

2. *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te,* Thren. 2

filia Hierusalem, cui exæquabo te, & consolabor te virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua; quis medebitur tui?

Thren. 3 *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio.*

DOCVMENTA.

1. MAter Domini appellata fuit Maria, ideſt, amara. Ita & nos amaritudine moleſtiarum, & dolore de peccatis facilius in anima concipiemus Ieſum, quam multarum conſolationum ſuauitate.

2. Quanquam videatur nos Dominus aliquando relinquere, ſubtrahens conſolationes internas: nequaquam tamen cogitandum, amorem illius in nos diminutum eſſe, ſicut Matrem, etſi in tanto dolore & mœrore verſari ſit paſſus, non deſijt tamen plus omnibus rebus creatis amare.

3. Si B. Virgo, quanquam vehementer amaret filium ſuum Ieſum (cum enim ipſe eſſet ſummum bonum, amorem infinitum merebatur) tamen ne ſua voluntas à Patris æterni voluntate diuerſa eſſet, pro mundi ſalute, lubens paſſa eſt illum ſibi auferri: maiori multò ratione decet nos ſeu pati ſpoliationem, ſeu impendere vltro bona omnia fortunæ, ipſamque adeo vitam ſi ita exigat, vel diuinorum præceptorum obedientia, vel proximi ſalus, quin & ferendum eſt, vt Chriſto aliquando priuemur, id eſt, conſolationibus ſpiritualibus: idque pro amore ipſius Chriſti, & ad proximos, qui illius membra ſunt, adiuuandos.

4. B. Virgo cùm captus eſſet Chriſtus filius eius, neque cum Apoſtolis fugit, neque domi hæſit,

hæsit, sed egressa vt illum inueniret, coniunxit se illi, non sine magno animi sui dolore, mansitque cum illo ad finem vsque. Sic nos in rebus aduersis & tentationibus, non debemus fugere quæ molesta sunt, aut ea inuiti impatienterque sustinere, nedum cessare à bonis actionibus, quoquo modo possumus exercendis: sed potius quæsitum ire Christū, atque illius exemplum, tanquam speculum intueri, atque vnà cum illo fortiter ad mortem vsque crucem ferre.

5. Si Domina nostra, gratia plena, in tātas tamē anxietates & mœrores incidit, vt dolor ipsius comparetur mari: quomodo nos peccatis pleni, nihil volumus pati, speramusque nos sine vllare aduersa vitam acturos?

MEDITATIO XX.

CHRISTVS DEDVCITVR AD PILATVM ET IVDAS PERIT.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Summo mane ducentes eum in Concilium quæsiuerant:* An *ipse* esset Christus, *seu Messias.* *Mat. 27 Mar 15. Luc. 22.*

II. *Christo affirmante (vt prius) surgēs omnis multitudo, duxit eum ad Pilatum.*

III. *Iudas videns eum condemnatum,*

retulit 30. argenteos in templum, & abiens laqueo se suspendit.

FIGVRAE.

Iudic. 15 Filij Iuda duxerunt Samson: ligatum, & tradiderunt in manus Philistæorum.

2. Reg. 17 Architopel initio consiliarius, mox proditor Regis sui Dauidis, cum suum consilium non procedere intelligeret, domum abiens, laqueo sibi vitam abstulit.

PROPHETIÆ.

Gen. 49. *Simeon & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea, quia in furore suo occiderũt virum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio illorum, quia dura.*

Zach. 11. *Et tulit triginta argenteos, & proiecit illos in domum Domini,*

Psa. 108. *Dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo, & induit maledictionem sicut vestimentum.*

DOCVMENTA.

Considera exitum infelicis Iudæ, & animaduertere quemadmodum in arbitrio Petri

Petri fuit negare Christum, sic in illius potestate fuisse illum prodere, sed in neutrius manu fuisse, ad veram pœnitentiam conuerti. Itaque caueat sibi quisq; ne per negligentiam vsque eo in imperfectionibus & peccatis progrediatur, vt postea cùm pedem velit referre, nec per se possit & multò minùs à Deo adiuuari mereatur.

2. Cum totam noctem Iudæi duxissent in illudendo Christo, summo mane conueniunt ad eius necem. Vide quanto diligentiores sint administri Diaboli, in exequendis cupiditatibus suis, quarum præmium futurum est suppliciorum æternitas, quam nos in seruitute Christi, qui promittit nobis vitam æternam.

3. Inter tam multos, qui huic consilio aderant, non inuenitur vel vnicus, qui CHRISTI innocentis patrocinium suscipiat. Sic in tanto Christianorum & Religiosorum numero paucos inuenire est, qui suæ vtilitatis cogitatione planè abiecta solam pietatem & honorem DEI purè sequantur.

4. Si quando in aliquo leuiter impingamus, aut ope vel consilio egeamus: eundum est ad homines secundum spiritum viuentes, qui & nobis compatiantur, & opem afferre, & optimis nos institutionibus consolari possint. Ne imitemur Iudam, qui cùm ad Iudæos confugisset, accepta responsione asperiore, desperans laqueo sibi vitam abrupit.

5. Diaboli hæc est consuetudo, vt hominem efficiat excum, ne grauitatem peccati prius videat, quam admiserit, quæ postea facilius in desperationem se præcipitet. Sic nobi

multi defectus nunc apparent leues, quos post, vbi ad mortem ventum fuerit, grauiores opinione nostra cognoscemus, cum periculo fortè desperationis, nisi maturè resipiscamus.

6. Quicunque ducti amore diuitiarum & tẽporalium commodorum discedunt à seruitute Christi, & ad sæculum reuertuntur, laqueo tenentur implicati vt Iudas.

MEDITATIO XXI.

DE PRIMA CHRISTI APVD PILATVM ACCVSATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Ioan. 18. I. *Iudæi non introierunt in prætorium,* ne contaminarentur, sed manducarent pascha.

II. *Pilato interroganti* quam accusationem *afferent? respondent:* si non esset malefactor, non tradissemus eum.

III. *Et cœperunt accusare. 1. quod subuerteret gentem. 2. prohiberet dari tributum. 3. diceret se regem.*

FIGVRA.

Dan. 6. PRincipes Regis Darii inuidentes Danieli, quod sibi prælatus esset, calumniis apud Regem oppresserunt, vsque eo dum traderetur ad mortem.

PRO-

PROPHETIÆ.

EXACVERVNT *vt gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum* Psal. 63.

Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circunderunt me, & expugnarunt me gratis. Ps. 108.

DOCVMENTA.

1. QVOMODO nos superioribus nostris non subiecti esse possumus etiamsi non satis probi sint, cùm videamus filium Dei tanta cum submissione stare coram Pilato? & quomodo nos terra & cinis æqualibus non cedamus, cum videamus Christum iudicem cœli & terræ, homini se submittere iudici Iudææ?

2. Patienter ferendum est, si qui ornati à nobis beneficijs, tamen aduersantur, & nos apud mundum accusant: idem enim à Iudæis passus est Christus: Nunc etiam quotidie patientissimè à nobis id patitur, qui cum tot ipsius beneficijs obligati simus, tam negligenter tamen illi seruiamus, sæpissimè etiam peccatis offendimus.

3. Si quod à nobis rectè factum est, in malam partem accipiatur: cogitemus & Christum ipsam veritatem, habitum atque appellatum esse seductorem & malefactorem.

4. Accusamus Christum, cùm proximo nostro aut falsi aliquid imponimus, aut verum exaggeramus, aut sine causa alijs defectus illius aperimus.

5. Christum vt seductorem accusant ij, quos pœnitet audisse eius inspirationes, & cœpisse illius seruituti se dare: desiderantes videlicet redire ad ollas Ægyptii.

MEDITATIO XXII.

EXAMEN PILATI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 27 *Mar.* 53. *Luc.* 23. *Ioan.* 18.

I. *Pilato Prætorium ingresso ac roganti: An esset Rex Iudæorum? respõdit.* 1. Regnum *suum* non esse de hoc mundo. *Vlterius instanti, addit: se Regem esse, & in mundum venisse, vt testimonium perhibeat veritati.*

II. *Pilato Iudæis dicente se causam in eo non inuenire, accusabant eum Principes, Christo penitus tacente.*

III. *Tandem inualescentes dicunt:* Cõmouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa.

PROPHETIÆ.

Psal. 2. EGO *autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius.*

Testem

Testem populis dedi eum, ducem ac praceptorem gentibus. Isaiæ. 55

Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me. Psal. 38.

DOCVMENTA.

1. SI regnum Christi non est in mundo, non defigendus est in rebus terrenis animus, neque hic, sed cum Christo in cœlo quærenda solatia.

2. Ij se veritatis patronos profitentur, neque tamen vt Pilatus, eam audire volunt, qui cùm probitatem Christianam aut religionem professi sint, oblata exercendæ virtutis occasione, nihil agunt: aut veritatem si quando illis dicatur, reijciunt, nec illi volunt auscultare.

3. Aduersarijs & calumniatoribus nostris, si quando ignorantia peccent, respondendum est, vt ijs satis fiat: at si malitia peccent, tacendum & ferendum sicut Christus Pilato sæpius respondit, ad calumnias & conuitia Iudæorum semper tacuit.

4. Pilatus, cùm Christum ad omnia crimina tacitum videret, miratus est vehementer patientiam eius & virtutem. Sic & nos cùm iniurijs aut contumelia afficimur, plus tacendo apud aliorum animos, quàm respondendo & defendendo proficimus.

5. Si quando in ipsis laboribus pro salute animarum susceptis, facta nostra in calumniam vocentur, solemur nos: quando & Christus Dominus noster post tot ærumnas pro salute populi sui toleratas, seductor & concitator populi habitus est.

MEDI-

MEDITATIO XXIII.

MITTITVR AD HERODEM.

PVNCTA MEDITATIONIS

Luc. 23. I. *Pilatus*, audiens *esse* Galilęum, remisit illum ad Herodem, *qui erat Hierosolymis ob festum.*

II. *Herodes diu* cupiebat videre Iesum, *& gauisus est, sperans se visurum aliquod miraculum.*

III. IESVS *multis sermonibus interrogatus*, nihil respondit, *quamuis illũ Principes accusarent.*

PROPHETIÆ.

Psal. 37. EGO *autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.*

Isaiæ 42 *Tacui, semper silui, patiens fui.*

DOCVMENTA.

1. NIhil profuit Herodi, cupidum iam diu fuisse videndi Christum, quia cupiditas illa nō oriebatur ex desiderio emẽdandæ vitæ, sed ex curiositate, vt signum aliquod videret fieri. Sic nobis parum proderit præclara cōcipere desideria, nisi in defectibus emendandis ipsi operi strenue manum admoueamus.

2. Si

2. Si Christus Herodi respondisset, rex illum scilicet laudasset, non ipse se emendasset. Exemplo fuit ergo nobis Dominus, vt inanem gloriam caueamus: nempe de rebus ex quibus neque gloria Dei, neque proximorum vtilitas, sed nostra solùm laus existat planè taceamus, & malimus cum Christo à superbis hominibus contemni, quàm inaniter prædicari.

3. Noluit Herodi curiosè quærenti respondere Christus, vt doceret nos in concionibus ac sermone non hoc sequi vt curiosorum auditorum intelligentiam pascamus ; illud potius, vt pijs illos ad morum emendationem commoueamus affectibus.

4. Mors potius præoptanda est, quam in gratiam cuiusquam mortalis vllum peccatum admittendum, vt Christus maluit ab Herode dānari, quā curiosè ipsius cupiditati obsequi.

5. Diuina mysteria curiosè scrutari non debemus, neq; vt Herodes, cùm arido corde exiguum habemus pietatis sensum, multa cum Deo verba facere: neque enim vlla responsione ab illo dignabimur.

6. Gratia & dona diuinitus communicata, non cuiuis aperienda sunt; sed ijs solùm à quibus fructus aliquis expectari potest.

MEDITATIO XXIV.

CHRISTVS TANQVAM STVLTVS AB HERODE CONTEMNITVR.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Herodes, R. spreuit illum cũ exercitu suo.* Luc. 23.

II. *In-*

II. *Indutum veste alba remisit ad Pilatum.*

III. *Facti sunt amici, illa ipsa die, cum ante inimici essent.*

FIGVRA.

1. Re. 23 DAVID pro stulto habitus & contemptus fuit ab Achis Rege Geth.

PROPHETIÆ.

Psal. 2. *ASTITERVNT Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.*

Hier. 3. *Factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die.*

DOCVMENTA.

1. SI à mundo contemnimur, gaudeamus: nam si ab eo laudaremur, indicium esset improbitatis nostræ: Is enim mos est sæculi accusare bonos, improbos laudare, quod Christo accidit.

2. Mundus cum suis, tum sermone tum factis vitiosis, virtutem & bonitatem nihili æstimat, atque adeo pro stultitia habet. Qua ex re colliges, quam parui opiniones & iudicia mundanorum hominum facere debeamus

3. Si deridemur & desipere putamur, eò quod Deo virtutibus prosequendis seruiamus, nihil nobis triste videatur, sed lætum potius & iucundum, quod à similitudine Christi propius absimus.

4. Reli-

4. Religiosum virum nequaquam abiecti & simplicis habitus sui pudere debet. Christus enim nostra causa nec fatui quidem habitum recusauit.

5. Quoties aut plurium aut meliorum vestium, quã status noster exigit, cupiditate tenemur : toties pauperi & humili Iesu illudimus.

6. Quanquam non expleuit votum Herodis Christus, quippe quod nulli bono esset, alia tamen parte beneficium contulit, quod non petebat : dum cum Pilato illum restituit in gratiam. Sic si quando concedat Dominus quod petimus, nunquam tamen non dat illius loco aliud melius, & aptius saluti nostræ.

7. Non satis fuit Herodi spreuisse Christum, sed remittit etiam indutum veste alba & ridicula, vt eum alijs similiter deridendum præberet. Id nos imitamur, quoties non contenti in animo iudicare de proximo, sed verbis etiam ad audientes proferimus, vt & apud illos existimationis iacturam faciat.

MEDITATIO XXV.

BARRABAS CHRISTO PRÆFERTVR.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Christo reducto, dicit Pilatus; nec se, nec Herodem inuenire causam mortis: itaque vult eum flagellare.* *Mat. 27 Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 18.*

II. *Quo-*

II. *Quoniam moris erat, vt in Paschate, vnus ex reis dimitteretur, proposuit eis Barrabam seditiosum & homicidam.*

III. *Sacerdotibus persuadentibus, populus Barrabam Christo præfert, clamans: Crucifige eum.*

FIGVRA.

Leui. 14 LEPROSVS, à lepra curatus duos offerebat passeres Sacerdoti, quorum alter offerebatur in sacrificio pro eius emundatione, alter demittebatur liber.

PROPHETIÆ.

Psal. 117 *LAPIDEM quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

Id est, Christus, quem lapis ille designabat, cum à Iudæis coram Pilato esset reprobatus, factus est caput duorum populorum: Iudæorum & Gentilium, &c.

Psal. 22 *Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum & abiectio plebis.*

Hier. 14. *Et eligent magis mortem quam vitam omnes qui residui fuerunt de cognatione hac pessima.*

DOCV-

DOCVMENTA.

1. SI quando bene agentes in mala ſumus exiſtimatione, peiuſque de nobis homines, quam de ijs, qui nobis longè nequiores ſunt, iudicant; adhibenda eſt patientia: cum Chriſtus Barraba ſceleſtior habitus ſit.

2. Barrabam præponimus Chriſto, cùm noſtra iudicia aut voluntates ſuperioris ſenſui & voluntati præferimus. Item cum virtuti vitium, ſpiritui carnem, honorem mundi honori Chriſti, ſeculum religioni præponimus.

3. Cùm lente in aliquas imperfectiones trahimur, vel ne hominibus iniucundi ſimus, vel vt nobis iucundi, ſimiles Pilato ſumus, qui ne quid Iudæos offenderet, ſed eos in gratia conſeruaret, dimiſit Barrabam, & tradidit Chriſtum.

4. Nos qui profitemur ſequi nos Chriſtum, caritatem eius æmulari debemus, vt vitam, cùm res aut ſalus proximi flagitat, lubentes profundamus. Quemadmodum Chriſtus, vt Barrabam humanæ generis imaginem liberaret, ipſe ſe condemnandum tradidit.

5. Quàm ſæpe fit, vt diuina inſpiratio intus loquatur & ſuadeat, vt liberemus Chriſtum, ſiue peccato aliquo omittendo, ſiue occaſione tollenda: at nos vel operis difficultate, vel negligentia vincendi nos ipſos reſpondemus: Viuat Barrabas, & crucifigatur Chriſtus.

6. Non debet nos paupertatis, vilium officiorum, exiſtimationis apud homines exiguæ pudere, neque enim puduit Dominum noſtrum Barrabæ non modo comparari, verum etiam poſthaberi.

MEDI-

MEDITATIO XXVI.
DE FLAGELLATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 27 Marc. 15 Luc. 23. Ioan. 19.

I. *Dixit Pilatus: nullam inuenio, in eo causam. Corripiam illum & dimittam.*

II. *Iudæi clamabant vt crucifigeretur.*

III. *Tunc apprehendit Pilatus* IESVM *& flagellauit.*

FIGVRA.

Ier. 20. & 37. HIEREMIAS Propheta verberatus, & in carcerem coniectus est, quod veritatem dixisset.

PROPHETIÆ.

Psal. 20 *ET fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.*

Isaiæ 50. *Corpus meum dedi percutientibus.*

Isaiæ 1. *A planta pedis vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas.*

Isaiæ 50 *Reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.*

Ibidem. *Ipse autem vulneratus est propter delicta nostra: Attritus est propter scelera nostra.*

DOCV-

DOCVMENTA.

1. QVI fieri potest, vt vnquam nos efferamus superbia, aut vestium splendore capiamur, aut desideremus magnifieri & alijs esse veneratioui, cum videamus Deum nostrum cum maximo pudore nostra gratia nudatum palam consistere?

2. Non defensionem, non appellationem à Pilati sententia Christus adfert: vt doceat nos, veri amatoris esse promptum se exhibere ad perferendas etiam cum culpa vacat, non verborum tantùm, sed etiam verberum iniurias.

3. Vt Christus amore nostri voluit nudari, ita nos animos nostros spiritualibus Patribus debemus aperire, ne ignominia nostra, extremo iudicij die, coram Christo & Angelis appareat.

4. Discamus à Christo rationem tractandæ carnis: non illi scilicet assentiendum, sed rigore & asperitate continendam, & immoderatos appetitus fræno regendos.

5. Si Christus passus est flagellari se ab inimicis, quanto magis decet nos lubenter accipere superiorum reprehensiones, & molestias, quas nonnunquam Deus nobis immittit, cum ab his sciamus amari nos & salutem nostram ab ipsis quæri.

6. Si tanta fuit Christi in nos liberalitas in sanguine donando, etiamne iniquum est nos erga ipsum res nostras, & nos ipsos largiendo non esse liberales?

7. Si, vt Christi exemplum docet, in hac vita flagellari signum est in altera secuturæ gloriæ; nec possumus solatijs frui simul, hic & in futuro: gaudeamus & expetamus in hac

hac vita cum Christo flagris cædi, vt in altera gloriæ illius participes simus.

8. Christus de tot iniurijs & ignominijs quas à Iudæis patiebatur, neque verbo questus est, neque re vlla refractarium se ostendit: vt doceret nos, in vindicando honorem Christiani non esse, sed in ferenda patienter, si quā accepit, iniuria.

MEDITATIO XXVII.

DE CHRISTI CORONATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

*Mat.*27 *Mar.*15. *Ioan.*19. I. *Milites suscipientes* IESVM, *in Prætorium congregauerunt totam cohortem.*

II. *Exuentes eum, chlamydem coccineā circundederunt ei.*

III. *Plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius.*

FIGVRA.

Gen. 23. ABRAHAM vidit montem, qui vertice alios montes supereminens, spinis esset obsitus. Hunc cùm ascendisset, eo loci obtulit sacrificium filij Isaac.

PRO-

PROPHETIA.

EGREDIMINI *filiæ Sion, videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illam Mater sua.* Cant. 3.

DOCVMENTA.

1. PVRPVRA caritatis operienda est multitudo peccatorum & vulnerum animæ nostræ : vt Christus texit Sanctissimi corporis lacerationem veste purpurea.

2. Per ludibrium regiam Christo vestem inijcimus, cùm actiones in speciem bonas exercemus, sed quæ coram Deo, quod minus recta intentione fiant, vitiosæ, & sine vllo merito sint.

3. Non satis fuit Christo pati toto corpore, sed etiam capite, vt solueret pœnas inobedientiæ, quam admittimus non solum in exsequendis mandatis, sed etiam iudicio & voluntate propria.

4. Si nullam corporis partem voluit Christus doloris expertem esse; æquum est, vt nulla sit in nobis vel animi vis, vel corporis pars quæ non in eius seruitio occupetur.

5. Coronam spineam cum Christo gestant, qui patienter ferentes huius vitæ tentationes & molestias, incedunt via arcta & spinosa ad salutem.

6. Acrius pungunt, & plus afferunt doloris capiti Christi, inanes nostræ cogitationes, & vagæ distractiones animi in laudibus diuinis recitandis, quàm spinę illius asperæ coronæ.

7. Qui se Christianos professi, ne minimum quidem molestiarum ferre possunt, & quauis exigua re turbantur & prosternuntur, contemplentur hoc patientiæ speculum, vt sub capite spinis coronato, pudeat ipsos esse membra delicata.

MEDITATIO XXVIII.

DE VARIA ILLVSIONE DOMINI IN DOMO PILATI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 27 Mar. 15. Ioan. 19.

I. *Dederunt arũdinem in dextera eius.*

II. *Genuflexo illudebant dicentes:* AVE REX IVDAEORVM.

III. *Expuentes in eum, accepta arundine percutiebant caput eius, & dabant ei alaphas.*

FIGVRA.

2. Re. 16. DAVID fugiens Absalonem, cùm tristis, discalceatus, operto capite incideret, à Semei inimico maledictis, & irrisionibus, simul etiam iniurijs & contumelijs affectus est.

PROPHETIÆ.

Iere. 20. *FACTVS sum in derisum tota die, omnes subsannant me.*

Audi-

Audiui contumelias multorum, & terrorem in circuitu. Ibidem.

DOCVMENTA.

1. SIMVLATE Christum adorant, qui Religionem professi, vita nihil à sæcularibus differunt. Item qui in animo cogitationibus dissipati, sine sensu, exterius deuotionem præ se ferunt, quique bonis monitis, quibus alios prudenter instituunt, ipsi non obtemperant.

2. Caput Christi arundine verberamus, cum immoderatis cupiditatibus rerum caducarum, aut alio quouis vanitatis & leuitatis genere, Christum, qui caput nostrum est, offendimus. Item cùm in ipsius obsequio cessatores sumus, vacui actionibus bonis, aut cùm in agendo aliud quicquam, præter ipsius gloriam, sequimur.

3. Cùm arundinis in modum, sentimus nos esse flexiles, fragiles, & infirmos, in manus Iesu debemus nos collocare, ne tentationis ventus nos terræ affligat.

4. Spuunt in faciem Christi, qui quo tempore preces aut Dei laudes recitandæ sunt, animum per alienas & inanes res vagum esse patiuntur.

5. Erubesce, humana superbia, cùm vides Dominum tuum & Deum arundinem manu gestantem, frustro vestis semiamictum, irrisum, & illusum ab hominum genere infimo: & tu adhuc, qui te sequi illum profiteris, non sine cura quæris bonas & delicatas vestes, laudes & hominum famam captas.

MEDITATIO XXIX.

DE CHRISTI AD POPVLVM PRODVCTIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS

Ioan.19. I. *Exiuit Pilatus foras, dicens: adduco vobis eum, vt cognoscatis quia nullā inuenio in eo causam.*

II. *Exiuit* IESVS *portans spineam coronam & purpureum vestimentum.*

III. *Pilato dicente:* ECCE HOMO; *clamabant Pontifices:* Crucifige, crucifige eum.

PROPHETIÆ.

Ierem.1. O *Vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

Et vidimus eum, & non erat aspectus.

Isaiæ 53. *Facta est mihi hæreditas mea, quasi Leo in*

Ier e. 2. *silua; dedit contra me vocem.*

DOCVMENTA.

1. CONTEMPLARE Dominum illa specie, qua fuit à Pilato ostensus, id est, humilem, nudum, flagellatum: & cogita,

ta, si ipse sit via, hac eundum tibi esse, si quidem ad vitam cupias peruenire.

2. Si consideremus ignominiam regis Angelorum, non magnoperè solliciti erimus, quo loco nos habeat mundus. Ne ergo pudeat nos pro Christo apud homines esse contemptui: quando ille coram inimicis suis tanto pudore sustinuit affici.

3. *Ecce homo*, inquit Pilatus. Volebat Dominus ostendere talem esse hominem per peccatum in animo: plenum scilicet vulneribus & doloribus, qualem ille se tum in corpore suo sanctissimo demonstrabat.

4. Si miserabilis Saluatoris aspectus, non potuit inimicorum animos retrahere ab inferenda illi nece: debet saltem nos, qui amicorum nomine censeri volumus, à continuis ipsius offensionibus retardare.

5. Christum flagellatum & contemptum ostendunt populo, qui vocatione sua relicta, cum Christi contemptu & bonorum scandalo se mundo ostendunt.

6. Si peccatis aut tentationibus occupati sumus, ostendamus Saluatoris hanc speciem æterno Patri, quàm Pilatus Iudæis ostendit. Si enim ea erat illius species, quæ animos hostiles mouere posset, quanto facilius, viscera paterna mouebit, vt misereatur nostri.

MEDITATIO XXX.

DE ITERATA IVDAEORVM APVD PILATVM PETITIONE MORTIS CHRISTI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Ioan. 19. I. *Pilato dicente, vt ipsi illum crucifigerent. Responderunt: se legem habere, secundum quam mori deberet, quia filium Dei se fecit.*

II. *Pilatus ideo magis timens, illum denuo examinauit. Sed Christo tacente ait: se potestatem habere crucifigendi & dimittendi.*

III. *Optabat quidem dimittere; sed Iudæis dicentibus, si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, sedit pro tribunali, &c.*

FIGVRA.

Dan. 6. CVM Danielem à Satrapis per inuidiam accusatum, apud se Darius Rex cuperet liberare: Satraphæ institerunt, vt neci daretur, denuntiantes regi negligentem illum legum Persicarum videri, nisi Danielem condemnaret.

PRO-

PROPHETIÆ.

FILII hominum, dẽtes eorum arma, & sagitta, & lingua eorum gladius acutus. Psal. 56.

Linguis suis dolosè agebant venenum aspidum sub labijs eorum. Psal. 13.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

DOCVMENTA.

1. IVDÆI animi perturbatione cæcati scelus scelere cumulant. Caueamus ne vllum peccatum in mentem admittamus, ne per illud excæcati in alia incidamus grauiora, non discernentes, quid iustum, quid saluti nostræ conducibile sit.

2. Christus à Pilato interrogatus vnde esset, non respondit: vt discamus non esse proijciendas margaritas ante porcos, neque de rebus sublimibus agendum apud homines indignos, & non intelligentes, ne eas contemnant.

3. Non debemus, vt Pilatus, potentiæ aut sapientiæ nostræ quicquam attribuere, sed agnoscere omnia profecta esse à Deo, sine cuius voluntate, nec folium arboris commouetur.

4. Si omnis potestas est desuper, vt nec homines, nec dæmones quicquam contra nos possint sine diuino nutu, nemo in tentationibus, periculis, rebus aduersis timendus est, nisi solus Deus, & sperandum nihil illum permissurum, nisi quod ipsi maiorem gloriam, nobis vtilitatem afferat.

5. Auſcultant vocibus mundi dicentis. *Si hoc facis non es amicus Cæſaris:* qui tacita Dei inſpiratione, ad bonum aliquod faciendum excitati, aut ad imperfectionem vel peccatum aliquod deſerendum, reſpectu humano non obtemperant inſpirationi.

6. Iudæi quod repudiato Chriſto Cæſarem regem ſuum vellent, in tot mala inciderunt, & in perpetuam ſeruitutem. Sic qui relicta ſeruitute Chriſti, ad mundū redeunt, perpetua fiunt mundi mancipia, & cū mundo pereunt.

7. Seculares, qui viuunt ex præſcripto legum mundi & carnis; operibus ſuis clamant: non habere ſe Regem niſi Cæſarem. Religioſi item cum ſuo, non ſuperiorum iudicio & voluntate regi volunt, Regi cœleſti repudiato, adhærent terreno.

MEDITATIO XXXI.

DE CHRISTI CONDEMNATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 27 I. *Pilato pro tribunali ſedenti nunciauit vxor, ne ſe cauſæ Chriſti miſceret; eo quod multa paſſa eſſet propter illum.*

II. *Pilato poſt lotionem manuum dicente: Innocens ſum à ſanguine Iuſti huius; reſponderunt: Sanguis eius ſuper nos, &c.*

III. *Sic*

III. *Sic Pilatus volens populo satisfacere, adiudicauit fieri petitionem eorum scilicet, vt dimisso Barraba,* IESVS *eis daretur.*

MEDITATIO DE CONDEMNATIONE ET CRVCIFIXIONE IESV CHRISTI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Sedens pro tribunali Pilatus, Christum iudicauit, & tradidit crucifigendum.* Ioan. 19.

II. *Baiulauit Christus crucem suam, donec ob virium defectum, Simon quidam Cyrenæus illam post eum ferre compulsus est.*

III. *Inter duos Latrones crucifixus fuit ascripto titulo:* IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM.

FIGVRA.

NABOTH innocens, à principib. Iezrael, iussu impiæ Iezabelis, iniquè damnatus est ad mortem. 3. Reg. 21.

PROPHETIÆ.

Psal. 88. EXALTASTI *dexteram deprimentium eum, latificasti omnes inimicos eius.*

Psal. 93. *Captabunt in animam iusti, & sanguinẽ innocentem condemnabunt.*

Sap. 2. *Morte turpissima condemnimus eum.*

DOCVMENTA.

1. IN rebus aduersis & tentationibus, subijcere nos patienter & humiliter debemus iudicio Dei, vt iniustum Pilatum Christus accipere iudicem non recusauit.

2. Cùm vel ex professione nostra, vel officio tenemur malum aliquod prohibere, non decet nos tergiuersari, ne opus sit cum Pilato manus lauare, sed defendere, quibus possimus modis honorem Dei & proximi.

3. Pilatus optabat Christum dimittere, sed cum bona gratia Iudæorum: itaque semper illos audiens non constanter reijciebat. Inuitus itaque venit ad condemnationem Christi. Sic nisi forti & constanti animo auersemur ea, quæ nos, à Deo & virtute abducunt: blanditijs sine dubio peccati iam corruptos habemus animos.

4. Pilatus, qnod non præcisè ostenderet, plane se dimissurum Christũ, occasionem Iudæis dedit sperandi bene de sua cupiditate, & vsque eò vrgendi dum peruincerent: Sic nisi in pugna tentationum, illud ratum & fixum habeamus, nullum peccatum admittere, nunquam cessabit infestare nos dæmon dum prostrauerit: quia nos illi nostro tempore spem damus posse nos vinci.

5. Ma-

5. Manus cum Pilato lauamus, & simul condemnamus Christum, cum id quod religioni nobis ducimus, tamen perpetramus, etiam excusando, coactos nos, seu aliqua tentatione seu timore humano.

6. Iniqua hominum de nobis iudicia exemplo Christi, cui seruimus, moderatè ferenda sunt. Ille enim iniquissimam à Pilato sententiam, amore nostri patientissimè sustinuit.

7. Quàm sæpè, vt mundo aut carni gratum aliquid præstemus, aut propter honores, aliaque bona temporalia, more Pilati iniustè aliquid agendo, Christum damnauimus?

MEDITATIO XXXII.

DE BAIVLATIONE CRVCIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Apprehendentes* IESVM *illuserunt ei, exuentes eum purpura, & induẽtes vestimentis suis.* *Mat. 27 Marc. 15 Ioan. 19.*

II. *Eduxerunt eum, vt crucifigerent.*

III. *Baiulans sibi crucem, exiuit in montem Caluariæ.*

FIGVRA.

ISAAC cum patre ad mortem proficiscens, in quo sacrificaretur, ligna sacrificij gestabat in humeris. *Gen. 22.*

Leu. 4. Præcepit Deus lege veteri, vt ad peccati expiationem sumeretur vitulus sine macula, qui extra castra elatus combureretur.

PROPHETIÆ.

Esai. 22 *DABO clauem domus Dauid super humerum eius.*

Isaiæ 9. *Factus est principatus super humerum eius.*

Isaiæ 53. *Sicut ouis ad occisionem ducitur; & tanquam agnus coram tondentibus se obmutescit.*

DOCVMENTA.

1. SI Christus Dominus noster portauit crucem, debemus & nos portare nostram, id erit si in tentationibus patientiam conseruemus, lubenter amplectamur mortificationes quas suis, & occurrentes in ipsius seruitio molestias, vt eo similiores simus capiti nostro Christo, quem sequimur.

2. Si serui Christi esse volumus, non fugienda, sed amplectenda nobis est crux & induenda. Crux enim est insigne quod Christus sibi militantium vestibus in hac vita vult esse affixum.

3. Cùm exiret Christus crucem gestans è domo Pilati ad montem Caluariæ, reliquit ibi vestes, quas illi Herodis & Pilati satellites imposuerant. Sic religiosi, cum egrediuntur è mundo, vt crucem obedientiæ ferant ad montem perfectionis, relinquere debent

debent vitiosos omnes habitus & consuetudines mundi ; & induere se vestibus Christi, quæ sunt virtutes ipsius.

4. Pro Christo crucem portant ij soli , qui Christum sequuntur. Itaque si quis aliud præter Christum persequitur , si quæ crux illi ferenda obueniat , non Christo , sed suis eam cupiditatibus portat.

5. Suam crucem , quam à Patre acceperat, Christus tulit , sic nos debemus tollere crucem nostram, illam quam Deus imponit , non quæ nobis videtur. Hoc est , ex ijs tentationibus & rebus , quæ nobis diuinitus obueniunt, profectum quærere debemus, non alias præferre & optare , quando ipse nouit quod nobis vltissimum sit.

MEDITATIO XXXIII.

CHRISTVS MVLIERES ALLOQVITVR.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. IESVS *conuersus ad mulieres sequentes ac plangentes dixit : Nolite flere super me; sed super vos, & super filios vestros.* Luc. 23.

II. *Si in viridi ligno hæc faciunt; in arido quid fiet?*

III. *Ducebantur alij duo nequam cum illo, vt interficerentur.*

FIGVRA.

2. Reg. 15. DAuid Rex fugiēs Absolonem, ascendebat montem Oliueti, stans discalceatus, operto capite, sequebatur autem populus illum plangens.

PROPHETIA.

Zach. 11. *ET plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum vt doleri solet in morte primogeniti.*

DOCVMENTA.

1. QVi religiosum institutum amplexi, recusant pati, appetitus frangere, aut labores instituti sui subire; profitentur quidem se cum turba Christum sequi, sed crucem cum Christo non ferunt.

2. Non dolendum, sed gaudendum potius, si eò quod seruiamus Christo, apud homines in praua simus existimatione, & iniqui odiosiq; iudicemur, neque enim pro nobis recusauit Christus duci inter latrones.

3. Mulieribus Christum, non se deflentibus similes sunt, qui suorū defectuum immemores & incuriosi, alienos notant & accusant. Medeamur primū nostris morbis, tum deinde sine reprehensione miserebimur aliorum.

4. Si Filius Dei, cùm esset lignum viride, innocens, fructuosum: itemq; homines iusti & sancti, ita in hac vita adusti sint ignibus rerum aduersarum: quid fiet aridis lignis & quātum putamus ardebunt in inferno peccatores?

5. Si is, qui venit in mundum sine peccato, non egressus est sine flagello, nobis qui cum peccato

peecato ingressi, in peccato viuimus, cogitandum est, non posse nos sine flagellis & molestijs vitam peragere?

6. Nolebat Dominus se fleri à mulieribus, sed populum à quo ducebatur ad mortem, vt ostenderet, non tam de illius passione dolendum, quàm flendum & plangendum de peccatis nostris, quæ mortis illi fuerunt caussa.

7. Monebat Christus mulieres sui amantes, ruinas fiere populo illi imminentes, indicans amatores Christi dolorem debere concipere ex proximorum seu temporalibus seu spiritualibus damnis.

MEDITATIO XXXIV.

SIMON CHRISTVM IN PORTANDA CRVCE ADIVVAT.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *In via apprehenderunt quidem Simonem Cyrenensem, venientem de Villa.* Mat. 27 Mar. 15.

II. *Hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius.* Luc. 23.

III. *Et imposuerunt ei crucem portare post* IESVM.

PROPHETIA.

EGO *quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Iere. 11.

DOCVMENTA.

I. CRVCEM coacti & sine fructu cum Cyrenæo portant, quos non amor, sed timor

timor cogit bene agere: religiosi item, qui Superiorum mandata exsequuntur inuiti.

2. In portanda cruce, id est, seruitio Christi laborandum est, quantum possumus: sperandumq; fore, vt deficientibus Deus submittat auxilia, vt Christum adiuuit Cyrenæus.

3. Si quando lassitudo & quasi tædium accidat nobis in obsequio Dei, recordemur laboris & lassitudinis Christi in portanda pro nobis cruce ad montem Caluariæ.

4. Crucem Christi accipiunt, qui sicut Cyrenæus, veniunt de villa, id est, qui mundum, eiusque actiones deserunt, & Hierosolymam proficiscuntur, ambulantes ad patriam cælestem.

5. Prius crucem portauit Christus ipse, quã Cyrenæo daret: sic qui alijs præsunt; seu potestate seu doctrina, primùm ipsi crucem gestare debent, nempe vt prius discant subesse, & perturbationibus repugnare: deinde eandem dare ferendam subditis.

6. Crux Christi non ad exemplum Simonis huius, sed ad præscriptum illud ipsius Christi ferenda est: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Primo vltro & libenter, non coacte suscipienda: dicit enim: *Qui vult.* Deinde sua cuique ferenda est, non aliorum: quòd indicant illa, *Crucem suam.* Tertiò addit: *& sequatur me*, quia ad Dei gloriam, non ad laudem humanam referri debet. Denique continuo & vsque ad finem vitæ perferenda est, additur enim. *Quotidie.*

Mat. 16
Mar. 8.
Luc. 9.

MEDI-

MEDITATIO XXXV.

CHRISTO VINVM MYRRHATVM PRÆBENT.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Venerunt in locum qui dicitur Golgotha, id est, Caluariæ.* *Mat. 27 Mar. 15.*

II. *Dederunt ei vinum cum felle mistum.*

III. *Cum gustasset* IESVS, *noluit bibere.*

PROPHETIÆ.

1. *DEderunt in escam meam fel.* *Psal. 68.*

2. *Recordare paupertatis meæ, absynthij & fellis.* *Thren. 3.*

DOCVMENTA.

1. CHRISTO bibere damus vinum myrrha infectum, cum quæ propter ipsum solum agenda erant, in ijs admiscemus humanum quendam respectum, aut imperfectionem, ob quæ opera illa nostra minus placeant.

2. Fel ori Saluatoris inferunt vino mixtum, qui specie veritatis spargunt falsa dogmata, quiq; aut sermonis, aut factorum asperitate offendunt atque exacuunt ad iram proximos.

3. Christo vinum intelligentiæ myrrhæ mixtum dant, qui alienis cogitationibus inter precan-

precandum dant locum. Itemq; memoriã fel-le mistã offerunt, qui obliti beneficiorum, quę à diuina Maiestate acceperunt; iniuriarũ, quas acceperunt à proximis, meminerunt. Illi vero voluntatẽ amarore infectam Christo præbent, quia affirmantes se illum amare, in corde tamen aliquam sensus cupiditatem, aut creaturæ cuiusq; amorem residere patiuntur.

4. Si quando post angustias tribulationum & tentationum non ea consolatione & gaudio fruimus, quod optamus, non dolendum est, sed cogitandum etiam Christo postquam inferenda cruce exhaustus esset, pro modica refrigeratione datum esse, fel bibendum.

5. Saluator porrectum sibi vinum felli mistum gustauit quidem, sed percepto felle noluit bibere: sic & nobis non omnia, quæ speciem habent boni, continuo amplectẽda sunt, sed ad libram rationis examinanda: quod si quid inuenitur in intentione fellis humani aut peruersi finis repudiandum: idq; consilio
1. Thess. 5 Apostoli, *Omnia probate, quod bonum est, tenete.*

6. Non conquerendũ est de cibo ac potione, siminus sapidis & delicatis vtamur, quam gustatui placeat: quauis re potius contenti simus, memores fellis & aceti, quæ Christo Domino pro cibo & potione data sunt.

MEDITATIO XXXVI.

DE CRVCIFIXIONE CHRISTI.

Mar. 15. *Luc.* 23. *Ioan.* 19.

PVNCTVM MEDITATIONIS.

Et ibi crucifixerunt eum.

FIGV-

FIGVRÆ.

ABraham colligauit ligna Isaac in fasciculũ, & super ipsa filiũ imposuit. *Gen. 22.*

Iussit Dominus Moysen facere serpẽtem æneum, eumque pro signo erigere, in quem si quis respiceret de vulneratis serpentum morsu, vitam seruaret. *Num. 21.*

Præcepit Dominus filijs Israel, vt primo mense sumerent agnum sine macula, quem die decimo quarto eiusdem mẽsis ad vesperam, immolaret omnis multitudo filiorum Israel. *Exod. 12.*

PROPHETIÆ.

FOderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. *Psal. 21.*

Quæ sunt plagæ istæ in medio manuũ tuarum? & dicet his plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. *Zach. 13.*

Minorasti dies temporis eius, perfudisti (eum confusione. *Psal. 88.*

DOCVMENTA.

PRorsus exuendus est homo vetus cum operibus suis, vt omni amore proprio nudi, nudum sequamur Christum.

2. Si aspiciamus rarum hoc paupertatis exemplum, quod Saluator nobis præbuit, moriens nudus in trunco arboris, pudebit nos murmurare, aut conqueri, cũ quid nobis deest, aut vestib. minus bonis aut delicatis vtimur.

3. Qui consecrati sunt seruituti Christi, crucifigere debent carnem cum vitijs & concupiscentijs, affigentes semetipsos ex amore IESV, clauis votorum in cruce obedien-

tiæ; vt Christus nostri amore cruci affixus est.

4. Vt Christus, nostri amore omnia membra super crucem extendit: sic nobis omnes partes corporis, & animæ vires, in eius obsequium impendendæ sunt, manus in auxilium proximorum, pedes in exercendis sanctis actionibus, lingua in laudem & benedictionem Dei, mens in pias preces & meditationes, cor in amorem ipsius.

5. Clauis manus Christo configunt, qui beneficiorum eius obliuiscuntur, aut superbiunt gratia & donis acceptis, aut de suis operibus inaniter gloriantur.

6. Pedes item configunt, qui pigrè se mouēt ad pietatis & caritatis officia; prompti alias & celeres ad suas recreationes, & res curiosas.

7. Voluit pro nobis Christus sublimis à terra extolli, vt auellamus mentem & desideria nostra à rebus terrenis, & erigamus in cælum, vt ibi sit totus amor & conuersatio nostra, vbi est thesaurus noster.

8. Si consideremus grauissimos dolores, quos pro nobis in cruce pertulit Christus, omnis labor videbitur facilis, & omne onus leue, omnis aduersitas iucunda, quæ in ipsius seruitio se offerent.

9. Pudeat nos cum consideramus, quomodo Christus gloriosam Natiuitatem absconderit, angustiis & paupertate stabili, nocturnis tenebris, arbitris mutis animantibus. At crucis ignominiam publicam fecit in vrbe regia, die celeberrimo Paschæ, coram vniuersis Iudaicæ nationis populis. Et nos vermiculi adhuc tam anxie defectus abscondimus, virtutes ostentamus.

MEDI-

MEDITATIO XXXVII.

DE DVOBVS LATRONIBVS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Crucifixerunt cum ipso duos latrones.* *Mat. 27*
II. *Vnum à dextris & alium à sinistris.* *Mar. 15.*
III. *Medium autem* IESVM. *Luc. 23.*
Ioan. 19.

FIGVRA.

IOseph Patriarcha inter duos malefactores in carcerem est coniectus. *Gen. 39.*

PROPHETIAE.

1 *ET cum sceleratis deputatus est.*
2. *Abiectionem posuisti me in medio populi tui.* *Isa. 53.*
Ierem. 3.

DOCVMENTA.

1. SIcut Christus crucifigi voluit amore nostri, inter duos latrones: sic nos amore ipsius spiritum nostrum debemus crucifigere, inter duos latrones, carnem & mundum.

2. Vt Christus in sua societate tolerauit Iudam; in morte non dedignatus est medicus esse latronum, decet & nos non indignari, sed tolerare imperfectiones proximorum, neque auersari humiliorum aut nobis inferiorum hominum conuersationem.

3. Quæ

3. Quæ ab hominibus contra innocentiam noſtram, ad opinionem de nobis imminuendam dicuntur, ea patienter ferenda ſunt: Nam & Chriſtus innocentiſſimus, inter latrones crucifigi ſuſtinuit.

4. Quanquam in medio latronum eſſet, nihil tamen vitij ab illis contraxit, ſed alterius conuerſione, ſuam cum illis ſanctitatem communicauit. Sic nobis inter peccatores vitam agentibus danda eſt opera, vt non illorum nobis vitia, ſed illis noſtra potius virtus adhæreſcat.

5. Chriſtus naſci voluit inter bruta animalia, viuere cum pauperibus, mori inter latrones. Non ſufficit, Chriſti imitationem profeſſis cœpiſſe cum humilitate conuerſionem ſuam, niſi Chriſti exemplo, ad finem vſque vitæ conſtanter refugiant ab omni humana gloria, & amplectantur ſui contemptum & confuſionem.

MEDITATIO XXXVIII.

DE TITVLO CRVCIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Scripſit Pilatus titulum, latinè, græcè, hebraicè,* IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM.

II. *Cum legiſſent illum Iudæi, dixerunt Pilato: Noli ſcribere Rex Iudæorum; ſed quia dixit: Rex ſum Iudæorum.*

III. *Reſpon-*

III. *Respondit Pilatus: quod scripsi, scripsi.*

PROPHETIÆ.

1. *ERit altare Domini, in medio terræ Ægypti,* (Iudææ, quæ ob malam vitam altera AEgyptius erat) *& titulus Domini iuxta terminum eius.* *Isaiæ 19.* *Psal. 95.*

2. **Dicite in gentibus quia Dominus regnauit à ligno.* **S. Iustinº Mart. dial. cont. Trypho. affirmat, hanc esse antiquã huius Psalmi lectionẽ, quæ à Iudæis corrupta sit.*

DOCVMENTA.

1. CVM in cruce tentationum, & tribulationum sumus, semper in ore & & corde sit nobis auxilium & consolatio nostra, titulus triumphalis Crucis Christi.

2. Regem habere Christum recusant ij, quos pudet videri spiritualibus rebus & virtuti studere, ideoq; respectibus humanis deterrentur sæpe dicere aut facere aliquid ad gloriam Christi.

3. Certissimum aduersus omnes tentationes remedium est, certum & firmum voluntatis propositum. Cum igitur vrget nos Diabolus, vt vel vocationem vel cuiuscunque boni actionem, de qua iam statuimus, omittamus: respondeamus cum Pilato. Quod scripsi scripsi, quod feci, infectum nolo. Sic subito Diabolus, instar Iudæorum, desinet molestus esse.

4. Viuens Christus, titulum Regis planè reiecit, quia honorificus illi futurus esset; in cruce accepit, quod afferret infamiam. Sic seruis Christi, fugiendi tituli, honores, digni-

dignitas, amplitudo tunc solum admittenda: cum in illis est patiendi materia sine vllo honore.

5. Titulum honoris sui Christus post tergum constitui voluit, calumniatores ob oculos suos. Serui Christi post tergum habere debent, & obliuisci laudes, & virtutes, quæ illos in superbiam possunt erigere contra semper ob oculos habere, quid peccare & in quo deficere solent, quod humilitatem auget.

MEDITATIO XXXIX.

DE VESTIVM DIVISIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Matt.27 I. *Milites cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius.*

Luc.23.

Ioan. 19. II. *Fecerunt quatuor partes, vnicuique partem.*

III. *De tunica (quæ inconsutilis erat, cõtexta per totũ sortiti sunt, cuius esset?*

FIGVRA.

Gen.37. FRatres Ioſephi interfecti, atque in cisternam dimissi, vestem sanguine tinctam Patri miserunt.

PRO-

PROPHETIÆ.

Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Psal. 21.

DOCVMENTA.

1. PArati esse debemus, vt benefaciamus iis, qui nos iniurijs aut damno afficiunt: vt Christus suos crucifixores remuneratus est, vestium diuisione.

2. Si vestes Christi, inter homines infirmos diuisæ sunt, cur nos volumus omnia nostra ab omnibus magni fieri, & in admiratione haberi?

3. Vestes Christi diuidimus, cùm inter nos non satis conuenimus, aut cum alijs discordiæ aut dissensionis occasionem præbemus.

4. Conseruanda est integra vestis amoris in Deum; non alijs rebus amandis diuidenda: vt neque Christus tunicam voluit diuidi.

5. Non magnoperè commoueri debemus, si propter amorem Christi, mundus laceret vestes exteriores seu famæ seu bonorum; modò interiorem vestem virtutis & innocentiæ integrum conseruemus.

6. Religiosus per votum obedientiæ cum Christo pendet in cruce abnegationis sui: per votum paupertatis exuit se, & diuidit vestes temporalium bonorum per votum castitatis, vestem interiorem iustitiæ, qua intus anima vestitur, integram seruat.

7. Ii qui vestes Christi inter se diuiserunt, erant milites, vt intelligamus, Dominum

passionis & mortis suæ præmia, non diuidere inter delicatos sed inter milites, ideſt, eos qui ſtrenuè contra vitia & ſemetipſos pugnant.

MEDITATIO XXXX.

DE IRRISIONE ET INIVRIIS IN CRVCE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 27 Marc. 15 I. *Tranſeuntes blaſphemabant eum dicentes: Vah? quid deſtruis templum.*

Luc. 23. II. *Similiter* PRINCIPES *illudebant cum Scribis & ſenioribus.*

III. *Dicebant: Alios ſaluos fecit ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Si Rex Iſrael eſt deſcendat de cruce, & credimus ei.*

FIGVRA.

Gen. 9. NOE, vini hauſtu inebriatus, nudus iacebat dormiens in Tabernaculo, quem videns Cham filius illuſit, oſtendens eum fratribus ſuis.

PROPHETIAE.

Pſal. 21. *OMnes videntes me, deriſerunt me, locuti ſunt labijs, & mouerunt caput.*

Spe-

Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum quoniam vult eum

2. *Ego factus sum opprobrium illis, viderũt me, & mouerunt capita sua.* Ps. 108.

3. *Plauserunt super me manibus omnes transeuntes per viam, sibilauerunt & mouerunt caput suum.* Thren. 2.

DOCVMENTA.

1. QVanquam diaboli persuadere nobis laborent, vt de cruce descẽdamus: aut relicto proposito vitæ sanctæ, aut omissa exercitatione aliqua operis boni, cui assueuimus, non sunt tamen audiendi, sed ad mortem vsque cum Christo manendum in cruce.

2. Quia Christus erat Filius Dei, non conueniebat illum de cruce descendere, sed ascendere ad Patrem: Sic non conuenit seruos Dei, vt ad imperfectiones & res humiles mundi descendant: verùm ascendant de virtute in virtutem vsque ad verticem perfectionis.

3. Quod boni semel proposuimus, id constanter debemus exequi: neque vllo prætextu boni operis, (quamuis totum mundum lucrari possemus) vltro ad imperfectionem vllã descendere. Nã & Christus ne promittentibus quidem Iudæis se credituros ei, voluit de cruce descendere.

4. Opprobrijs & iocis lacessitus in cruce Christus tacet: at non tacet latroni, Matrem consolatur: Patri se commendat; vt nos doceret, vbi vel honor Dei, vel salus animarum ageretur, ibi nos prodendi &

loquendi tempus esse: sed si quid nobis persecutionis aut iniuriæ adferatur, amore Christi tacendum & ferendum.

5. In tentationibus & angustijs quanquam videamur destitui ope diuina, nunquam tamen debemus spem de Deo planè abijcere, suo tempore enim sine dubio auxilia & solatia submittet.

6. Irrident Christum in cruce, qui in peccatis suis gloriantur, quibus ipsummet Christum crucifixerunt.

MEDITATIO XLI.
DE PRIMO VERBO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Luc. 23. I. IESVS *in Cruce pendens, dicebat:*
II. PATER DIMITTE ILLIS.
III. *Non enim sciunt, quid faciunt.*

FIGVRA.

Exod. 32 DVM filij Israel in deserto sibi idola constituunt, & contra ducem Moysem grauiter murmurãt: Moyses ipse flexis humi genibus in vertice montis rogabat, vt Deus illis ignosceret.

PROPHE-

PROPHETIÆ.

1. PRo eo, *vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.* Ps. 108.

Et posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Isai. 57.

Et pro transgressoribus rogauit. Isai. 53.

DOCVMENTA.

1. QVemadmodum Christus tanta caritate pro inimicis deprecatus est: sic & nos promptos esse conuenit ad veniam omnibus iniuriis dandam, & orare pro persequentibus & malè de nobis loquentibus.

2. Quia tam bonus est Dominus, vt ignoscat crucifixoribus suis, ponamus & nos certam spē in misericordia eius, & rogemus vt & nobis ignoscat, qui peccatis nostris non minus, quàm Iudæi ipsum crucifiximus.

3. Si nefarium illud scelus inimicorū, Christus apud Patrem excusauit: quanto nos conuenit magis, si quidem caritate prædíti sumus, excusare, non augere exiguas proximorum offensiunculas?

4. Magis Christum peccata Iudæorum quam sui dolores angebant, itaque Patrem non pro se, sed pro illis rogauit. Sic & nos si veram pietatem imbiberimus, plus curæ suscipiemus in salute alterius spirituali, quàm in nostra temporali.

5. Si Iudæi excusatione digni videbantur, quod nescirent, quid facerent: nos quibus Christus cognitus, toties tamen iterum per peccata crucifigitur, quam apud Deũ inueniemus excusationem?

6. Christus à quo tempore in horto captus est, ad mortem vsque multa fecit & pauca dixit, vt doceret nos, cum in res molestas & duras incidimus, patientia multa, non multis verbis opus esse.

MEDITATIO XLII.

DE SECVNDO VERBO

Puncta Meditationis.

Luc. 23.

I. *Vnus latronum, improperabat Christo dicens: Si tu es Christus; saluum fac teipsum, & nos.*

II. *Alter increpabat eum dicens: Neq; tu times Deum, quod in eadem damnatione es? & nos quidem iustè &c. Hic autem nihil mali gessit.*

III. *Et dicebat* Iesv: *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum. Ait* Iesvs: *Amen dico tibi; hodie mecum eris in Paradiso.*

FIGV-

FIGVRA.

IOsephus in carcerem cũ duobus maleficis coniectus, alteri prædixit fore vt euaderet, & gratiæ Pharaonis restitueretur: alter deinde capitis damnatus est. *Gen. 40.*

PROPHETIÆ.

ERit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam. *Hier. 39.*

DOCVMENTA.

1. CVm ab hominibus abiectis aut improbis calumnias sustinemus, patienter ferendum est: Christus enim se à latrone subsannari passus est.

2. Si quid in Deum sanctosque impiè dicatur aut fiat, nequaquam ferendum est, sed vt à bono latrone impius, sic blasphemus ille, quisquis est, à nobis grauiter, ex zelo animorum reprehendendus est.

3. Si Deum volumus misericordem in nos esse, non celanda aut excusanda, sed agnoscenda est culpa, & peccata syncerè confitenda, quod bonus latro fecit.

4. Cum proximum audimus traduci aut accusari, debemus eum boni latronis exemplo defendere & accusare, nos verò ipsos in cõscientia nostra continuò reprehendere & accusare.

5. Cum

5. Cum propter peccata in pœnas & castigationem Dei incidimus, cauendum ab impatientia, & maledicentia, quod non cauit malus latro; imitandus magis bonus latro vt ad cor redeamus, & humiliemus nos: Sic enim merebimur solatium accipere à Domino.

6. Si latronem, qui totam vitam per grauia scelera peregerat, ob vnius horæ obsequium Christus Paradiso remunerat: quid illis debit, qui ad mortem vsque fideliter ipsi seruiunt?

7. Christus de duobus latronibus, qui cum ipso moriebantur, vnum saluum fecit, vt nemo desperet, si instanti morte, peccatorum sibi adhuc sit conscius: sed non & alterum saluum fecit, vt nemo prætendens misericordiam Dei, pœnitentiam ad finem vitæ differat.

8. Bonus latro, vna actione insigni præstita in honorem Christi, meruit primus esse, qui post Christum ingrederetur in Paradisum: ne confidant serui Dei in multis annis in religione consumptis, multi enim in religione tyrones, in regno cælorum multis antiquioribus præferentur. Pluris est enim apud Christum hora vna feruens, quàm multi anni tepentes in ipsius seruitio.

9. Latroni, qui vnum tantùm dixerat bonum verbum, respondit Christus tam consolatorie: at Matri, quæ cum tanto amore illi seruierat, ita locutus est, vt magnus illi dolor accederet. Non est meritum & sanctitas, in magna animi lætitia & consolatione; sed in tribulationibus pro Christo fortiter sustinendis.

10. Tam grata est Christo peccatorum sa-

lus,

lus, vt tempore passionis, quo nullam neque diuinam neque humanam volebat admittere consolationē, hoc tamen solatij sibi seruarit, vt peccatorem vuum conuerteret. Itaque si rem gratam Domino præstare volumus, omnibus viribus cum ipso laboremus in reuocandis ad salutem peccatoribus.

MEDITATIO XLIII.

DE TERTIO VERBO AD MATREM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Stabat iuxta crucem mater eius, cū Maria Cleophæ & Magdalena.* Ioan. 19.

II. IESVS *videns Matrem cum Ioanne ait: Mulier ecce filius tuus.*

III. *Deinde Discipulo: Ecce Mater tua; & ex illa hora accepit eam Discipulus in sua.*

FIGVRA.

NOemi vidua mortis inter Moabitas filijs suis, redijt in patriam Bethleē. Cum autem salutaretur ab aliis mulieribus; respondit: Nolite me vocare Noemi, id est, pulchram; sed vocate me Ma-

ra, id est, amaram quia: amaritudine repleuit me vehementer Dominus.

PROPHETIA.

Luc. 2. ECCE *positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

DOCVMENTA.

1. MARIA & Ioannes, qui apud Christū primi erant in amore, stabant ad pedem crucis, non sedebant. Saluti nequaquam sufficit propè crucem Christi esse, & ocium agere, non nostræ negligentiæ somnum dormire; sed necesse est stare erectos, & pugnare aduersum tentationes, aliis auxilio esse, & Christum in rebus asperis perferendis imitari.

2. Si Christi charitatem imitari volumus, hominum miserorum & afflictorum misereri debemus, quod si aliud non licet, adiuuandi saltem sunt precibus, consilio, commendatione ad eos, qui solatio aut auxilio esse possint.

3. Matrem Virginem Ioanni Virgini commendat Christus. Ne speremus assecuturos nos intimam illam deuotionem erga Dominam nostram, neque dignos futuros tali Matre, nisi puritatis amantes simus.

4. Si sub Ioannis nomine omnes nos filios, dedit Matri suæ: par est vt eam amemus, eiq; vt obedientes filii seruiamus: ad ipsam vt ad veram matrem confugientes, in tentationibus & angustis rebus.

5. Chri-

5. Christus in cruce alloquens Matrem, non Matrem sed mulierem vocat. Vt doceret religiosos qui mundo mortui, cum Christo crucifixi sunt per obedientiam, obliuisci debere in terra Patrem & Matrem.

6. Si semel concessam ad tempus nobis gratiam deinde subtrahat Deus, non decet se querelis & morositati dare, neq; cessare à seruitio & honore ipsius quietos, sed Matrem filio orbatam potius imitari.

2. Non commendat matrem suam Ioanni Christus, cùm ab illa discederet primùm ad mortem, ne quidem in vltima cœna; sed cum ambo adstarent ad crucem. Cum enim ex amicis ei vellet illam tradere, qui esset certissimus; tum clare cognitum est, Ioannem esse fidelem in amicitia, cum omnibus turpi fuga lapsis, solus repertus est Ioannes, qui vna cum matre sub cruce adstaret. Veros amicos & seruos Christi crux discernit, id est, tentationum & tribulationum tempus tum qui constantiam seruant, nec à recto discedunt, illi demum veri sunt amici Christi, & fili Matris ipsius.

MEDITATIO XXXXIV.

DE QVARTO VERBO.

Pvncta Meditationis.

I. *Ab hora 6. vsque ad 9. facta sunt tenebræ super terram.* Mat. 27 Mar. 15. Luc. 23.

II. *Circa 9. Iesus voce magna clamauit:*

Heli, Lamma Sabachtani, id est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?

III. *Dixit quidam ecce, Heliam vocat iste.*

PROPHETIAE.

Eze. 32. *OMnia luminaria cali mœrere faciam, & dabo tenebras super terram.*

Psal. 21. 2. *Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?*

Iob. 30. 3. *Clamo ad te, & non exaudis me, sto, & nō respicis me, mutatus es mihi in crudelem.*

Isa. 49. 4. *Dixit Sion, dereliquit me dominus, & Dominus oblitus est mei.*

DOCVMENTA.

1. CVm in periculum, aut difficultatem, aut certamen contra tentationes incidimus, non abijciendus aut demittendus est animus: sed per preces humiliter refugiendum ad Deum, quemadmodum & Christus confugit ad Patrem.

2. Neque tum quidem turbari debemus, cùm subducta omni consolatione spiritus, aut cum tædio quodam & afflictione in seruitio Dei versantes, videmur ab ipso planè deserti. Idem enim Christo in cruce pati contigit.

3. Cum Christus propius ad mortem accederet, obscuratus est Sol, & factæ sunt tene-

tenebræ ſuper terram : Sic quando mentis ardor incipit tepeſcere, & in ea deficere Spiritus Chriſti, vita ipſius ; obſcuratur intelligentia ; ipſa verò incurrit in tenebras peccatorum.

4. Si Filius Dei, in quo tantùm ſibi complacuit æternus Pater, eo quod vnum eſſe nobiſcum vellet, ſic à Patre derelictus eſt ; quid nobis erit, qui pleni ſumus peccatis, ſi in morte non reperiamur vniti & coniuncti Chriſto ?

5. Si amore noſtri Chriſtus, vt vnà nobiſcum eſſet, relinqui à Patre voluit : quidni & nos deſeramus omnes mundi huius res, & nos ipſos, vt coniunganur, & ſemper cum Chriſto ſimus?

6. Vt Chriſtus non ceſſauit Patri obedire, quamuis ab eo relictus ; ſic nō decet nos quærere conſolationes ſenſibiles, ſed paratos eſſe abſque conſolatione illi ſeruire, ſcientes eo tempore actiones noſtras, etſi maiore cum labore & difficultate peragantur, plus mereri, quàm ſi cum dulci animi ſenſu & conſolatione peractæ eſſent.

MEDITATIO XLV.

DE QVINTO VERBO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Sciens* IESVS *omnia conſummata eſſe dixit :* Sitio. *Mat.* 27 *Mar.* 15.

II. *Vas erat poſitum, aceto plenum,* *Ioan.* 19.

ex quo vnus impleuit ſpongiam.

III. *Et imponens arundini obtulit ori eius dicens: Videamus, an veniat Helias, liberans eum.*

FIGVRA.

Iudic. 15 SAMSON ſtratis Philiſtæis, cùm ſiti deficeret, conuertit ſe ad Dominum, dicens: Siti morior.

PROPHETIÆ.

Pſal. 68. *In ſiti mea potauerunt me aceto.*

Pſal. 21. *Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me.*

DOCVMENTA.

1. DEBEMVS & nos ſitim Chriſti ſitire, ardentes zelo animarum & deſiderio gloriæ Dei.

2. Si Chriſtus cor noſtrum ſitit, curemus vt Purum illud, ſine alterius perturbationis aut amoris terreni admixtione, ei tradamus, ne à nobis, quemadmodum à Iudæis, acetum ei præbeatur.

3. Guſtandi tantùm, id eſt, ferendi ſunt mores peruerſi & dogmata falſorum Chriſtianorum: non bibendum, id eſt, imitandum, ſicut Chriſtus, cùm guſtaſſet acetum, noluit bibere.

4. Acetum dant Chriſto, qui egentibus peſſima

sima largiuntur, aut eos verbis asperè & iniquè excipiunt.

5. Mundo vinum bonum, Christo acetum dant, qui vt suas cupiditates satient, & hominum voluntates sibi concilient, aut in honore vel lucro adipiscēdo omnes curas cogitationesque consumunt, non tempori, non labori parcentes. At in rebus ad salutem spectantibus tepidi sunt & negligentes neque quicquam pati, neque sumptus aut damni quicquam ferre sustinent.

6. Bona opera sua Christo in cuspide arundinea offert (vt milites spongiam aceto plenam obtulerunt) qui in ijs hominum gloriam & mundi honores spectat.

7. Si quando contingat nos famem & sitim pati, gaudeamus quod aliqua se nobis imitandi Christi offerat occasio, qui hæc ipsa pro nobis passus est in cruce.

MEDITATIO XLVI.

DE SEXTO VERBO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Cum accepisset* IESVS *acetum.* *Ioan.19.*

II. *Dixit* : CONSVMMATVM EST.

FIGVRA.

COMPLEVIT Deus die septimo opus suum, quod fecerat. *Gen. 2.*

PRO-

PROPHETIÆ.

Dan. 9. *SEPTVAGINTA Hebdomades abbreuiatæ sunt super populum meum, & super vrbem sanctam tuam, & consummetur prauaricatio.*

Isaiæ 10. *Consummationem & abbreuiationem Dominus exercituum fecit in medio omnis terræ.*

Ibidem. *Adhuc paululum modicum ód, & consummabitur indignatio, & furor meus super scelus eorum.*

DOCVMENTA.

1. IMpendenda planè sunt omnia diuino obsequio, in eoque omnia absoluenda, in hoc vnum, omne tempus, omnes fortunæ conferendæ, immò & nosipsi, & omnia nostra; non secus ac Christus ipse saluti nostræ procurandæ, se totum impendit, omniaque cumulatissime perfecit.

2. Nemo se speret ingressurum cum Christo in gloriam, nisi ad finem inueniatur perfectè cum ipso consummasse. Laboremus igitur, vt caritatis igne consummemus imperfectiones in hac vita: ne pœnarum igne consummemur in altera.

3. Christus Dominus mansit in Cruce, donec consummasset omnia. Beata anima quæ constanter in bono proposito ad finem vsque perseuerans, cum B. Paulo in extremis potest
2. Tim. 4 dicere: *Cursum consummaui, fidem seruaui Domino meo.*

4. Hoc

4. Hoc verbo *Consummatum est*, Christus indicauit, tantum se feciſſe amore noſtri, quantum facere potuerit. Decet ergo, vt & nos, ſi Chriſtum amamus, liberaliter nos illi donemus, & integrè, nec quicquam nobis retineamus, quemadmodum & ipſe largus in nos fuit.

5. Principia & exitus actionum omnium Chriſto ſunt conſecranda, ſicut ipſe amore noſtri cœpit, & conſummauit opus redemptionis noſtræ.

MEDITATIO XLVII.

DE MORTE CHRISTI, ET DE VERBO SEPTIMO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Et clamans voce magna* IESVS, *Mat.27 Mar.15 Luc.23 Ioan.19,*
II. *ait: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.*
III. *Et inclinato capite, emiſit Spiritum.*

FIGVRA.

ABEL iuſtus innocenter occiſus eſt ex inuidia, à fratre Cain. *Gen. 4.*

PROPHETIÆ.

IN *manus tuas commendo Spiritum meum.* *Pſal.30.*
Tradidit in mortem animam ſuam. *Eſai.53.*

Poſt

Dan. 9. *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus.*

Isaiæ 53. *Abscissus est de terra viuentium, propter scelus populi mei percussi eum.*

DOCVMENTA.

1. CHRISTVS Dominus noster nudus voluit mori in cruce, sic nobis curandum est, vt cùm ad mortem ventum erit, omnium rerum amore nudi reperiamur, item vt optemus, exemplo ipsius cum dolore & cruciatibus mori, atque adeò illius amore sanguinem profundere, quod idem ipse pro nobis præstitit.

2. Si Filius Dei ipso mortis articulo, tanta orationis instantia, tot lachrymis Patri se commendauit, nemo quacunque iustitia & sanctitate præditus, sine cura esse debet, sed cum timore vitam agens paratus esse ad tentationes; confugiens, quod Christus fecit, ad diuinum præsidium.

3. Curemus, vt in vita simus filij supremi Patris, id est, abnegemus amore ipsius voluntatem omnem nostram, & in ipsius præceptis absolutè obseruandis omnem laborem collocemus, vt morituri fidenter possimus illum appellare Patrem, & spiritum nostrum in manus ipsius commendare.

4. Christus moriens inclinauit caput, vt seruos suos doceret, quemadmodum ipse iubente Patre passionem & mortem exceperit: sic & ipsis, ex superiorum mandatis, subeundas quasuis difficultates, & quibusuis se periculis, etiam vitæ exponendum.

5. Si mortis tempore preces nostras audiri desi-

desiderамus, vt Spiritus noster in manus Patris æterni perueniat: laboremus ne alium habeamus spiritum, quàm Christus Filius ipsius, qui cum esset illi gratissimus, non potuit non illum suscipere.

6. Commendanda est anima & spiritus in manus Patris spiritualis, illique amori Christi præstanda obedientia, quēadmodum & ipse obediens fuit, & Spiritum in manus Patris commendauit.

MEDITATIO XLVIII.

DE REBVS, QVAE POST MORTEM SALVATORIS SECVTÆ SVNT.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Ecce velum templi scissum est; terra mota est, & petræ scissæ, monumentaq; aperta sunt.* Mat. 27 Marc. 15 Luc. 23.

II. *His visis Centurio ait: Vere Filius Dei erat iste. Et alij spectatores reuertebantur percutientes pectora.*

III. *Noti autem eius, & mulieres, quæ venerant à Galilæa, &c. Stabant à longè hæc aspicentes.*

PROPHETIÆ.

ET erit in illa die, dicit Dominus, occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. Amos 8.

Zac. 14. *Et erit in illa die, non erit lux, sed frigus & gelu, & erit dies vna quæ nota est Domino, non dies, neque nox, & in tempore vesperi erit lux.*

Hier. 6. *Luctum vnigeniti fac tibi, & planctum amarum.*

DOCVMENTA.

1. CHRISTO Domino cor nostrum aperire, eique in amore & veritate seruire debemus, vt sicut ille scindens velum timoris & vmbrarum veteris legis, Sanctuarium aperuit: sic nos Thesauros suos aperiat, & secretorum cœlestium faciat participes.

2. In morte Christi terra tremuit, petræ sciſſæ, mortui resuscitati sunt. Si nos, qui operibus nostris Christum crucifiximus, vera contritione de peccatis non dolemus, nec intimo amore acerbissimis illius pœnis compatimur, nec tremendum iudicij diem timemus; petris sumus duriores, terra insensibiliores, ipsis mortuis mortui magis.

3. Tunc cum turbis crucifigentibus Christum, confitemur Dei filium, & percutientes pectora nostra Ierosolymam redimus, quando de commissis peccatis dolemus, eaque confitemur, vitamque nostram emendamus?

4. Interim dum omnia prosperè Iudæis succedebant, magis contra Christum sæuiebant. At quando Sol obscurabatur, quando terra tremebat, tunc casum suum animaduertebant, pectoraque percutientes confiteri eum incipiebant, quem ante spreuerant. O quanto

to aduersitas vtilior est prosperitate, tribulatio consolatione: quando à Deo flagellamur, duriterque cum asperitate tractamur, tunc maiorem nobis exhibet misericordiam, quam quando tolerat dissimulatque imperfectiones nostras.

5. Amici & noti Christi, in morte stabunt à longè: Spernamus mundum, fallacem & deceptorem, appropinquemus Christo vero & fideli àmico: quandoquidem de mundo legitur, eum in periculis necessitatibusque suos deserere, & à longe stare: sed de Christo scriptum est, quod nobiscum sit in tribulatione, nos adiuuet, nos eripiat. Illi stant longè à Christo, qui mortificationem & aliquid pro Christo pati refugiunt, qui se à vita aspera crucisque via retrahunt & abducunt.

MEDITATIO XLIX.

DE LATERE LANCEA PERFOSSO.

PVNCTA MEDITATIONIS

I. *Iudæi (vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho) rogarunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura & tollerentur.* Ioan. 19.

II. *Duobus latronibus fregerunt crura.*

III. Ie-

III. IESV (*quia mortuus erat*) *non frègerunt crura, sed vnus militum, lancea latus aperuit, & exiuit sanguis, & aqua.*

FIGVRÆ.

Exod. 12. IN lege præcepit Deus, ne agni Paschalis ossa frangerentur.

Nu. 20. Cum Moyses virga percuteret silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.

Gen. 2. Cum obdormisset Adam, tulit Deus vnam de costis eius, & formauit Euam.

PROPHETIÆ.

Zac 12. ASPICIENT *ad me quem confixerunt.*

Psal. 68. *Quem percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

Iob 16. *Circundedit me lanceis suis: cõuulnerauit lumbos meos: conscidit me vulnere super vulnus.*

DOCVMENTA.

1. POSTEAQVAM cum Christo, mundo sumus mortui, desideremus habere cor vulneratum diuino amore ipsius, & vera in proximum caritate, quemadmodum ille amore nostri vulnerari voluit.

2. Tunc cum Longino, iniuriam lateri Christi inferimus, quando indignè ad Sacramenta accedimus, quæ ex latere ipsius habuere principium.

3. Illi

3. Illi cor Christi vulnerant, qui aut verbis aut malo exemplo, causam præbent peccati illis, pro quorum amore Christus mortuus est.

4. Christus amore Christi; non tantum vulnerari voluit in manibus, pedibus, & in toto corpore, sed etiam in ipsis præcordijs, Ita nos amore ipsius debemus non solum operibus exterioribus, sed corde etiam, id est, bona voluntate & recta intentione, illi seruire.

5. Tunc Religiosi illi homines, integra conseruant, & ossa Christi non frangunt quando integram suis superioribus præstant obedientiam, & non tantum executione externa, verum etiam voluntate & iudicio.

MEDITATIO L.
DE DEPOSITIONE A CRVCE

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Serò venit Ioseph ab Arimathia vir bonus, & iustus.* *Mat. 27*

II. *Hic audacter introiuit ad Pilatum petens corpus* IESV. *Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.*

III. *Pilatus cognoscens eum obiisse, iussit reddi corpus.*

FIGVRA.

AARON completis hostijs pro peccato, & holocaustis & pacificis descendit. *Leuit. 9.*

DOCVMENTA.

1. DVOBVS Ioſephis Dominus commendauit ſuam perſonam. Vni in principio vitæ, vt ipſum gubernaret : Alteri in fine vt ipſum ſepeliret; Ioſephus interpretatur accreſcens & proficiens, vt intelligatur, quod Ieſus non ſe illis communicet, qui in via ſpirituali conſiſtunt, aut retro reſpiciunt: verum illis qui indies creſcunt, & in virtute proficiunt.

2. Ioſephus occultus erat Chriſti diſcipulus, verum ne perderet illum theſaurum, voluit manifeſtari, nihil faciens quid alij dicerent aut facerent : Ita non cogitemus nos vnquam obtenturos Ieſum, ſi non ſimus parati contemnere omnes reſpectus & timores humanos, & multa perpeti : quandoquidem non poteſt colligi iſta roſa, ſine ſpinarum puncturis.

3. Cùm patientia debemus Ieſum de cruce deponere, in quam noſtris peccatis illum affiximus, idque voluntariè fateri debemus, cordis dolore, vt fecerunt ſancti illi diſcipuli.

4. Imitemur bonitatem viri illius ſancti, viuendo hoc modo, vt rogantes cum fide, & deſiderantes cum amore, corpus Ieſu in Sanctiſſimo Sacramento, ſimus digni habere illud à Deo, ſicut Ioſeph illud obtinuit à Pilato.

5. Tunc fatigamur in deponendo Ieſu de Cruce, quando occupamnr in iuuandis proximis, vt illos ex peccatis extrahamus : quandoquidem conuertere peccatorem, qui ſuis malis operibus crucifigit Chriſtum, non eſt aliud, quam deponere Chriſtum de cruce.

MEDI-

MEDITATIO LI.
DE SEPVLTVRA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Venit & Nicodemus ferens mixturam myrrhæ & aloes libras 100.* Ioan. 19.

II. *Corpus* IESV, *ligatum linteis, cum aromatibus posuerunt in monumento nouo, excisso in petra.*

III. *Aduoluerunt lapidem ad ostium monimenti.*

FIGVRA.

IONAS Propheta in mare deiectus, quem deglutiuit magnus piscis, in cuius ventre fuit tribus diebus & tribus noctibus. *Iona 2.*

Ioseph in Ægypto mortuus, magno cum honore & aromatibus sepultus est. *Gen. 50.*

PROPHETIÆ.

ERIT sepulchrum eius gloriosum. *Isaiæ 11.*

Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in vmbra mortis. *Psal. 87.*

Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. *Thren. 3*

DOCVMENTA.

1. QVANDO accedimus ad sanctissimum Sacramentum, pura confessione mundemus cor nostrum, candidamque reddamus sindonem conscientiæ nostræ, in quam inuoluamus sacratissimum Christi corpus.

2. Imitemur paupertatem Christi, vt non desideremus nec quæramus huius mundi diuitias, nec rerum proprietatem vllam, posteaquam quemadmodum natus est pauper & vixit pauper, sic moriens etiam voluit sepeliri in alieno sepulchro.

3. Curemus vt Christus dignetur habitare in nobis, ita vt cor nostrum sit nouum sepulchrum per nouam vitam, sit ex petra per firmitatem voluntatis in bono, sit concauum per humilitatem, mundum ab omni putredine malarum cogitationum & sensualium desideriorum.

4. Quando pretiosum Christi corpus suscipimus, vnganus compunctionis aloe, & myrrha intimi doloris amarissimæ suæ passionis, & odore laudis & gratiarum actionis diuinæ Maiestatis.

5. Christus voluit sepeliri cum aromatibus in sepulchro Ioseph hominis iusti: non quiescit Iesus in fœtidis cordibus peccatorum; sed in iustorum cordibus, qui suauissimum emittunt odorem virtutis.

6. Quando beneficio Dei gratiam eius accipimus, per quam Iesus in cordibus nostris habitat, occludere eam in nobis debemus, petra firmi constantisque propositi, nunquam eum offendendi; nec amplius cor nostrum patere debet mundo, sed perseuerare debemus in sancto illius seruitio.

MEDI-

MEDITATIO LII.

DE CVSTODIA SEPVLCHRI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Mulieres quæ venerant à Galilæa, viso sepulturam reuertentes paraue runt aromata & vnguenta.* Mat. 27 Marc 15 Luc. 23.

II. *Principes autem recordati Christum dixisse, se post tres dies resurrecturum; petierunt à Pilato, vt sepulcrum custodiretur.*

III. *Pilato assentiente, munierunt sepulcrum, signātes lapidem cū custodibus.*

FIGVRA.

CVM audissent Philisthijm Samson intrasse vrbem Gazam, ibíque dormire, circumdederunt eum positis in porta ciuitatis custodibus. Iudic. 16

PROPHETIÆ.

SCRVTATI *sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio.* Psal. 36.

Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam. Psal. 56

Psal. 9. *In laqueo iſto quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.*

Gen. 49 *Requieſcens accubuiſti vt Leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?*

DOCVMENTA.

1. POST ſuſceptionem corporis Domini in ſanctiſſimo Sacramento, à diſtractione mentis nobis caueamus, & ſedeamus cum Marijs perſeuerantes in oratione, & contemplatione Ieſu, qui poſitus eſt in ſepulchro noſtri cordis.

2. Non erant contentæ iſtæ ſanctæ mulieres, quod Dominus ſemel fuiſſet vnctus, ſed ibant vt procurarent alia aromata, vt denuo vngerent. Ita nos, ſi verè amamus Ieſum, non erimus contenti illo, quod præſtitimus, in ipſius ſeruitio virtutibus huc vſque acquiſitis, verùm conabimur progredi ſemper vlterius de virtute in virtutem.

3. Si volumus cuſtodiri Ieſum, ita vt non tollatur ex anima noſta, ponamus cuſtodiam ad portas noſtrorum ſenſuum, ne per illos mors ingrediatur, & egrediatur ex nobis Chriſtus vita noſtra.

4. Imitemur in benefaciendo diligentiam hominum mundanorum in maleſaciendo: Non ſimus contenti vt præſeruemus nos à peccatis operum, cuſtodiendo ſenſus exteriores; verum etiam obſignemus & cuſtodiamus cor noſtrum à malis cogitationibus & deſiderijs, ſicut Iudæis non ſatis erat apponere cuſtodiam, ſed adiungebant ſigillum ad ſepulchrum Chriſti.

5. Rogemus continuò Chriſtum Dominum noſtrum, vt ſicut ipſe fuit cuſtoditus & obſignatus

gnatus in sepulchro, ita, postquam nos sanctissimi sui nominis impressione signauit, velit vt hoc sacrum sigillum custodiat, & conseruet in nobis semper diuinum amorem, & similiter conseruet nos, in suo perpetuo seruitio. Amen.

MEDITATIO LIII.
DE DESCENSV
AD LIMBVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Descendit primùm in inferiores partes terræ.* Ephes. 4.

II. *Exspolians principatus & potestates, traduxit.*

III. *Palàm triũphans illos in semetipso.* Coloss. 2.

FIGVRA.

MOYSES educens populum Israeliticum ex terra Ægypti, diuisit virga sua mare rubrum. Sicque vniuersus populus sicco vestigio mare pertransijt; Pharao verò, & omnes inimici eorum aquis submersi perierunt. Exo. 14.

PROPHETIÆ.

ET *eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum disrupit, quia* Ps. 106.

contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.

Zach. 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

Osea 13. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.*

DOCVMENTA.

1. CHRISTVS primò descendit è cœlo in partes inferiores terræ, postea ascendit in altum: Ita nos, si volumus cum illo exaltari, necessarium est, vt nos humiliemus & submittamus infra omnes.

2. Si Christus Dominus noster non dedignatus fuit descendere ad partes inferiores, vt liberaret sanctos istos Patres: neque nos debemus dedignari pro auxilio & consolatione proximorum visitare carceres, hospitalia, & agere cum omnibus, etsi sint personæ humiles, pauperes, & viles.

3. Si Christus triumphum retulit de dæmone aduersario nostro, quanto vituperio dignus erit Christianus, & multò magis religiosus, qui cùm à passionibus proprijs vincitur, permittit, vt ille de se triumphet, de quo Christus caput nostrum triumphauit.

4. Tunc ad imitationem Christi de spolijs inimicorum nostrorum triumphamus, quando sensus nostros mortificamus, subijciendo carnẽ spiritui, & similiter religiosi, qui abnegant voluntatem & iudicium, submittendo illud suis superioribus.

5. Late-

5. Latebant sancti Patres in tenebris, sed cum spe desiderioque Saluatoris, idcirco promeruerunt, vt visitarentur & liberarentur. Ita nos cùm versamur in tenebris tentationum, aut desolatione spirituali, non amittamus confidentiam; verùm cum desiderio recurramus ad Christum, & sine dubio ab ipso visitabimur & consolabimur.

6. Supportemus in patientia omnes molestias & miserias, quantumuis magnas in seruitio Dei, seminantes in lachrymis opera nostra: cùm simus certi, quod in alia vita metemus cum exultatione, & colligemus fructum copiosum, sicut Christus recollegit ex passione sua, liberando tot animas cum magna consolatione.

MEDITATIO LIV.

DE CHRISTI RESVRRECTIONE ET APPARITIONE PRIMA MATRI FACTA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Elapso Sabbatho, valde manè, tres Mariæ venerunt ad monimentum portantes aromata.* Mat. 28 Mar. 16. Luc. 24. Ioan. 20

II. *Illis solicitis facto terræ motu, apparuit Angelus, reuoluens lapidem ab ostio monimenti.*

III. *Illis introeuntibus ac stupentibus dixit Angelus: ne timerent ipsæ, IESVM quærentes, qui surrexisset.*

FIGVRÆ.

Ionæ 2. 1. POstquam fuisset Ionas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus, proiectus est in aridam.

Iudic. 16 2. Dormiuit Samson in ciuitate Gaza, & ab inimicis circundatus, inde consurgẽs apprehẽdit ambas portas, & exiuit.

PROPHETIÆ.

Psal. 3. *EGO dormiui, & soporatus sum, & exsurrexi, quia Dominus suscepit me.*

Psal. 15. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, notas mihi feciſti vias vitæ.*

Psal. 29. *Conuertisti planctum meum in gaudium, concidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia.*

Psal. 56. *Exurge gloria mea, exurge psalterium, exurgam diluculo.*

Psal. 70 *Quantas ostendisti mihi tribulationes, multas & malas, & cõuersus viuificasti me, & de abyssi terræ iterum reduxisti me.*

Oseæ 6. *Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.*

Mich. 7. *Ne læteris inimica mea super me, quia tecum consurgam cùm sedero in tenebris.*

DOCVMENTA.

1. TRES illæ sanctæ mulieres licet plurimum dilexerint Dominum, & vngere illius sanctissimum corpus, fuerit opus sum-

summæ caritatis : nihilominus propter obedientiam legis, abstinuerunt à tali opere, die Sabbathi. Ita nos abstinere debemus non solum ab operibus malis, sed sæpe ab iis quæ nobis apparent bona & sancta, si obedientia ob bonum aliquem finem ita iubeat.

2. Si terra ad præsentiam Angeli intremuit, qui venerat annuntiare hominibus noua tantæ consolationis : quantum putamus tremet ad præsentiam Christi, quando totus terribilis venerit iudicare & punire peccatores?

3. Sanctæ mulieres summo mane ibant cum aromatibus ad sepulchrum ; beati illi sunt qui consecrant principium vitæ suæ Christo Domino : incipientes ei deseruire à iuuentute sua. Nam dubio procul tales ipsum inuenient, iuxta illud quod dicitur. *Qui mane vigilant ad me, inuenient me.* Prou. 8.

4. Sanctæ mulieres, interim dum pergerent ad vngendum corpus Domini, inceperunt dubitare; num possent reuoluere lapidem ab ostio monumenti, sed nihilo secius pergentes, inuenerunt reuolutum ab Angelo. Lapis iste, grauitas & difficultas pœnitentiæ est, quam considerantes illi, qui nouiter relinquentes mundum, sequuntur Christum, timent ne non possint perseuerare. Sed non debemus diffidere, nec retrocedere : si enim perseuerauerimus, vt hæ mulieres, Deus submittet gratiam Spiritus sancti de cœlo, quæ reddet iter planum, & faciet suauem & facilem omnem difficultatem.

5. Mulieres euntes ad præstandum hoc sanctum opus, etsi nossent quantus esset lapis, qui occludebat sepulchrum, & quam exiguas ipsi haberent vires, nihilominus confiden-

fidentes Deo, commiserunt se itineri, & appropinquantes cognouerunt lapidem esse reuolutum, & Christum resurrexisse : Ita nos in operibus diuini seruitij, & auxilio proximis impendendo, quamuis maximæ occurrant aduersitates & impedimenta, non debemus absterreri, sed confidentes diuinæ gratiæ: pergere : Deus enim sua ope, dabit nostris conatibus felicem successum, siquidem ad laudem sui nominis fuerint suscepti.

6. Sepulchrum, in quo iacebat corpus Christi, designabat : altare Domini in quo mysterium corporis & sanguinis conficitur. Vnde qui dignè ad hoc accedere desiderant, debent, vt illæ tres sanctæ fœminæ, habere secum aromata odorifera virtutis & suaue vnguentum orationis.

7. Angelus custos sepulchri, suo terribili aspectu exterruit ministros Iudæorum, & blandis verbis sanctas mulieres, quæ quærebant Saluatorem, est consolatus. Ita boni prælati & Sacerdotes, qui sunt Angeli Dei, debent seueritate incutere terrorem obstinatis, & exstinguere peccati venenum, honesta verò & suaui conuersatione, amanter animare pœnitentes, & confirmare bonos in virtute.

8. Interim dum mortuus iaceret in sepulcro Christus Dominus, lapide monumentum erat occlusum, postquam verò resuscitatus est, accessit Angelus & reuoluens lapidem, sedebat supra eum. Oremus Deum, vt postquam exiuimus è sepulchro peccati, ipsius sancta gratia sedeat & contineat sub se petram repugnantis nostræ carnis, quæ dum nos mortui iaceremus in sepulchro, supprimebat, & sub se continebat spiritum nostrum.

9. Christus postquam resuscitatus est, reli-

quit

quit sepulchrum, nec diutius hæsit ibi, vt Angelus dixit mulieribus: Si nos postquam resuscitati fuerimus ad vitam gratiæ, adhuc quæsierimus solatium sensuum, neque vitauerimus occasiones peccati, nondum plenè reliquimus fœtorem sepulchri, nec verè cum Christo resurreximus.

10. Dominus non peruenit ad gloriam resurrectionis suæ, nisi per asperitatem flagellorum, & amaritudinem fellis, & per ignominiam crucis: Ita non existimemus nos peruenturos ad gloriam cœlestis patriæ nisi per huius vitæ tribulationes, & molestias tentationum.

11. Christus resurgens ex mortuis vnà cum sepulchro reliquit conditiones corporis terreni, & sè vestijt dotibus corporis glorioſi, nempe claritate, impassibilitate, agilitate, & subtilitate. Ita nobis si verè cum Christo velimus resurgere, non sufficit reliquisse mundum, & quod simus exuti operibus hominis antiqui, sed debemus vestiri de nouo, nempe Christo Domino, & ipsius glorioſis dotibus, ac primo debemus habere claritatem, hoc est, prælucere proximis exemplo humilis & sanctæ conuersationis. Secundò debemus esse impassibiles, per mortificationem sensuum & affectuum nostrorum. Tertiò debemus esse agiles, id est, prompti & solliciti in operibus diuini seruitij. Vltimò necessaria nobis est subtilitas, imitando puritatē angelicam per munditiam cordis & corporis, & eleuando continuo mentem ad Deum in oratione.

MEDITATIO LV.

CHRISTVS APPARVIT MAGDALENÆ.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mar. 16 Ioan. 20 I. *Alijs digreſſis, Magdalena manens ad ſepulchrum, rogatur ab Angelis. Quid ploret? quibus ait: Quia tulerunt Dominum.*

II. *Conuerſa autẽ vidit* IESVM *(ignorans eum putanſq; eſſe hortulanum ait: Si tu ſuſtuliſti; Dic vbi poſueris, & ego eum tollam.*

III. IESV *dicente: Maria, ait: Rabboni; Sed* IESVS *vetans ne ipſum tangeret, mittit ad Apoſtolos vt nuntiet eis.*

PROPHETIÆ.

Thren. 1 1. IDCIRCO *ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longè factus eſt à me conſolator, conuertens animam meam.*

Cant. 3. *Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quaram quem diligit anima mea, quæſiui illum, & non inueni: inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem.*

tatem. Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.

Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me, inuenient me. Prou. 8.

DOCVMENTA.

1. DIscipuli venerunt videre sepulchrum, verum non permanserunt, idcirco id temporis non meruerunt videre Christum: sed Magdalena, abeuntibus discipulis perseuerauit, vnde digna fuit præ reliquis omnibus primò videre Dominum. Deus non remunerat nostras actiones si in ipsis non perseueremus, quia profectio boni operis perseuerantia est.

2. Maria Magdalena, lachrymis obtinuit omnia quæ voluit, nam flendo impetrauit remissionem peccatorum, fratris resuscitationem, & consolationem, vt videret Christum glorioſum. Ita & nos si cupimus obtinere peccatorum remissionem, spargamus cum Magdalena compunctionis lachrymas; si volumus impetrare auxilium & conuersionem proximorum, spargamus compassionis lachrymas. Denique, si cupimus inueniri digni diuina visitatione & consolatione, profundamus lachrymas deuotionis.

3. Maria interim dum sederet iuxta monumentum, non vidit Dominum, sed quando se inclinauit, & introspexit, vidit Angelos, & paulò post ipsum Dominum. Ita nos quando sedemus in oratione & consi-

deratione vitæ Christi, si non sentiamus consolationem, vt desideraremus, inclinemus nos & prospiciamus in sepulchrum, videlicet considerando nostras imperfectiones, humiliemus nos, & cognoscamus nos esse indignos tali gratia, & Dominus non deerit, sed illicò consolabitur nos.

4. Imò cùm in oratione non inuenimus Christum, hoc est, consolationem spiritualem, non debemus desperare aut desistere, sed perseuerare cum compunctione & desiderio, & recurrere ad auxilium sanctorum, vt fecit Magdalena, quæ Christum non inueniens, non discessit, sed perseuerauit plangendo, desiderando, & rogando, vsq; dum illum inueniret.

5. Magdalena videns se priuatam Christo, plorabat, sedebat, & prospiciebat in monumentum: Ita nos cùm sumus priuati gratia Dei, si volumus eam recuperare, debemus plangere peccata nostra, sedere humiliter considerantes nos ipsos: & sæpius introspicere in sepulchrum, considerando illum, qui pro nobis passus est.

6. Maria interea dum Christus ipsi loqueretur, illum videbat (quia amabat) sed quia non erat perfecta in fide, ipsum non cognoscebat. Ita nos, dum sumus absque peccato mortali, habemus intra nos gratiam Dei, sed multæ imperfectiones, quas cum illius amore commiscemus, sæpe non sinunt nos cognoscere, nec sentire, quo fit vt simus aridi & frigidi in Dei seruitio, absq; vllo gustu spirituali.

7. Magdalena quando cognouit Dominum, accurrit inconsideratè, vt illum amplecteretur, sed ipse eam repulit his verbis: Noli me tangere,

tangere, & subiungens præcepit, vt annunciaret Apostolis resurrectionem suam, vt hinc intelligamus Dominum nobis non dare consolationem, vt in ea indiscretè quæramus nos ipsos, sed vt nos per eam adiuti studeamus etiam iuuare & consolari alios.

8. Maria stabat iuxta sepulchrum & plangebat; Vita animæ sanctæ in hac misera peregrinatione est, semper stare iuxta sepulchrū Christi, considerando illius amarissimam passionem, & deflendo continuò propria peccata propter quæ saluator mortuus est, & tu priuatus es eius dulcissima præsentia.

MEDITATO LVI.

APPARET EVNTIBVS IN EMAVS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Duobus euntibus, ex Hierusalem in Emaus, ac de ipso loquentibus appareret, quærens causam tristitiæ.* Luc. 24

II. *Cleophæ miranti ac multa de passione referenti, ait: O stulti & tardi ad credendum &c.*

III. *Rogatus ab illis, immo coactus, cum illis intrat, atque in fractione panis, agnitus disparet, illis in Hierusalem euntibus.*

FIGV-

FIGVRAE.

Tob. 12. IVnior Tobias ibat peregrè comitatus Angelo Raphaele, quem non cognoscebat, tandem cum Angelus ipsi & suis dedisset multa bona documenta, disparuit ex oculis eorum.

3. Reg. 14. Ionathæ filio Regis Saul, postquam gustasset de fauo mellis, fuerunt oculi illuminati.

PROPHETIÆ.

Eze. 34. *DIsperſæ ſunt oues meæ, eo quod non eſſet paſtor.*

Ibidem *Viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerant in die nubis & caliginis.*

Iob. 4. *Vacillantes confirmauerunt ſermones tui, & genua trementia confortaſti.*

DOCVMENTA.

1. ISti duo diſcipuli priuati Domino, diſceſſerunt Hieroſolyma, quæ interpretatur viſio pacis, & toti dubii & mœſti deſcenderunt in Emaus, quod interpretatur populus abiectus. Væ illi animæ, quæ ſua culpa perdit Chriſtum, & priuatur ipſius gratia, quia ſubitò perdit interiorem pacem, & tota plena tenebris & inquietudine, ex anima electa, fit reproba & abiecta.

2. Non legitur in ſcriptura, quod Dominus appa-

apparuerit Matri suæ , sed solùm illis qui adhuc erant imperfecti, & dubii in fide, quales fuerunt Apostoli, & particulariter Petrus, Thomas, Magdalena, & illi duo discipuli; vt daret exemplum prælatis & pastoribus animarum, qui debent peculiariter vigilare & attendere istis ouibus, quæ magis sunt expositæ periculo perditionis & infernali lupo, vnde has peculiari sollicitudine debent visitare, adiuuare, & consolari.

3. Christus vniuersorum Dominus, non dedignatur ambulare in habitu peregrini, vt inueniat & consoletur hos discipulos, etiamsi essent inferiores, & minores reliquis, vt pudorem nobis incutiat qui erubescimus agere cum personis humilibus & abiectis, sed volumus videri agere cum honoratis.

4. Quando præoccupamur ab aliqua tristitia & spirituali tædio, aut animo perplexi sumus spiritualiter, optimum remedium est, loqui, aut legere, aut cogitare aliquid de Deo instar illorum discipulorum, qui cùm essent dolentes, & dubii ob mortem Christi, loquendo de ipso, sunt illuminati, & receperunt consolationem.

5. Isti duo discipuli, etiamsi essent adhuc carnales, & vacillarent in fide, nihilominus cùm de Christo loquerētur, meruerunt illum habere socium: Adeò res bona & vtilis est, cogitare & loqui de Deo, vt etiamsi simus imperfecti, non dedignetur venire & stare in medio nostri, secūdum promissionem factam, vbicunque fuerint duo, vel tres congregati in nomine suo, se in medio eorum futurum.

6. Si fuit necessarium Christum pati, & per portam angustam passionis intrare in gloriam suam, quomodo cogitamus nos intraturos, o-

nustos:

onustos peccatis, si in hoc mundo nihil volumus pati. Stulti igitur sunt illi, qui absque tribulatione & multa patientia putant se intraturos gloriam alienam, cùm CHRISTVS sine passione nequiuerit intrare in propriam.

7. Appropinquantes castello, ad quod ibant finxit Christus se longius ire & velle deserere discipulos: Aliquando Dominus fingit, quando sumus oppressi aliqua tribulatione aut tentatione, quasi se à nobis subducat & deserat, non quòd verè velit nos deserere, sed vt probet nostram constantiam, & vt plus accendat in nobis desiderium, vt videlicet ad imitationem istorum discipulorum, nostris precibus ipsum cogamus ad præstandum nobis auxilium & consolationem.

8. Discipuli cogebant Dominum quem existimabant peregrinum, vt maneret & cœnaret cum illis: Ita nobis non est expectandum, donec rogemur à pauperibus & peregrinis, sed debemus illos orare & cogere, vt recipiant à
Act. 19. nobis caritatem, quia maius beneficium recipit, qui facit opus caritatis, quàm is cui impenditur.

9. Discipuli interea dum audirent Dominum explicantem Scripturas, non fuerunt illuminati, sed quàm primum fecerunt illum discumbere, & dederunt illi cœnam, aperti sunt ipsis oculi, & eum cognouerunt: Quia non illi qui audiunt legem, sed qui opere exequuntur, iustificantur & multo maiorem Dei cognitionem assequimur in exercitio operum caritatis, quàm multa auscultatione, lectione, aut disputatione diuinarum scripturarum.

10. Chri-

10. Christus non solùm vult desiderari & rogari à nobis, sed cogi; non existimemus nos vnquam consecuturos aliquam virtutem aut perfectionem solùm desiderando aut petendo illam à Deo, si non coniungamus etiam coactionem, pugnando viriliter contra difficultates, quæ occurrunt, quia scriptum est, quod regnum Dei vim patiatur, & quod violenti illud rapiant. *Mat. 11.*

11. Christus etiamsi secundum carnem ascendisset ad altiorem & glorioſum statum, retinuit tamen primam humilitatem, & mansuetudinem, non dedignans agere & instruere istos duos discipulos, etsi aliis essent inferiores: Ita illi qui euehuntur ad dignitates & statum altum, non debent dedignari agere cum pauperibus & humilibus in ipsorum necessitatibus. Similiter concionatores non debent intermittere, quin instruant sua doctrina auditores, etsi sint pauci & vilis conditionis.

MEDITATIO LVII.

APPARET SIMVL CONGREGATIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Discipuli omnes præter Thomam domi congregati erant, propter Iudæorum metum.* *Luc. 24. Ioan. 20*

II. *Ingres-*

II. *Ingressus ianuis clausis Christus: stetit in medio, & dixit pax vobis.*

III. *Spiritum sanctum eis dedit, ad scripturam intelligendam & remittenda peccata.*

FIGVRA.

Gen. 45. IOsephus Patriarcha, manifestans se fratribus suis in AEgypto, cum illi starent attoniti, & perculsi timore, dixit: Ego sum frater vester Ioseph, nolite timere; & amplexatus ac exosculatus est eos magno amore.

Tob. 12. Angelus Raphael aperiens se Tobiæ & filio eius, cum ipsi essent omnino perturbati, dixit: Pax sit vobis, nolite timere.

PROPHETIAE.

Eze. 34. *EGo ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum.*

DOCVMENTA.

1. CVm Apostoli essent simul congregati, ob timorem ianuis & fenestris clausis, venit Christus, & stetit in medio illorum. Si volumus, vt Dominus sua gratia sit inter nos, debemus primò habere ipsius sanctum timorem, de quo est scriptum, quod

quod timor Domini expellat peccatum. Secundò debemus esse vniti vinculo caritatis cum nostris proximis. Nam Apostolus ait, *Habete pacem ad inuicem, vt Deus pacis sit vobiscũ*. Tertiò debemus esse collecti, & obserare portas sensuum nostrorũ, Nam scriptum est, quod mors intret per fenestras.

2. Dominus apparuit Apostolis vesperi; per vesperam intelligitur finis & perfectio operis, vt intelligamus quod se non ostendat perfectæ animę in principio, quando incipit bene agere, sed in fine quando perseuerauerit vsque ad extremum, tunc illam reddit dignam beatifica visione.

3. Dominus dedit pacem suis discipulis; Quãdo in nobis sentimus aliquem remorsum, nec habemus illam pacem conscientiæ quam desideraremus, est signum quod non seruiamus Christo ex fidelitate & puritate, qua conuenit; simus ergo veri discipuli Christi, & pax eius erit nobiscum.

4. Cum Christus vellet vt discipuli cognoscerent, quod ipse verè esset Dominus, monstrauit illis manus, pedes & latus. Ex quo intelligimus, quod sit efficaciſsimũ mediũ, ad imprimendum in animam aliquam cognitionem & amorem Christi, si consideremus quantum egerit & passus sit pro nobis.

5. Cum discipuli adhuc essent timidi, & tardi ad credendam veritatem resurrectionis, Dominus priusquam illis loqueretur de alijs rebus, familiariter cum illis sumpsit cibum, dans nobis in hoc exemplum, vt quando volumus adiuuare peccatores, curemus prius, vt eos attrahamus beneuola & benigna conuersatione, condescendendo illis in nonnullis

nullis, quibus licet, ob eorum infirmitatem, & (vt solet dici) debemus intrare cum eo quod est illorum; exire autem cum nostro.

6. Apostoli offerebant Christo piscem assum & fauum mellis. Si volumus esse instar grati cibi ori Christi Domini nostri, simus assi pisces per mortificationem carnis, & fauus mellis per deuotionem mentis.

7. Postquam Apostoli vnà cum Christo cibum sumpsissent, aperuit illis sensum, & declarauit scripturas; quæ erant de ipso, vnde illi dubio procul magna voluptate repleti sunt: Tunc anima est perfectè illuminata, & capax diuinorum secretorum effecta, quin imo repleta spirituali consolatione, quando dignè accedens ad mensam Christi, pascitur ab ipso pretioso corpore & sanguine spõsi sui.

8. *Sicut misit me viuens Pater, ita ego mitto vos*, dicebat Dominus ad Apostolos, Pater non misit Filium in hunc mundum vt regnaret; sed vt pateretur & portaret crucem pro nobis: Ita Christianus, & multo magis Religiosus; non existimet se vocatum ad quietem & gaudia huius mundi: sed ad magnos labores, & dura quælibet pro Christo perpetienda.

9. Christus dedit Apostolis potestatem remittendi peccata dicens fore, vt quorum peccata ipsi remisissent in terra, in cœlo remissa essent. O quam bonus & suauis est Dominus, quandoquidem non vult instituere de nobis aliud iudicium in cœlo, quam illud ipsum, quod nos ipsi instituimus in terra! Si igitur peccata nostra horremus, & cupi-

mus

mus fugere iudicium Dei, non debemus reformidare iudicium illorum, qui sunt æquè infirmi & peccatores, vt nosipsi.

MEDITATIO LVIII.

APPARET DISCIPVLIS PRÆSENTE THOMA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Thomas cum apparitioni prædictæ nō interfuisset, protestatus erat:* nisi videro &c. Ioan. 20.

II. *Post dies 8. iterum clausis ianuis obtulit se videndū Christus, & Thomæ dixit:* infer digitum tuum huc &c.

III. *Exclamauit Thomas:* Dominus meus &c. *cui subintulit Christus:* Beati qui non viderunt &c.

PROPHETIÆ.

IN die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis, & non sum deceptus. Psal 76.

Vias eius vidi, & sanaui eū & reduxi, & reddidi consolationes ipsi, & lugentibus eius. Psa. 57.

Cum reciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam. Psal. 36.

DOCVMENTA.

1. THomas quia abfuit ab ea domo, in qua erāt Apoſtoli, non potuit videre Chriſtum rediuiuum. Deus ſolet multas conſolationes & ſpiritualia dona impertiri ijs, qui vnà viuunt in domo ſanctæ religionis, quibus priuantur illi, qui foris ſunt.

2. Illi nolunt credere ad exemplum Thomæ, niſi videant & tangant, qui tam diu bene viuunt, & Deo ſeruiunt, quamdiu illis concedit proſperitatem, & bona huius vitæ. Similiter religioſi, qui in operibus diuini ſeruitii tamdiu ſe fatigant, & ſunt diligentes, dum Dominus illis dat guſtum & dulcedinem ſpiritualem, quæ ſi deficiat, etiam ipſi fatigantur & tepeſcunt.

3. Chriſtus primò apparuit omnibus diſcipulis ſimul, ſed quia Thomas non erat cum illis, apparuit denuò propter ipſum ſolum; Idipſum paſtoribus animarum & prædicatoribus agendum, ne exiſtiment laborem ſuum eſſe malè poſitum, etiamſi non adiuuent niſi vnicam animam, cum Dominus ita ſit mortuus pro vno, ſicut pro omnibus, & eundem laborem ſuſceperit vt iuuaret vnum Apoſtolum, quàm anteà pro omnibus ſubiiſſet.

4. Thomas interim dum eſſet foris, ſeparatus ab aliis Apoſtolis, fuit afflictus tentatione: ſed rediens & manens cum illis, in eadem domo clauſis oſtiis meruit viſitari à Chriſto: Ita quando obruimur aliqua tentatione, interim dum vagamur per occaſiones, & non cuſtodimus cor ac ſenſus noſtros, nec ad illos qui nobis poſſunt dare conſilium, fugimus, non cogitemus nos vnquam adiuuandos, aut conſolationem percepturos à Domino.

5. Tunc

5. Tunc Thomas factus est fidelis, & confessus est Christum, quando misit manum & tetigit latus eius: Ita nunquam fides erit perfecta, si non opere compleamus id quòd mente credimus.

6. *Quia me vidisti*, dicit Christus Thomæ, *credidisti, beati illi qui non viderunt, & crediderunt.* Illi facile seruiunt Christo, quibus ipse dat consolationes spirituales; at seruire ei sine consolatione, vt est res maioris difficultatis, ita etiam est maioris meriti, & beatitudinis in cœlo amplioris.

7. In vitæ exordio, Christus veniens in mundum pacem attulit; sicut dixit Angelus pastoribus; in exitu item, iam, iamq; à nobis abiturus nobis pacem reliquit, vt intelligeremus totam vitam & perfectionem hominis Christiani, in pace & charitate consistere. Luc. 2.

MEDITATIO LIX.

APPARET DISCIPVLIS DVM PISCANTVR.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Palam se denuò fecit Christus piscantibus septem discipulis tota nocte frustra.* Ioan. 21.

II. *Per miraculum agnoscens eum Ioannes, ait Petro:* Dominus est, &c.

Q *qui con-*

qui confestim desiliens in mare, ad Christum accessit.

III. *Dedit eis, vt comederent panem & piscem.* Postea Petro, *an se diligeret, ter interrogando, suum ouile commendauit:* Pasce oues meas &c.

PROPHETIA.

Ezec. 47 *Aqua autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris,* (de quibus aquis paulo inferius subiungit) *& erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur & viuent omnia, ad quæ venerit torrens. Et stabunt super illa piscatores, ab Engaddi vsque ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium eius sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ.*

DOCVMENTA.

1. PEtrus postquam fuisset vocatus ad Apostolatum redijt ad artem piscandi: sed non & Matthæus ad telonium. Ex quo discamus licet eas artes, quæ in mundo non possunt exerceri absque peccato, post conuersionem, à nemine exercendas; illas vero, quas licite exercet quispiam in sæculo, potest etiam in religione licitè & cum merito exercere.

2. Di-

2. Discipuli piscantes noctu, nihil ceperunt. Illi nocte piscantur, & nihil capiunt, qui opera bona exercent in statu peccati mortalis, nam illa opera quantacunq; sint, non merentur præmium vitæ æternæ. Præterea illi nocte piscantur, & sine fructu, qui impendunt suos labores, & totam vitam in famulatu mundi.

3. Christo roganti an haberent aliquem piscem quem comederet, responderunt Apostoli: non. Cibus quem Dominus à nobis petit, est obedientia suorum mandatorum, quibus omnes obligamur, quem cibum non habent, nec Christo dare possunt, qui piscantur in nocte peccati, sed illi soli qui piscantur in luce gratiæ.

4. Cum Apostoli laborassent tota nocte frustra, tandem mittentes rete in eam partem quam CHRISTVS indicabat, ceperunt magnam multitudinem piscium. Mirabilis est obedientiæ vis, quippe quæ efficiat, vt opera, quæ à nobis facta sunt propria voluntate parum aut nihil mereantur, quæ vero ex obedientia, sint inæstimabilis meriti.

5. Per Apostolos piscantes significantur Prædicatores: rete est verbum Dei, pisces sunt peccatores: dextrum latus, est pars spiritualis, sinistrum autem temporalis. Illi ergo, qui prædicant verbum Dei, vt placeant hominibus, & qui quærunt propriam gloriam & aliquod commodum temporale piscantur ad latus sinistrum, & ideo nullum faciunt fructum, sed illi qui suis concionibus & laboribus propositam solam habent gloriam Dei, & salutem animarum, reportant fructum copiosum.

6. Ioannes primus omnium cognouit Christum, & dixit Petro, *Dominus est.* Illi habent maius lumen, & sunt capaciores cognitionis diuinæ, & rerum spiritualium, qui sunt similes Ioanni, corde scilicet puri, & corpore casti, & incorrupti.

7. Petrus, subitò vt cognouit quia Dominus est, misit se in mare: Anima quando non cognoscit aut sapit Deum, amat seipsam, & fugit passionem, sed quàm primum aduertit, & gustat quàm suauis sit Dominus, in mare tribulationis se coniicit, & desiderat pati & multum laborare ob amorem Dei.

8. Christus non inuitauit Apostolos ad prandium, postquam noctu sine vllo fructu fuissent fatigati; sed cum ipsius dicto obedientes cepissent multos pisces. Dominus non remunerat omnes labores, quos subimus in hoc mundo, sed illos solum, quos ex ipsius obedientia & amore suscipimus.

9. Dominus postquam hi septem discipuli essent piscati, secundum ipsius præscriptum, vocat eos ad prandium, quod ipse parauerat, vt significaret, quod post resurrectionem, illi sint vocandi, & recipiendi ad cœleste conuiuium, qui pleni septiformi gratia Spiritus sancti, fuerint sæpius in diuino seruitio fatigati.

MEDITATIO LX.

APPARET DISCIPVLIS IN MONTE THABOR.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mar. 16 I. *Ex mandato Domini abeunt discipuli in*

in Galilæam, ad montem Thabor. Mat. 28

II. *Is apparens ille; inquit:* data est mihi omnis potestas. *&c.*

III. *Mittens eos ad prædicandum per vniuersum orbem, sic mandauit:* Eũtes ergo, docete omnes gentes *&c.*

FIGVRÆ.

CVm Moyses ascendisset in montem, prout Deus illi præscripserat, vidit ibi, & locutus est cum Deo, qui illi præcepit, vt fabricaretur sanctuarium, in quo promisit, se habitaturum in medio populi sui, & dedit illi multa præcepta, quæ Moyses ipse Dei iussu populo seruanda proponeret. Exo. 24. & 25.

Præcipiens Dominus Iosue, vt iret ad occupandam terram promissionis, confortauit illum dicens: Se cum eo in omnibus rebus futurum. Iosue 1.

PROPHETIÆ.

ET *potestates eius à mari vsq; ad mare & à fluminibus vsque ad fines terræ.* Zach. 9.

Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. Psal. 2.

Ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero, & conuertam Iere. 23.

eos ad rura sua, & crescent, & multiplicabuntur, & suscitabo super eos pastores & pascent eos.

Ier. 16. *Et post hæc mittam eis venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.*

Isa. 66. *Mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tenentes sagittam: in Italiam & Græciam ad insulas longè & annunciabunt gloriam meam gentibus.*

Ierem. 3. *Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.*

DOCVMENTA.

1. CHristus, Apostolis dum ad montem ab ipso præscriptum veniissent, apparuit. ibique eos in sacrosanctis fidei mysterijs instruxit: Dominus etiamsi multis aliis soleat impertiri consolationes spirituales; nihilominus illos, qui ascendunt in montem perfectionis, & illi seruiunt in statu religioso, magis visitat, & quasi amicos intimos, magis efficit cælestium suorum secretorum participes.

2. Illi data est omnis potestas in cælo & in terra, qui eò vsque se humiliarat, vt se omnibus, non hominibus tantùm, sed ipsis etiam potestasibus tenebrarum subijceret. Itaque nos, quanto plus nos ipsos humiliauerimus & submiserimus omnibus; tanto ampliori à Christo Domino, gloria & dignitate præ cæteris euehemur.

3. Man-

3. Mandauit Christus Apostolis, vt non solum baptizarent eos, qui in ipsum erant credituri, sed etiam vt docerent eos obseruare, omnia illa, quæ ipse ijs præceperat. Non sufficit ad salutem tantùm in Christum credere & baptizari: sed opus est, vt fidei coniungamus opera, obseruando omnia illa mandata, quæ per Apostolos nobis reliquit.

4. *Qui crediderit & baptizatus fuerit*, dicit Saluator, *saluus erit*. Tunc credendo saluabimur, cùm ea obseruauerimus, quæ in baptismo promisimus, & nostris operibus non contradixerimus illis, quæ credimus cùm illi non verè credere putandi sint, qui factis contraria ostendunt, ijs quæ credunt; de quibus dicit Apostolus. *Qui confitentur se nosse* DEVM, *factis autem negant.* Ad Tit. 3

5. Dicit Christus: *signa eos qui crediderint hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, &c.* illud demum verum est veri amoris & perfectæ in Christum fidei argumentum, si zelum proximos nostris iuuandi habeamus; si Sacerdotes remittendo peccata eijciant dæmonia, quæ animas inhabitabant; si nostræ linguæ, relinquentes verba mundana, loquantur noua ad laudem Dei, ac in bonum proximi exemplum, si nostris monitionibus tollamus malitiam & inimicitias è cordibus aliorum, si videntes proximos nostros infirmos, & vacillantes in via virtutis, monitis, & bono exemplo eos confirmemus, & ad eadem colendam excitemus.

6. Christus promisit, sese nobiscum semper

manſurum, *vsq; ad conſummationem ſæculi.* Erigendus itaque nobis eſt animus & fiducia in Deum obfirmandus aduerſus omnes tentationes, vexationes & labores, hac præcipuè cogitatione, quod is cuius amore omnia ſuſcipimus; ac toleramus, & auxilio & præſentia nobis aſſiſtet.

7. Fidem eorum qui in ipſum eſſent credituri, Chriſtus miraculis demonſtrandam confirmauit: nos itaque & ſi miracula exteriora non operemur (vt primis illis Chriſtianis contigit) non eſt magnoperè curandum, quia iſta poſſunt quidem aliquando eſſe ſigna ſanctitatis, ſed eam tamen homini non conferunt. Studeamus potius facere miracula ſpiritualia pietatis & charitatis, quæ eò magis ſunt ſecura, & maioris meriti apud Deum, quò occultiora ſunt & ab oculis hominum magis remota.

MEDITATIO LXI.

DE ASCENSIONE CHRISTI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mar. 16. *Luc.* 24. *Act.* 1. I. *Poſtquam per 40. dies Chriſtus apparuerat diſcipulis, miſit eos Hieroſolymam, vt ibi ſpiritum S. expectarent.*

II. *Eduxit eos ad Oliueti montem*: Et videntibus illis eleuatus eſt, &c.

III. *Iiſ-*

III. *Iisdem in cœlum aspicientibus dictum est ab Angelis* viri Galilæi quid statis *&c.*

FIGVRÆ.

ENoch, homo iustus, fuit à Deo translatus, nec amplius apparuit super terram. *Gen. 5.*

Elias dum loqueretur cum suo discipulo Eliseo, in curru igneo assumptus est. *4. Reg. 2.*

Arca fœderis fuit in templum Domini, à Salomone magna pompa & solemnitate, vniuersoque populo comitante introducta. *3. Reg. 8.*

PROPHETIAE.

SIcut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas. *Deut. 32.*

Ascendet enim pandens iter ante eos,

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ! *Mich. 2. Isa. 63.*

Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. *Psal. 23.*

Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. *Psal. 46.*

Psal. 17. *Ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorum.*

Psal. 67. *Ascendisti in altum, cœpisti captiuitatem.*

Ibidem. *Psallite Deo, qui ascendit super calum cali ad Orientem.*

Psa. 18. *A summo calo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum.*

Dan. 7. *Aspiciebam ego in visione noctis, & ecce in nubibus cali, quasi filius hominis veniebat; & vsque ad Antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem & regnum.*

DOCVMENTA.

1. CHristus se vi propria in altum eleuãs, ascendit in cælum, in præsentia suorum discipulorum. Ita qui alijs præfuit, vt superiores & pastores, se ipsos attollere, in præsentia subditorum bona vita & cælesti conuersatione debent, eousque excitare bono exemplo, ad auocandum animum à rebus terrenis, & eleuandum ad acquirendam virtutem.

2. Si Christus caput nostrum ascendit in cœlos, & vbi fuerit caput, ibidem & membra ipsa adesse conueniat; debemus item & nos sperare tandem aliquando ascensuros in cœlum, vbi est caput nostrum, si tamen ad ipsius vitam confirmantes nostram, digna & viua huius capitis membra inueniamur.

3. Chri-

3. Christus primo euocauit discipulos ex ciuitate, deinde deduxit in Bethaniam, post hæc illis benedixit, & nouissimè conscendit in cœlum: Ita in conuersione peccatoris, Dominus primo omnium extrahit illum ex peccato. Secundo ducit illum in Bethaniam, id est, in domũ obediẽtiæ, vt obediat præceptis eius. Tertiò illi benedicit, implendo eum sua gratia. Quarto ascendit, hoc est, facit eum conscendere apicem virtutis & perfectionis christianæ.

4. Christus, qui in sua natiuitate exinaniuit semetipsum, & se fecit inferiorem non solum Angelis, sed etiam hominibus, *formam serui accipiens*, meruit in sua ascensione euehi supra omnem creaturam humanam & Angelicam: ita nos, si cum voluptate desideremus exaltari cum CHRISTO, non subterfugiamus humiliari in hoc mundo, & deprimi eius exemplo infra omnes. *Phil. 2.*

5. Dixerunt Angeli, quod, *sicut Iesus ascendit, ita veniet*, Dominus ascendit beneuolus, sed veniet terribilis, & illius, quod in suo abitu nobis benignè commendauit, in reditu cum seueritate, rationem exiget. Quare non negligamus tempus nobis concessum ad pœnitentiam, quandoquidem eò maiori austeritate redibit ad iudicandum, quo diutius & patientius exspectarit.

9. Apostoli, postquam ab ijs discessisset Christus, non solum tristiores non sunt redditi, sed etiam pleni gaudio redierunt Hierosolymam: Qui nimium turbantur, cum Dominus se paululum illis subtrahit, auferendo spirituales consolationes, seipsos verius quam Christum amare demonstrant.

Verus amator est fortis & constans, neque consolationibus extollitur, neque desolatione deprimitur, sciens nec fieri merito suo cum visitatur à Domino: nec se reijci, cum sese Dominus paululum ab eo subtraxerit.

7. Postquam redemptor noster ascenderit in cœlum, sequamur ipsum desiderio, & eo scandamus corde, quo credimus ipsum corpore conscendisse. Fugiamus omnia mundana desideria, neque nos quicquam afficiat amplius super terram, cum habeamus Patrem in cœlis.

MEDITATIO LXII.

DE MISSIONE SPIRITUS SANCTI.

PUNCTA MEDITATIONIS.

Act. 2. I. *Discipulis in eodem loco, congregatis, factus est sonus spiritus vehementis, & repleuit totam domum.*

II. *Apparuerunt dispartitæ linguæ tanquam ignis, sedit q3 supra singulos eorum.*

III. *Repleti omnes spiritu S. cœperunc loqui? prout spiritus dabat eloqui illis.*

EIG-

FIGVRÆ.

ELAPSIS quinquaginta diebus à liberatione populi Israel ex Ægypti seruitute, Deus dedit legem in monte Sinai cum fulgure, tonitru & flammis igneis. *Exod. 19.*

Cum Ioseph Patriarcha esset eleuatus à Pharaone, & constitutus Dominus totius Ægypti, dedit multa dona, & diuitias fratribus suis. *Gen. 45.*

Cum Helias Propheta assumptus esset curru igneo in cœlum, permisit pallium suum supra discipulum suum Hælisæum ex alto decidere, super quem etiam spiritus illius requieuit. *4. Reg. 2.*

PROPHETIÆ.

ASCENDISTI in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. *Psal. 67*

Et erit posthæc effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ. *Ioel. 2.*

Sed & super seruos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. *Ibidem.*

Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. *Isai. 44.*

Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum nouum ponam in medio vestri. *Ezec. 36*

Ioel. 2. *Filij Sion exultate & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum.*

Hier. 31. *Post dies illos dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.*

Zac. 12. *In die illa effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ & precum.*

DOCVMENTA.

1. QVAMVIS Christus Dominus, se Spiritum sanctum missurum post suam in cœlos ascensionem Apostolis promisisset, ipsique tantum donum studiosissimè & ardentissime expectarent; nihilo tamen minus decem ipsos dies distulit, antequam mitteret. Idipsum non raro etiamnum euenit, vt quamuis Dominus se nobis in necessitatibus nostris affuturum promiserit, nosque ipsi magno studio & precibus efflagitemus; ille tamen differre auxilium paulo diutius soleat, non quod adesse nolit, sed vt hæc mora, desiderium augeat, nosque ipsi in oratione persistentes, tanto paratiores ad recipienda tantæ maiestatis charismata inueniamur.

2. Spiritus sanctus in Apostolos ex Christi præcepto, Hierosolymis congregatos descendit. Nobis item, si Spiritum sanctum recipere desideramus, in vna Ecclesia Catholica & Apostolica permanendum est, extra quam nec Spiritus sanctus datur. & vero si quis illum in hac acceperit, ab eadem separatus, protinus amittit.

3. Spi-

3. Spiritus sanctus venit instar venti repentini & vehementis in discipulos descendens. Solet ventus omnia subitò, & vehementer impellere, in quamcunque partem se dederit. Hinc fit, vt si in officijs virtutum, & charitatis præcipuè, segnes simus, & languidi; tanquam signo certissimo possimus colligere, Spiritum sanctum nondum sibi in anima nostra fixisse hospitium. Quoniam, vt rectè inquit D. Ambrosius. *Nescit tarda molimenta Spiritus sancti gratia.*

4. *Sedit super singulos Apostolos Spiritus sanctus in linguis igneis.* Tum demum mundus spiritum Dei in nobis habitare cognoscet, si linguæ nostræ verba ignea, amorem in Deum & charitatem aduersus proximum spirantia pronuntient.

5. Accepto Spiritu sancto Apostoli, *cœperunt loqui prout Spiritus dabat eloqui illis.* *Mat.12. Luc.6.* Ex sermone & colloquijs cuiusque, quis in eo spiritus sit, cognoscitur. Quoniã si Iesu Christi Spiritum habeamus, quæ casta sunt, quæ sancta sunt, quæ Christiana sunt, proloquimur; dicente Domino; quod *Bonus homo de thesauro cordis sui bono proferat bona, malus autem de malo thesauro proferat mala:* Et quod *ex abundantia cordis os loquatur.* *Ibidem.* Nos itaque si quicquam loqui præter vana aut mala nesciamus; ex hoc velut certissimo signo discamus, nihil in animo nostro boni inesse; nec à bono & solutari spiritu vitam nostrã duci ac gubernari, colligamus.

6. Duobus diuersis temporibus Spiritum suum Dominus Apostolis impertiuit, idq; factũ, vt mundũ in duobus charitatis præceptis instruc-

instrueret. Primùm dedit illum adhuc in terris agens; vt proximum diligeremus. Eundem iterum post suum in cœlos ascensum dedit, vt Deum amaremus. Prius verò ad amorem proximi nos informauit, eò quòd per illum ad amorem Dei conscendamus, siquidem iuxta
1. Ioan. 4 dictum Apostoli: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt; Deum quem non videt, quomodo poterit diligere?*

7. Repleti Spiritu sancto Apostoli non iam amplius se domesticis parietibus, clausis ianuis tenuerunt, sed foras prodeuntes, tanquam fidi & imperterriti Euangelij præcones Christum annuntiare, & vitam salutis populo ostẽdere cœperunt. Nobis pariter Dominus sua dona non eo impertitur, vt ea abdita & otiosa teneamus, aut iis ipsis ad animi delectationem & voluptatem perfruamur; sed vt ea in auxilium & salutem proximorum cum fœnore impendamus.

8. Spiritus sanctus Apostolos largissimè repleuit, quod eos ab omni alia re vacuos inuenerit. Tum demũ humanus animus Dei capax est, si à seipso, id est, amore & iudicio proprio vacuus & dispoliatus fuerit. Quamdiu enim in nobis ipsis aliquid nostri supereſt, tamdiu ad Deum recipiendum iudicamur indigni.

FINIS TERTIÆ PARTIS.

PARS

PARS QVARTA.

MEDITATIONES QVAEDAM DE B. VIRGINE ET DE COMMVNI SANCTORVM.

MEDITATIO I.

DE CONCEPTIONE BEATÆ VIRGINIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. DOMINVS *possedit me in initio viarum suarum, &c. ab æterno ordinata sum.* Prou. 8.

II. *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.*

III. *Nunc ergo, filij, audite me: Beati, qui custodiunt vias meas, & vigilant ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à* DOMINO.

FIGVRÆ.

1. DEVS in lege mandauit arcam testamenti fabricari ex lignis incorruptibilibus, intusq; & foris tegi auro purissimo. *Exod. 25*

2. Salo-

3. Re. 10 2. Salomon construxit thronum grandem, & regium, in quo sederet, ex ebore candidissimo, eumque vestiuit auro purissimo fuluo nimis: de quo throno testatur Scriptura in nullo mundi regno tale opus esse fabricatum.

PROPHETIAE.

Prou. 9. *SAPIENTIA ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.*

Psal 45. 2. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.*

Psal 95. 3. *Domum tuã decet sanctitudo Domine.*

Cant. 4. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

DOCVMENTA.

Prou. 8. 1. *DOMINVS possedit me in initio viarum suarum.* Deus, quia noster creator est, simul legitimus Dominus & possessor noster est. Et tunc perfectè nos possidet, quando nos diuinis eius mandatis obsequimur, & in omnibus sanctam eius voluntatem præstamus. Vnde peccatores, qui præcepta Dei non obseruant, sed voluntatem diaboli faciunt, & parent legibus mundi, potius ab ipso diabolo, quã à Deo possidentur. Itaque ô homo peccator, si tanta commiseratione moueris, dum vides corpus hominis à maligno spiritu obsessum tam diro cruciatu exagitari, habeas quoque commiserationem, oro, animæ tuæ, quæ à tot dæmonibus possidetur, quot peccatis mortalibus illam inquinasti.

2. Bea-

2. Beatissima Virgo, quia semper à Deo possessa est, semper pacem cum eius maiestate habuit, & contra, perpetuam inimicitiam cũ dæmone. Hæc sunt signa, ex quibus homo potest cognoscere, sitne anima sua à Deo possessa, an à dæmone? qui enim Domino alicui seruit, necesse est, vt illum beneuolum habeat, eiq; obsequatur vel formidine pœnæ, vel virtutis amore. Quare quando quis sentit pium affectum erga Deum creatorem suum, cum desiderio illi placendi atque in omnibus rebus voluntatem eius præstandi, cum delectatur cogitationibus, colloquiisque diuinis, seque libenter occupat in rebus, quas nouit Deo gratas, quando conatur perturbationes animi sui coercere, & tentationibus resistere, hæc manifesta signa sunt eius animam à Deo possideri & inhabitari. Contrà, quando quis magnam voluptatem capit ex rebus huius mundi, dignitatibus, delitijs & vanitatibus, quando sæpe de eiusmodi cogitat, loquitur, magnoque studio & sollicitudine illa sectatur & desiderat: sermones verò de rebus diuinis, ad salutem animæ spectantibus audit cum mœrore & amaritudine conscientiæ, hæc signa sunt & indicia clara, talem possideri & regi non à Deo, sed à principe huius sæculi, id est, dæmone.

3. *Ab æterno ordinata sum*, & electa à Domino. Si Deus ante res omnes elegit & prædestinauit Matrem suam ad tantam gloriæ dignitatem, ornando eam ijs dotibus & priuilegijs, quibus nulla vnquam creatura cohonestata fuit; quid aliud inde colligimus, quàm omnes homines debere eam post Deum supra omnes alios sanctos colere & honorare,

suam-

suamque deuotionem erga illam peculiariter declarare, & inter reliquos sanctos in singularem aduocatã assumere, ac ad eam in omnibus tam corporalibus, quàm spiritualibus necessitatibus confugere?

4. Scriptum est Dominum de hac sua sanctissima Matre dixisse. *In Israel hareditare, & in electis meis mitte radices.* Hoc vnum è certioribus electionis, & prædestinationis diuinæ signis est, voluptatem aliquam ex dulcissimis hisce radicibus capere, hoc est, particularem erga beatissimam Virginem deuotionis affectum habere, eam studio, quoad fieri potest, colere & venerari, virgineasque eius virtutes, ac præcipuè humilitatem, puritatem, charitatem & obedientiam imitari; secundum illud dictum sapientiæ in persona eius expressum. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

Eccl. 24

Ibid.

5. Si Deus ab omni æternitate sua elegit & præparauit matrem suam cum tantis dotibus & priuilegijs, & speciatim tam excellenti puritate, quanta nulli vnquam concessa est: concepta enim est sine vlla peccati macula; & à condito mundo vsque ad eius conceptionem tot figuris & vaticinijs eam adumbrauit, & prænunciauit, idque eo solùm, quod receptura & corporaliter deportatura esset in vtero vnigenitum eius filium: quanta præparatione & puritate opus erit illis, qui sanctissimi Sacramenti beneficio in animis suis recepturi sunt illum ipsum Dei filium, qui descendit in vterum Virginis? Quàm mundum conuenit esse os illud, in quod ingreditur Deus, quàm purum cor & animam illam, in qua ipse Deus habitabit? Et si hæc puritas omnibus est necessa-

ceſſaria, quanto magis Sacerdotibus Domini, qui non ſolum Deum in ſe recipiunt, ſed quotidie etiam manibus ſuis tractant, alijſque diſtribuunt. De his enim ſpeciatim ſcriptum eſt, *Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* *Iſai. 12.*

6. Sicut Mater Dei fuit ab æterno electa, & prædeſtinata cum omnibus dotibus, quas Dominus illi communicauit: ſic etiam ab æterno Deus conſtituit creare omnes homines, & ſimul præordinauit omnes gratias & beneficia, quæ vnuſquiſque deinceps à ſua Maieſtate recepit, aut recepturus eſt. Vnde colligimus, quàm immenſa ſit bonitas & charitas Dei erga nos, & quàm magna ſit ingratitudo noſtra erga ipſum: nam ille inde ab omni æternitate, quantumuis ſcelera & indignitatem noſtram præuideret, cogitauit & decreuit nos omnibus beneficijs afficere, quæ nos deinde recepimus, nos verò è contrario à vitæ noſtræ initio non aliud vel cogitamus vel agimus, quam quomodo Deum offendamus, & iniuria afficiamus.

MEDITATIO II.

DE NATIVITATE BEATISS. VIRG. MARIÆ.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Liber generationis* IESV *Chriſti filij Dauid, filij Abraham*, &c. *Matt. 2.*

II. *Iacob genuit Ioſeph virū* MARIAE.

III. *De qua natus eſt* IESVS, *qui vocatur* CHRISTVS.

FIGV-

FIGVRAE.

Gen. 2. 1. EVA data primo Adamo in sociam, nata est tota pura & innocens, à Deo ex ipsius Adami costa formata.

4. Reg. 1. 2. ANNA sterilis suis orationibus à Deo impetrauit filium, quem se oblaturam in templum ad ministrãdum Domino promisit.

PROPHETIÆ.

Cant. 6. *QVÆ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?*

Nu. 14. 2. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel.*

Esa. 11. 3. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.*

DOCVMENTA.

1. SICVT stella, cui beatissima Virgo assimilata est, radios suos in vtilitatem totius mundi emittit sine vlla lucis & perfectionis suæ iactura: sic nos ita vacare debemus iuuandis animabus aliorum & occupare nos in sanctis exercitijs charitatis erga proximum, vt non faciamus iacturam proprij spiritus & profectus: nam vt loquitur Dominus, parum prodest homini totum lucrari mundum, si animæ suæ detrimentum patiatur.

2. Virgo beatissima comparata est auroræ, quæ lumine à Sole recepto dispellit noctis tenebras;

nebras: nam primo, dum solem iustitiæ conciperet, fuit ab eo maximis Spiritus sancti donis illustrata: postea autem ipsum solem sacro partu suo pro salute mundi foras edidit. Quare qui volunt lucem tuam in publicum prodere, suumque spiritum proximis in animarum subsidium communicare, debent primum ipsi hunc solem concipere huncque diuinum Spiritum: vt prius hac face illuminati possint & alios illuminare: alioquin conueniet in eos dictum illuo Domini. *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueã cadunt.*

3. Etsi beatissima Virgo oriunda sit ex tam nobili & regia stirpe, nihilominus Dei filius non assumpsit carnem ex illa, quod à tam illustribus progenitoribus descēderet: sed quia, vt ipsa testatur, respexit humilitatem ancillæ suæ; vt indicaret Spiritum sanctum aspernari superbos corde, humiles vero corde respicere, sicut scriptum est, *Deus superbis resistit, humilibus vero dat gratiam.* 1. Pet. 2.

4. B. Virgo, quæ ante mundum conditum in æternæ sapientiæ consilio electa fuit in Matrem Dei, licet ex stirpe regia oriunda fuerit, non ideò aut humanæ dignitatis laude celebrata fuit, aut opibus abundauit, & temporali prosperitate; sed in continua paupertate & submissione vixit, multasque in hoc mundo passa est persecutiones & aduersitates: vnde & nos discimus respuendos honores & voluptates huius mundi, & rerum terrenarum copiam fugiendam, Contra verò ad imitandam beatissimam Virginem, reprimendam & coercendam esse carnem nostram, & in anima ac corpore nostro continenter crucem Christi deportandam: nã si in hoc mundo con-

fixi

fixi fuerimus gladio Mariæ, in altero quoque vna cum illa æternæ felicitatis dulcedine plenè refocillabimur.

5. Christus Dominus noster in hac genealogia vocatur filius Dauid; quia sicut Dauid antequam ad regnum peruenisset, passus est varias easque grauissimas persecutiones, multosque labores & ærumnas sustinuit: ita Christus antequam intraret in gloriam suam, plurimum laborauit, grauissimasque afflictiones perpessus est, vt intelligant, qui cohæredes Christi esse volunt, imprimis necessarium esse, vt existiment multas tribulationes sibi perferendas, & instar mulieris parturientis mœrores, doloresque perferendos, vt denique cum Christo ipso lætari & regnare possint.

6. Christus Dominus noster voluit in genealogia sua multos viros malos & mulieres peccatrices, atque etiam nonnullos pauperes figillatim Ioseph, & suam sanctissimam Matrem nominari. Hoc discrimen est inter spiritum huius mundi & spiritum Dei: quod homines mundani tantum glorientur de honoribus, dignitatibus & opibus temporalibus: sed homines spirituales potius gloriantur in sua infirmitate, & ignominia, imo pudet eos in alia re gloriari, quam in cruce Christi, hoc est, in sui contemptu & ignobilitate.

7. Etsi Christus Dominus noster eiusque Mater sanctissima, multos ex maioribus suis partim iustos & pios, partim sceleratos & infames habuerint, nihil tamen inde de ipsorum honore & gloria accessit vel decessit. Vnde colligimus non parentum vitia vel flagitia, sed proprias virtutes vel vitia cuique homini vel honorem, vel dedecus conciliare. Quare nec debent filij, aut nimium se extollere ob maiorum

orum suorum gloriam, nec etiam pudefieri ob eorum vilitatem vel infamiam, sed sua vita pia & sancta bonis & moribus debent comparare bonam famam & existimationem: si enim ipsi fuerint virtute præditi, nec vilitate maiorum suorum obscurabuntur, nec prava eorum vita vllo modo inquinabuntur: sicut contra, si fuerint flagitiosi, nihil eis proderit dignitas vel sanctitas suorum antecessorum.

MEDITATIO III.
DE PRAESENTATIONE BEATÆ VIRG.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Soror nostra parvula est.*

II. *Facta sum coram Domino, quasi pacem reperiens.* Cant. 8.

III. *Vinea mea coram me est. Mille pacifici tui, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.*

FIGVRÆ.

I. REx Assuerus, cum edicto publico per omnia regna sua mandasset omnes puellas virgines, quæ specie & pulchritudine cæteris præstarent, ad se adduci; inter eas quoque oblata fuit humilis Hesther virgo Hebræa, cuius admi- Esther. 2

randa

randa pulchritudo, honestique mores ita placuêre Regi, vt eam elegerit in sponsam suam, & Reginam.

1.Reg.1. 2. ANNA mater Samuelis, cùm in senectute sua hunc filium precibus à Deo obtinuisset, eum ablactatum, ac trium annorum puerulum in templo obtulit, in ministerium Domini.

PROPHETIÆ.

Psal.44 1. *AVDI filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.*

Ibid. 2. *Adducentur Regi Virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi, afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum Regis.*

Eccle.24 3. *In habitatione sancta coram ipso ministraui.*

Psa.66. 4 *Circuiui & immolaui in tabernaculo eius.*

DOCVMENTA.

1. SI Mater Dei, quæ antè fuit sancta quàm nata, & in gratia ita confirmata, vt nec venialiter peccare potuerit, sacro templo inde à prima ætate inclusa fuit, sic prorsus, vt nunquam inde egrederetur, donec diuina voluntate esset Ioseph● desponsata: non habent aliæ Virgines, quæ non sunt, vt beatissima Virgo, sanctificatæ, quod magnopere doleant se esse

esse inclusas, & ab omni hominum conspectu & consuetudine non necessaria remotas. Sic enim erunt securiores. Cõtrà vero si liberam vitam agere velint, maximis periculis & bonæ famæ, & salutis animæ se obijcient.

2. Beatissima Virgo in templo præsentata est, Sanctorum suorum parentum Ioachim & Annæ manibus, ad præstandum votum, quod Domino fecerant, à quibus, velut etiam à sancta illa Anna Samuelis Prophetæ matre, quæ similiter vnicum filium Deo in templo obtulit, exemplum capere debent omnes Patres & matres, non solum vt perfectè præstent, quicquid de filijs Deo per votum promiserint: scriptum enim est, *Si quid voluisti Deo ne moreris reddere: displicet enim Deo infidelis & stulta promissio* Eccl. 5. Sed vehementer quoque cauere debent, ne suos filios absterreant, vel impediant, quò minus vota sua, quæ post annos discretionis ediderunt, exequantur.

3. B. Virgo adhuc puella existens templo inclusa est, ab omni mundi commercio separata. Vnde discimus multum ad instituendam piam vitam prodesse, si quis ab ineunte ætate in timore Dei sanctisque moribus, à mundanorũ conuersatione abstractus fuerit & educatus. Nam, vt dicit sapiens Salomon, quam quisque vitam in adolescentia duxerit, ab ea ne in senectute quidem recedet.

4. Ab hoc sanctissimorum B. Virginis parentum exemplo debent patres & matres salutare documentum capere, vt maximũm studium & curam ponant in liberis rectè & piè educandis, inde à prima infantia, siue id fiat in propria ipsorũ domo, siue in alio loco honesto, vbi nullã vllius mali, vel dissolutionis

occasionem habeant, sed potius bona exempla hauriant & discant, quatenus virtutes sectandæ, & vitia fugienda sint. Hæc enim præcipua causa est, cur pleræque omnes mulieres tam sint leues & dissolutæ, quod æquo mollius & indulgentius in puellari ætate sint tractatæ.

5. Beatissima Virgo, licet esset genere nobilissima, tamen inter prima eius studia & exercitia, quibus ab incunabilis se dedidit, fuêre, solitudo, oratio, sacrarum litterarum lectio, & manualia opera honestarum mulierum propria. Sicut de ea testatus est Salomon in persona: Mulieris fortis tantopere in Scriptura celebratæ. *Quæsiuit lanam & linũ, & operata est consilio manuum suarum*, in confusionem multarum nobilium, illustriũque hominum nostri sæculi: qui dedecori sibi fore putant, si eorum liberi non instituantur in omnibus mundi vanitatibus. Itaque inter primas artes, quibus illos imbuunt, est ars tripudiandi, cantandi, instrumenta musica pulsandi &c. Quare quid mirum, si eorum filij, postquam inde à pueritia suxerunt lac mundi, efficiuntur, vt eos Dominus appellat, filij huius sæculi, prudentia carnali tumidi, sine spiritu, sine deuotione, & sine timore Dei.

Prou. 31.

MEDI-

MEDITATIO IV.
DE DESPONSATIONE VIRG. MARIÆ CVM IOSEPHO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Cum desponsata esset Ioseph Maria, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Matt. 1.

II. *Cum Ioseph, vir iustus, vellet occultè dimittere eam, apparuit ei Angelus dicens: Noli timere accipere* MARIAM *coniugem tuam, quod enim in ea natum est, à Spiritu sancto est.*

III. *Pariet filium, & vocabis nomen eius* IESVM, *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.*

FIGVRÆ.

1 PATRIARCHA Ioseph dum esset in Ægypto, vt seruaret fidem Domino suo, qui totam domum suam ei commiserat, Dominæ quoque suæ castitatem omninò custodiuit. Gen. 39.

2. Adhæc cùm eius fidei commissa essent omnia Aegypti horrea, omne Gen. 41.

frumentum fideliter ad sustentationem, & salutem illius populi custodiuit.

PROPHETIÆ.

Esa. 8. 1. *Accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filiũ, & dixit Dominus ad me. Voca nomen eius, accelera spolia detrahere, festina prædari.*

Esa. 62. 2. *Habitabit iuuenis cum virgine, & gaudebit sponsus super sponsam.*

DOCVMENTA.

1. QVAMVIS virginitatis propositum & status, quem beatissima Virgo erat complexa, tantæ esset perfectionis & meriti, tamen quando cognouit voluntatem Dei esse, vt viro desponsaretur, totam se in eius manus resignauit. Vnde discimus, quando ab operibus etiam sanctissimis perfectissimisque ab ijs, qui vices Dei gerunt, ad alia officia inferiora auocamur, promptè obsequendum esse; & iudicandum nobis vtilius esse id, quod nobis mandatur, anteferendo semper voluntatem superioris (quam cogitare debemus esse ipsius Dei) voluntati nostræ.

2. Ex hoc casto & virgineo beatissimæ Virginis cum Iosepho coniugio discere possunt omnes coniugati, matrimonium eorum, qui desiderio maioris perfectionis ex mutuo consensu perpetuam seruant virginitatem, vel continentiam, non modo verum esse & legitimum, sed etiam maximi meriti, & Deo Domino nostro tanto puritatis amatori gratissimum. Quod videtur quoque insinuasse Apostolus

stolus, quando Christianis potius consuluit castitatem, quàm coniugium, & adiunxit, vt qui iam vxorem haberent, viuerent proinde ac si nō haberent, tempus enim, subiungit breue est, & figura huius mundi præterit. Quare homines omnem curam ponere potius debent in consequendis bonis æternis, quàm in temporalibus & caducis, quę citō finem habebunt. 3. Cor. 7

5. Quoniam Dominus beatiss. Virginem ad tantam voluerat dignitatem, vt esset Mater ipsius Dei, euehere, non solùm voluit esse virginem, sed virginem admodum humilem, Qua de causa & in templo inter pauperes virgines educata est, & seruituti matrimonij subiecta est & marito vsa est admodum paupere & abiecto: vt nimirum homines intelligerēt, fundamentum perfectionis, & clauem qua custodiendæ conseruandæque sint virtutes omnes, esse humilitatem. Vnde quò homines maiores progressus faciunt in donis & gratijs à Domino communicatis, hoc humiliores & submissiores esse debent, quò autem altius ascenderunt, hoc fundamēto destituti, eò grauiori & periculosiori lapsu ruent.

4. Dominus non elegit Ioseph̄um in matris suæ sponsum, quòd esset homo magnus & illustris secundum mundum, sed quia iustus erat & sanctus: vnde tantus honor ei accessit, vt è paupere & contempto fabro, tam famosus & honoratus sit factus in toto mundo, & tantopere exaltatus in cœlo. O si homines hanc Philosophiam caperent, illi, inquam, qui tanto studio aucupantur gloriam & famam: nempe veros honores non acquiri accumulatione opum, & dignitatum, sed iustitiæ Christianæ exercitatione, & sanctitate vitæ: non dubium quin plus curæ studijque ponerent

in virtute quàm pecunia comparanda, in acquirenda pietate; quàm piscandis beneficijs & mundanis dignitatibus. Quocirca sæpe talibus vsu venit, vt posthabito Deo animæque salute, inhiantes per artes illicitas huiusmodi honoribus, tam in hac, quam altera vita sint infames & inglorij, conuenienter illis Pro-
1. Reg. 2. phetæ verbis. *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

5. Etsi beatissima Virgo claritate sanguinis, & virtutum præstantia fuerit admodum celebris, vt verisimile sit eam multo nobiliori coniungi potuisse matrimonio, tamen maluit assumere Ioseph um pauperem fabrū, sed hominem magna virtute & sanctitate. Multo secus hoc tempore, proh dolor, matrimonia iuuntur à Christianis, nam in filiabus nuptui tradendis, non iam ad virtutem & sanctitatem, sed ad opes, nobilitatem & dignitatem maritorum respicitur. Similiter viri in ducendis mulieribus, non ad virtutes & pietatem, sed ad magnitudinem dotis, ad pulchritudinem externam attendunt. Vnde videmus tot infœlices coniugiorum exitus, tot coniugum lites, amaritudines, bella: vt in ædibus eorum non audiantur aliæ voces quàm virorum maledicentium ijs, qui illis eiusmodi vxores procurarunt, & contra vxores omnia mala imprecantes parentibus, quod autores talium nuptiarum fuerint.

6. Dominus non solùm voluit Matrem suam esse virginem, & in oculis suæ Maiestatis sanctam, sed etiam marito copulatam, idque, vt apud homines ab omni peccati suspicione esset immunis: nos videlicet informans satis non esse, si in operibus nostris per bonam in-

ten-

tentionem satisfacianus Deo, sed insuper operam dandam, ne cuiquam offendiculo simus. Monet siquidem Apost. vt bona faciamus, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Rom. 12

MEDITATIONES TRES sequentes, etiamsi existent in Meditationibus vitæ Christi, tamen hoc loco sunt repetitæ, sed copiosiores & meliores.

MEDITATO V.

DE ANNVNCIATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Angelus Gabriel, missus à Deo in Nazareth, salutauit Virginem, dicens:* AVE *gratia plena; Dominus tecum.* Luc. 1.

II. MARIAE *turbatæ & cogitanti, qualis esset ista salutatio? ait: Ne timeas Maria, inuenisti gratiam, &c. Ecce concipies, &c.*

III. *Quærenti quomodo fiet? Respondit, Spiritus sanctus superueniet in te, &c. illaq; cõsentiente: Ecce ancilla Domini, fiat mihi, &c. discessit Angelus.*

FIGVRÆ.

Gen. 24 1. ABRAHAM misit vnum è seruis suis in Mesopotamiam vt inde filio suo Isaac adduceret Rebeccam in sponsam.

Iud. 13. 2. Angelus Dei apparuit matri Sampsonis, & dixit: Ecce concipies & paries filium, is Nazaræus erit, & incipiet liberare populum Israel.

1. *Reg.* 25 3. Abigail, auditis legatis Dauid, qui mandârat eam sibi adduci in vxorem, adorabunda in terra respondit: *Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.*

Esthe. 2. 4. Esther virgo ex captiuitate Israelitici populi, ob pulchritudinem morumque honestatem tantopere placuit Assuero Regi, vt eam ex omnibus puellis elegerit in sponsam suam & Reginam.

Exod. 32 5. Moyses, cùm filij sui Israel splendorem vultus eius ferre non possent, in descensu ex altissimo monte, in quo cum Deo erat conuersatus, velo obtexit faciē suam, vt agere cum eis posset.

PROPHETIÆ.

Esai. 45 1. RORATE *cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet Saluatorem.*

Mich. 1. 2. *Ecce Dominus egredietur de loco suo & descendet.*

3. *Deus*

3. *Deus ipse veniet, & saluabit vos.* Esa. 36.
4. *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Psal. 71
5. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Isai. 7.
6. *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum.* Iere. 31.
7. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Eze. 44.
8. *Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.* Eccl. 24

DOCVMENTA.

1. BEatissima Virgo animaduertens se modo tam insolito, & tanto laudum præconio salutari ab Angelo, turbata est, seque colligens examinauit qualisnam esset ista salutatio. Vnde mulieres omnes discere possunt, si quando ab aliquo præter morem laudentur, & verbis æquo humanioribus honorentur, ipsas quoque debere conturbari, & suspectum habere laudatorem. Si enim fas fuit Virgini turbari ad verba Angeli, quãto iustius turbari debent aliæ fœminæ ad verba hominum: maximè hoc tempore, quo inter homines tanta regnat malitia & improbitas?
2. Si dignè volumus salutare glorioſam Virginem, ita vt salutatio nostra sit grata & accepta, operam dare debemus, vt comitem primo nobiscum habeamus puritatẽ cordis, quod faciemus, si desistamus à peccatis, & vitã nostrã emendemus: vnde & hic Angelus purissimum mundissimumq; speculũ Virginem salutatur.

Secundò debemus eam salutare fideliter, hoc est, non ore tantum, sed etiam corde & opere, non tepidè, sed ardenter, dedicando totũ cordis affectum, omnesque vires nostras in eius cultum & seruitiũ, quod significatum est nomine Angeli Gabrielis, quod interpretamur, fortitudinem Dei. Tertio debemus eam salutare reuerenter & humiliter, sicut quoque ab Angelo fuit salutata nempè maxima submissione. Denique salutanda est nobis frequenter omni loco, & omni tempore, qui enim hunc morem habent, nõ dubium, quin vicissim fructum suæ salutationis ab ea recipiant: nã cum illa sit humillima, non dedignatur resalutare suos salutatores: Ergo si sanctis votis & desiderijs, crebrisque & deuotis salutationibus ei obuiam procedamus, non negliget illa cum auxilijs opportunis, & donis cœlestibus nobis occurrere, sicut de ea scriptum est, *Obuiabit illi, quasi mater honorificata.* Eccl. 5.

3. Beatissima Virgo, non modo fuit humilis mente, sed etiã sermone & opere, cordis quidem humilitatem demonstrauit, dum se tantis Angeli laudibus indignam reputans, non gauisa, sed turbata est. In sermone quoq; humilem se ostendit, quando certior, facta se esse electam in Matrem Dei dixit: *Ecce ancilla Domini.* Opere etiam demonstrauit, quãdo post conceptũ Dei filium, se contulit ad visitandam & iuuandã cognatam suã Elisabeth. Vnde discimus verum humilem non esse, qui tribus illis modis non demõstrat humilitatẽ. Sunt enim qui magnã humilitatem declarant verbis, sed si quid ab alijs illis dicatur contra eorũ existimationẽ, mox offenduntur. Sunt & alij qui hu[illegible]iter de se sentiunt, sed ab alijs tales

tales haberi nolunt, nec induci possunt, vt se vel corã æqualibus, vel inferioribus humiliẽt. Alij verò sunt, qui facilè quidem exercent se in operibus humilibus & abiectis, sed in iis suam quærunt laudem & existimationem. Omnes hi carent huius virtutis merito: ij enim soli verè humiles sunt, qui beatissimæ Virginis exemplo cogitationibus, verbis & factis semper se humiles demonstrant.

4. Beata Virgo audiens tanta encomia, turbata est: hoc vnum ex certioribus signis hominis corde humilis est, si ad laudes suas turbetur, easque molestè ferat; & contra, si ob contumelias & irrisiones hominum lætetur & gaudeat. Qui vero lætitia gestiunt in laudibus suis, & multò magis, qui ipsi prædicant & ostentant res suas, eo quod in aliquo pretio habeantur: ac rursus ij, qui dum nulla, vel exigua eorum ratio habetur, aut pro meritis non honorantur, mox perturbantur & grauatè ferunt, omnes eiusmodi quantumuis honestam vitam; atque etiam religiosam ducant, potius viam superbiæ quam humilitatis ingressi sunt.

5. Beata Virgo, cum apparuit ei Angelus, domi erat, & cubiculo suo inclusa. Si digni esse velimus cælesti visitatione internisq; consolationibus, operam debemus adhibere, vt in nobis ipsis collecti simus, & à nimia hominum consuetudine abstracti. Nam verba quibus nos alloquitur Spiritus sanctus, sunt admodum delicata & suauia. Vnde nec audiri possunt ab hominibus occupatis & distractis, sed solum à quietis & solitarijs, secundum illud scripturæ. *Ducam eam ad solitudinem, & loquar ad cor eius.*

6. B. Virgo ad faustam salutationem Angeli

cum

cum tanta laude coniunctam turbata est, & se ipsa collegit. Vnde discimus affluente consolationum spiritualium copia, rebusque huius mundi prosperè euntibus nos potius debere timere, ob periculum grande nobis impendens. Contra verò irruentibus in nos afflictionibus & calamitatibus potius lætari, tum ob maiorem securitatem talis status, tum etiam ob magnitudinem meriti.

7. Virgo benedicta cum verbis angeli esset turbata, antequam responderet, seipsam collegit: quo exemplo docemur, dum sentimus nos aliqua perturbatione mentis, vel tentatione commoueri, potius tacendum, quam aliquid decernendum esse, deinde considerandum quid facto opus sit, ne quid dicamus vel faciamus, cuius nos postea pœniteat, conuenienter documento sapientis. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit.*

MEDITATIO VI.
DE VISITATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Luc. 1. I. *Abijt in montana cum festinatione, & salutauit Elizabeth.*

II. *Audita B. V. salutatione, infans exultauit in Vtero, & mater repleta Spiritu Sancto laudauit Beatam Virginem: Benedicta.*

III. *B. V. omnia Deo tribuit, Magnificat &c. manetq; ibi tres menses.*

FIGV-

FIGVRÆ.

IVdith cum capite Holofernis in Bethuliam reuertentem, totiusque populi gratulatione & applausu receptam sic allocutus est princeps Ozias. *Benedicta es filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.* *Iudit.* 13

2. Contobrini Tobiæ, cum cognouissent prosperos eius post tot aduersa successus, cum gaudio eum visitarunt, & congratulati sunt de omnibus bonis à Deo illi præstitis. *Tob.* 11.

3. Anna mater Samuelis sterilis, filio à Domino donata, adorans Deum dixit: *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo.* 2. *Reg.* 2.

PROPHETIÆ.

ANima mea exultabit in domino, & delectabitur super salutari suo. *Psal.* 34.

2. *Dominus ab vtero vocauit me.* *Esai.* 49

3. *Antequam exires de vulua sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te.* *Iere.* 1.

DOCVMENTA.

1. BEATISSIMA Virgo post conceptionem filij Dei subito exurrexit: vt nos instrueret, quoties bonum & salutare pro-

re propositum in corde conceperimus, ilico exurgendum esse, & deserendam prauam peccandi consuetudinem, omnemque somnolentiam, & ignauiam excutiendam sicut exhortatur nos Apostolus. *Surge*, inquit, *qui*

Ephes. 5. *dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

2. Virgo discessit è Galilæa, quæ significat volubilitatem, vt intelligeremus debere nos ab amore & affectione rerum fluxarum & terrenarum discedere, quæ ob suam instabilitatem comparantur volubili rotæ: eo quod in illis nulla pax vel quies inueniri queat.

3. Virgo abiit cum festinatione, vt instrueret nos, bonis operibus iungendum ardorem, omnique celeritate viam mandatorum diuinorum percurrendam, vt possimus dicere vna

Psal. 1. cum Propheta, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* Sapiens

Eccl. 5. quoque consulit, dicens: *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.*

4. Virgo ascendit in montes, vt intelligeremus, quemadmodum sine difficultate mons non ascenditur, sic sine labore, & vi sibi illata non posse ad culmen virtutis perueniri. Atque etiam vt doceremur, si securi esse velimus de salute nostra, operæ pretium esse, vt tendamus ad fastigium vitæ perfectæ, abstrahendo se à rebus terrenis, & inhiando cœlestibus secundum consilium ab Angelo datum Loth.

Gen. 19. *Ne stes in omni loco circa regionem, sed in monte saluum te fac*, Mundus enim tot laqueis & periculis plenus est, vt homo ægrè se ex illis explicare possit.

5. Vir-

5. Virgo intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth, ad informandos nos, eos qui hinc inde vagantur, nec vnquam se colligunt ab huius sæculi curis, diuina visitatione salutationeque ipsius matris Dei esse indignos, conuenienter mandato à Domino Apostolis dato, ne quenquam salutarent in via, si vero domum aliquam ingrederentur, precarentur eis pacem.

6. Beata Virgo, quamuis facta esset mater Dei, tamen non verita est demittere se ad ineundam visitationem, & ministerium præstandum Elisabethæ: vt nimirum exemplum humilitatis omnibus præberet, ac singulatim magnæ dignitatis hominibus, intelligerentque, quo quis in sublimiori statu versatur, hoc rem laude & honore digniorem facere, quo se deijcit magis, ad subueniendum subditis in eorum necessitatibus secundum illud sapientis. *Quanto maior es, humilia te in omnibus.* Eccl. 3.

7. Si Elisabeth Spiritu sancto plena, quod mater Dei domum suam intrasset, dicebat, *vnde hoc mihi*, Nos, qui sumus peccatis pleni, quid dicere vel facere debemus, quando ipse Deus dignatur sacramentaliter in domum animæ nostræ spiritualem intrare? quanta reuerentia, qua gratiarum actione, quibus operibus excipere deberemus talem hospitem?

8. Beata Virgo vt audiuit se laudari, & beatam prædicari ab Elisabetha, dixit. *Magnificat anima mea Dominum*, vt doceremur, si quando ob donum aliquod à Domino concessum, vel opera bona laudemur, non debere nos aut oblectari illo laudum nostrarum præconio

conio, aut vanè in eo gloriari, sed potius totum attribuere Deo, laudemque in eum transferre, à quo omnia dona in nos profluxerunt.

9. B. Virgo cùm iret visitatum Elisabetham, cum festinatione iter confecit, & in domo cognatæ commorata est mensibus tribus; nempe vt mulieribus honestis exemplum daret, domi potius hærendi, quàm in publicum prodeundi.

MEDITATIO VII.

DE PVRIFICATIONE B. VIRGINIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Luc. 2. I. *Impletis diebus Purificationis, sistitur puer Domino, oblato simul sacrificio secundum legem*

II. *Simeon, habens promissionem videndi Messiam, accepit in vlnas, cantans* NVNC DIMITTIS, *matrique prædixit gladium, & quod puer positus sit in ruinam & resurr.*

III. *Anna prophetissa, vacans ieiunijs & orationibus in templo, laudabat* DEVM, *& præsentes solabatur.*

FIGV-

FIGVRÆ.

MAndauit Deus in lege sibi offerri quotidie duos agnos immaculatos, vnum manè, alterum ad vesperam, ad præfigurandum duas oblationes à Christo vero & immaculato agno Patri cælesti offerendas. Alteram initio vitæ, hoc die, in sua præsentatione; alteram in fine, in ara crucis pro generis humani redemptione. *Exo. 29. Num. 28*

2. Anna mater Samuelis antè sterilis, impetratum precibus à Deo filium obtulit in domo Domini dedicando illum ministerio Domini, & simul vitulum in sacrificium offerendo. *1. Reg. 1.*

PROPHETIÆ.

SAcrificium & oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi. *Psal. 39.*

Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi, ecce venio.

2. *Veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria.* *Agg. 2.*

3. *Statim veniet ad templum sanctum suũ dominator, quem vos queritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* *Mala. 2.*

4. *Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.* *Psa. 47.*

5. *Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gẽtium reuelauit iustitiam suam.* *Psal. 97*

DOCV-

DOCVMENTA.

1. B. VIRGO subijciendo se Purificationis legi, non solum de opinione puritatis & sanctitatis nihil detraxit, sed eam potius hoc humilitatis actu illustrauit: exemplum omnibus religiosis & spiritualibus hominibus præbens, vt existiment consuetudine mortificandi & humiliandi se, nihil de eorum existimatione bona imminui, imò augeri potius, ipsasque virtutes his exercitijs conseruari.

2. B. Virgo & Ioseph⁹ puerum IESVM detulerunt in templum Hierosolymitanum; vnde patres & matres capere possunt exemplum, suos filios Domino offerendi, & à primis annis pueritiæ ad Ecclesias deducendi, vt audiant verbum Dei, & diuinis officijs intersint, vt legant libros pios, & in doctrina Christiana virtutibus, bonisque moribus instruantur, secundum illud consilium Ecclesiastici. *Si filij tibi sunt, erudi illos, & incurua eos à pueritia eorum.* At heu multi filios suos potius diabolo, quam Deo à primis annis offerunt, dum eos nimis indulgenter, & in summis delitijs educant, plenos vitijs & peruersis moribus. Vnde in parentibus vere adimpletur, quod scriptum est. *Immolauerunt filios & filias suas dæmoniis, & non Deo.*

Eccl. 7.

Psa. 103

3. Sicut in hac oblatione in templo facta, Deoque tam grata, interfuerunt tres personæ, nempe Ioseph, MARIA, & puer IESVS, sic, si oblationem nostram, quam facimus de nobis ipsis, velimus Deo gratam esse & acceptam,

ptam, tria sunt nobis necessaria. Primò virilis constantia in bono proposito, & diuini cultus in operibus. Secudo virginea puritas in nostra conuersatione. Tertiò simplicitas & puerilis humilitas in nostra conscientia iudicando bene de omnibus, & reputando nos inferiores & minores omnibus.

4. Christus Dominus noster non obtulit pro nobis in templo, nec animalia, nec fruges terræ (sicut faciebant Iudæi) sed obtulit hostiam optimam & pretiosissimam, quam habuit, hoc est, seipsum Deum & hominem, sic nos Deo non debemus offerre, aut deteriora, aut res exigui pretij, sed meliora & pretiosiora, non debemus seruire Deo tantum verbis, & cærimonijs externis, corde rebus terrenis affixo, sed totum debemus dedicare diuino seruitio, animam, corpus, vitam, cor, denique omnia nostra. Multo enim nobis vtilius est, si nos ipsos donemus Deo, à quo omne bonum nostrum, omnisque salus proficiscitur, quàm vt demus nos mundo, & voluntati nostræ, quæ sunt causa ruinæ & perditionis nostræ.

5. B. Virgo oblationi Christi filij sui in templo factæ adiunxit oblationem turturum, vel columbarum. Turtur est auis casta & solitaria: columba vero est pacifica & sine felle & viuit in societate aliarum; vt intelligant specialim Sacerdotes, qui quotidie in sacris templis Christum offerunt, & cum ijs omnes alij qui communicando, spiritualiter eundem Christum æterno Patri pro expiandis suis peccatis offerunt, si velint oblationē suam à Deo acceptari in salutem, & non in condemnationem animarum suarum, eos debere familiares, & comites habere duas virtutes, & primo qui-

mo quidem mentis & corporis castitatem, abstinendo à conuersatione hominum periculosa. Deinde pacem & vnionem caritatis cum proximis.

6. Simeon, vt habet Euangelium, in spiritu ingressus est templum. Vnde discimus, non debere quemquam vel coactum, vel ex consuetudine; vel quæstus, commodiue temporalis causa se mancipare diuino seruitio, sed ex mera deuotione & intimo desiderio seruiendi Deo, Tales enim vna cum Simeone facilè inueniunt Mariam & IESVM, hoc est, spiritualem consolationem & æternam salutem.

7. Si Simeon tanta spirituali lætitia, deuotione & reuerentia puerum IESVM recepit in brachijs, quanto maiori deuotione, reuerentia, & spiritus feruore, cum eumdem Dominum & Saluatorem recipimus in sacra Eucharistia, id præstare deberemus? Quandoquidem non iam brachijs sed ore ipso eum excipimus, nec sustinemus manibus, sed in corporis viscera, animamque nostram eum dimittimus.

8. Simeon accepit Christum in vlnas suas. Vnde docemur, per opera bona peruenire ad salutem: neque enim sola fides sufficit ei, cui suppetit tempus & modus opera bona exercendi, non satis est capere Christum mente, & intelligentia, sed opus est, quoque eum apprehendere manibus, quibus opera designantur.

9. Christus in præsentatione sua voluit institui oblationem more pauperum, hoc est offerri par columbarum. Semper in actionibus suis Dominus se demisit, humiliauit, volens haberi minor & vilior, quàm erat, ad pudefacien-

faciendam proculdubio superbiam nostram: nos enim semper volumus extolli, & maiores haberi, quam reuera simus.

10. Simeon & Anna quia frequentabant templum, meruerunt conspectu Saluatoris consolari. Res sancta est frequentare Ecclesias, in ijs enim sua dona & charismata Deus impertiri solet, & non in plateis, & viis publicis: in quibus homines vagantur, & peccandi potius, quàm benè agendi occasiones accipiunt.

11. Anna Prophetissa erat in templo, seruiens Deo in castitate, continuis orationibus & crebris ieiunijs, vnde & promeruit filium Dei videre & agnoscere. Non patefacit arcana sua & mysteria, nec cœlestes consolationes communicat Deus hominibus mundanis & carnalibus, sed iis qui virtute sua prauas carnis inclinationes vincunt, & continuum cum amore proprio bellum gerunt, sicut Propheta significat illis verbis, *Quem docebit scientiam? & intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus*, hoc est, illos, qui se totos subtrahunt ab omnibus mundi delitijs & illecebris, carnem mortificant, & in sanctis diuini cultus exercitiis sese occupant. *Isa. 28.*

MEDI-

MEDITATIO VIII.

DE CONVERSATIONE B. VIRG. POST FILII ASCENSIONEM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Act. 1. I. *Post visam ascensionem reuersi sunt Apostoli in Hierusalem cum Maria, &c. & alijs mulieribus.*

II. *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter.*

III. *In oratione.*

FIGVRÆ.

Luc. 2. 1 ANNA Phanuelis cum vidua permansisset, inquit Scriptura, reliquum vitæ tempus transegit in templo continuis orationibus & ieiunijs seruiens Deo.

2. Sancta vidua Iudith, ait scriptura, post mariti mortem, se in vnam domus partem cum ancillis suis inclusit: in qua cilicio induta, in continuis ieiunijs & orationibus vitam agebat, & ob virtutem in magna apud vniuersum populum veneratione erat.

PRO-

PROPHETIÆ.

1. HEI mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Psa. 119

2. Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo, me expectant iusti donec retribuas mihi. Psa. 42.

3. Lætatum est cor meum, exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Psal. 15.

DOCVMENTA.

1. BEatissima Virgo post Christi filij sui ascensionem, totam se orationi, frequentationi templi Dei, alijsq; pijs & sanctis exercitijs dedidit, præbens ea re perfectum exemplum, non solùm omnibus virginibus, quæ desiderant corpore & spiritu se diuino cultui consecrare, sed etiam omnibus Euangelicis viduis, quodnam sit proprium earum officium, & quomodo in hac vita conuersari debeant, hoc est, mundi tumultus, eiusque vanitates defugere, non secus, quam si in omnibus rebus mundanis essent mortuæ, adhærere soli Deo, noctu diuque attendere orationi, meditationi, & piorum sanctorumque librorum lectioni, sacra templa visere, amare lachrymas, cum Angelis potius quam cum hominibus conuersari, continuisque suspirijs & desiderijs ad cœlestia aspirare.

2. Mors beatissimæ Virgini nullum metum vel mærorem, sed potius consolationem attulit summam; velut suauissimus & iucundis-

simus somnus : illa enim per omnem vitam eam exoptauit , quasi ianuam ad bona æterna & cælestia. Hæc autem primaria causa est, cur homines tantoperè reformident & fugiant mortem , quoniam videlicet, omnem spem suam collocarunt in bonis caducis & terrenis, quibus per mortem spoliantur. Si igitur mortem timere nolumus, imitemur hanc nostram beatam matrem in sancta & pia vita, eiusdemque desideriis non terrenis sed cælestibus.

3. Christus Dominus noster non modo sanctissimam matrem suam, sed innocentissimum quoque corpus suum voluit legi mortis subiectum, vt nobis in morte nostra aliquod esset solatium eiusque & matris exemplo magis corroboraremur, ac præterea vt eodem exemplo possemus non solùm consolari nos ipsos, sed alios quoque in illa extrema & difficili mortis agonia. Nam si illi , qui erant ligna viridia , hoc est , ab omni peccato immunes, voluerunt degustare mortem , quanto magis nos ligna arida, qui onerati sumus peccatis, patienter tolerare debemus hanc pœnam, eandemque ingredi portam , quam ante nos Christus eiusque mater ingredi non dubitarunt: cum suo ingressu tam facilem & iucundam eam reddiderint, vt optari potius, quàm reformidari debeat?

4. Quemadmodum omnes gratiæ & priuilegia B. Virgini propter nos fuere concessa; occasione enim lapsus nostri electa fuit in matrem Saluatoris, ac proinde merito obligatur esse aduocata Ecclesiæ omniumque fidelium, vt salutem consequantur ; sic etiam per singularia beneficia, quæ illi contigerunt in morte, tenetur facere specialem aduocatam & pro-

& protectricem in morte nostra. Quare si optamus in extremo illo & tremendo momento ab ea iuuari & defendi, innocentius Mariam, deuotique simus Mariæ; nullus enim vnquam ei deuotus fuit, qui illa hora fuerit ab ea desertus, sed potius magna consolatione affectus.

5. Virgo sanctissima Dei mater, quia perspectum habebat consilium à Domino aliquando datum, de tenendo vltimo loco in hominum conuentibus: voluit ab omnibus haberi & tractari, tanquam omnium vltima & infima. Qua humilitate obtinuit, vt postea in cœlo exaltata fuerit supra omnes inconfusionem nostram, qui mereremur ob peccata nostra existere sub terra, & tamen semper volumus instar olei eminere super alios, nec patimur quemquam nobis anteferri; & si videatur nobis quod exigua nostri ratio habeatur, vel non satis magno honore afficiamur, moleste ferimus & turbamur: vnde eueniet, vt postea in altera vita, quemadmodum ipse Dominus testatus est, ignominiosè ejiciamur, & nouissimum locum, omnium pedibus subiecti teneamus.

6. Beatissima Virgo, vti à Domino petijt, ita etiam pro sua consolatione obtinuit, vt Apostoli omnes præsentes illi sub extremam vitæ horam adessent, præbens ea re nobis exemplum, multo magis nos, qui sumus peccatores, magisque auxilio indigemus, debere desiderare & procurare, vt in obitu nostro aliquos homines spirituales præsentes habeamus, qui nobis adiumento sint, & in tanto discrimine solatium aliquod subministrent.

* * *

MEDITATIO IX.

DE GLORIOSA ASSVMPTIONE B. VIRG.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Apoc. 2. I. *Signum apparuit in cœlo.*

II. *Mulier amicta sole & luna sub pedibus eius.*

III. *Et in capite eius corona stellarum 12.*

FIGVRÆ.

2. Reg. 6 REx Dauid post debellatos omnes inimicos, videſ iam regnum ſuum eſſe in pace & quiete, inquit Scriptura, recordatus eſt arcæ teſtamenti, quæ erat in domo Obededon: cumque eam vellet in ſuum transferre palatium, vt ibi in maiori honore & auctoritate eſſet, inſtituit eam in rem feſtum admodum ſolenne, vario concentu muſicorum inſtrumentorum celebrandum, ipſeque Rex cum toto populo abiit ad eam inde amouendam, & cum magna lætitia & gratulatione in ſuum palatium adducendam.

3. Reg. 8. 2. Cùm regis Salomonis mater ſe ad viſitandum filium ſuum contuliſſet, aſſerit ſcriptura, fuiſſe matri Regis præparatum thronum regium, eamque ad eius dextrã conſediſſe.

3. De

3. De Hesther virgine Hebræa commemorat Scriptura, eam à magno Rege Assuero amatam supra omnes alias mulieres. Vnde tantam gratiam apud Regem obtinuit, vt eam in sponsam suam elegerit, & capiti eius coronam regiam imposuerit, regnique eius participem effecerit. *Esth. 2.*

PROPHETIÆ.

1. *SVrge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* *Psal. 86.*

2. *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea & veni. Iam enim hyems transiit, imber abijt & recessit.* *Cant. 2.*

3. *Veni de libano sponsa mea, coronaberis.* *Cant. 4.*

4. *Tenuisti manum dextram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* *Psal. 72.*

5. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delitijs affluens, innixa super dilectum suum?* *Cant. 8.*

6. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.* *Psal. 44.*

DOCVMENTA.

BEATISSIMA Virgo corpore & anima in cælum assumpta est, vt ibi pro nobis officio fungeretur mediatricis & aduocatæ apud Dominum, tam in corporalibus, quam spiritualibus necessitatibus. Itaque si velimus ab ea exaudiri & iuuari, ac tandem aliquando

cum ea regnare & triumphare in cælo, ſtudeamus eam imitari, & ſemitam illam quam illa percurrit, perſequamur. Nam imprimis Virgo vt ad cæleſtem domum attingeret, tenuit viam puritatis: ſic nos inſiſtendo eius veſtigiis operam dare debemus, vt puritatem mentis & corporis tueamur, ſiquidem ſcriptum eſt, *Apoc. 21* *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Secundo tenuit B. Virgo viam humilitatis, ſic nos ad eam imitandam ſemper debemus hanc virtutem habere in corde, verbis & operibus: ſubmiſsè de nobis ſentiendo, & cum omnibus colloquia humilia & manſueta inſtituendo, nec refugiendo humilitatis CHRISTIANÆ opera, ſi quando aut proximi charitas, aut matris Dei gloria poſtulat. *Mat. 18.* *Niſi enim efficiamur ſicut parvuli,* inquit Dominus, *non intrabimus in regnū cælorū.* Tertiò tenuit B. Virgo viam paupertatis nihil habens proprium in hoc mundo: ſic nos ſi volumus eſſe participes opū cæleſtium, neceſſe eſt, vt cor noſtrum ab his bonis terrenis & caducis auellamus, cum dixerit Dominus, facilius eſſe camelo trāſire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. *Mat. 16* Quartò tenuit B. Virgo viam charitatis tam erga Deum, quam erga proximum: ſic & nos amorē Dei demus omnibus aliis rebus, etiam vitæ noſtræ anteponere, parati potius mori quam diuinum aliquod præceptum præuaricari: debemus item dilatare charitatem in proximum, compatiendi illi, & in neceſſitatibus tam corporalibus, quàm ſpiritalibus illi ſubueniendo: charitas enim eſt Symbolum, teſte Domino, quo dignoſcuntur veri Chriſtiani, & diſcipuli

cipuli CHRISTI. Quinto beatissima Virgo quoque ambulauit per viam patientiæ in tribulationibus & persecutionibus : per quas necesse est & nos ambulare, si saluari velimus. Nam, vt dicit Apostolus: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* 2. Tim. 2. Denique sicut sanctissima virgo vsque ad finem vitæ in his sanctis & pijs actionibus, quibus tantam coronam promeruit in cœlo, perseuerauit; sic satis nobis non est, bonam viam ingredi, sed opus est, vt cœlestis coronæ præmium assequamur, vt in vita pia & sancta vsq; ad finem persistamus, cum dixerit Dominus. *Qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit.* Mat. 10.

2. Quoniam fides & certitudo diuinorum mysteriorum Resurrectionis & Ascensionis in cælum Christi Domini nostri plurimum proderat ad salutem nostram. *Si enim Christus*, inquit Apostolus, *non resurrexit vana est fides nostra*, idcirco Dominus voluit illa tot apparitionibus, tamque varijs argumentis horum veritatem manifestari. Sed mater eius sanctissima, quia resurrectionis eius & assumptionis in cælum fides non faciebat ad salutem nostram, sed tantum cedebat ad maiorem eius honorem & gloriam, ideo noluit eam manifestare; sed potius id temporis occultare, totam eius rei curam relinquens Deo, qui suis temporibus cum summo matris suæ honore illud Ecclesiæ inspirauit. Vnde discere possumus, quæ in nostrum honorem reuerdant ex parte nostra melius tacere & occultari; DEVS enim, quando ad maiorem 1. Cor. 15

gloriam eius, & proximorum vtilitatem erit, rem euulgabit, si autem redundent in salutem aliorum, non modo possunt, sed etiam debent manifestari, exemplo Apostoli, qui ad Corinthios in fide confirmandos, sublimem illam reuelationem sui raptus in tertium cœlum patefecit.

3. Mater Dei sanctissima, quia cor suum remotissimum habebat à terra, & in Deo solo, quem ardentissimè amabat, defixum, idcircò in cœlis super omnes angelorum choros exaltata est. Hic modus est quem Deus in electis suis remunerandis, & reprobis castigandis tenet: vt quo amplius homo affectum suum ab amore rerum terrenarum auellit, & in amorem rerum cœlestium commutat, hoc sublimiorem in cælo sedem consequatur. Cõtrà, quo affectu & mente magis immersus fuerit terræ, voluptatibusque & delitijs huius mundi, ac carnis firmius adhæserit, hoc sedem profundiorem obtinebit sub terra. Itaque si certe cognoscere volumus, quæ sors nobis obuentura sit, sublimis an humilis, felixne an infelix, diligenter affectus & desideria cordis nostri indagemus, sintne cœlestia, an carnalia & terrena, atque hinc æstimare poterimus, quid Deus nobiscum sit acturus.

MEDITATIO X.

DE NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Luc. 1. 1. *Elizabeth filium peperit, cum multorũ gaudio;*

gaudio; eumque die octauo circuncidẽs curauit Ioãnem vocari, patre prophetante.

II. *Parenti muto, reddita est loquela, vt Deum benediceret, proferens Canticum: Benedictus &c.*

III. *Factus est timor super omnia montana &c. & mirabantur dicentes: Quis, putas, puer iste erit?*

FIGVRAE.

ELisæus propheta resuscitaturus filium mulieris Sunamitidis præmisit seruũ suum Giezi, mandans ei, vt accingeret lumbos suos, baculumque suum poneret super faciem mortui pueri, quem secutus est Propheta, eumque à morte excitauit. 4. Reg. 4.

PROPHETIÆ.

1. *ECce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Mal. 3.

2. *Parauit lucernam Christo meo.* Psal. 131.

3. *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Esai. 49.

4. *Tu puer Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Luc. 1.

DOCVMENTA.

1. DIXIT Angelus Ioannem magnum futurum coram Domino. Vnde discimus, veram magnitudinem non consistere in amplo dominio, in opibus, rerumque multarum scientia, sed in virtutibus, & in vitæ sanctitate, quemadmodum liquebit in altera vita, quando cuique dabitur præmium secundum merita, tunc enim iusti & amici Dei, qui in mundo habiti sunt pauperes, contempti & abiecti, exaltabuntur, & inter primos cæli Senatores collocabuntur. Qui verò in mundo habiti sunt in oculis hominum magni, stabunt sub eorum pedibus, nisi deteriorem aliquem locum consequantur.

2. Cognati Ioannis vrgebant ne isto, sed Patris potius nomine, vel alicuius alterius ex familia appellaretur. Verum Zacharias & Elisabeth perstiterunt in sua sententia, nec permiserunt aliud nomen ei imponi, quam ab Angelo erat patefactum. Quare exemplum datum est parentibus, ne putent honorificum esse imponere filiis maiorum suorum nomina, qui sæpè fuere profani, & gentiles potius quàm Christiani, sed nomina Sanctorum & religiosorum, tum quia illa fuerunt hominum Deo gratorum, cum quo etiam nunc regnant in cœlo, tum quia sæpenumero pueri ad sui nominis Sanctum afficiuntur, eiusque virtutes libentius imitantur, & recipiunt in aduocatum.

3. IOANNI impositum est nomen, cùm circuncideretur, vt intelligamus nullius nomen in librum vitæ referendum nisi prius

cor suum, animique sensus ab omnibus cupiditatibus carnalibus circunciderit, nisi omnibus desiderijs & voluptatibus illicitis mundi & carnis renunciarit: neque enim in vno eodemque corde diuersari possunt Deus simul & mundus, delitiæ diuinæ, & illecebræ carnales. Vnde si homo elegerit vnum, necesse est, vt repudiat alterum.

4. Hoc nomen, IOANNES, interpretatur gratia Dei. Itaque si velimus nobis constare simusne in gratia Dei, quemque gradum gratiæ apud diuinam eius maiestatem obtinuerimus, diligenter excutiamus vitam nostram, eamque cum vita Ioannis comparemus, cum puritate nimirum illius, humilitate, pœnitentia, sobrietate, feruore, & zelo animas iuuandi, & secundum progressum, quem in his virtutibus nos fecisse animaduertemus conuenientem vitæ Ioannis, poterimus quoque conijcere, ad quem gratiæ gradum peruenerimus.

5. Etiamsi mater Dei intrasset domum Zachariæ patris Ioannis, ibique remansisset mensibus tribus, sua Christique præsentia domui illi tantas afferens gratias & benedictiones: non tamen ideo vox illi fuit restituta, sed mutus permansit vsque ad filij circumcisionem. Vnde discimus primo, pœnas temporales huius sæculi sæpe vtilius relinqui hominibus, quam tolli, nempe ob maiorem eorum humilitatem & meritum. Secundò, Dominum solitum relinquere eiusmodi pœnas & flagella pro peccatorum nostrorum satisfactione: nam etsi quando peccatores diuinæ restituuntur gratiæ, tollatur culpa, & consequenter pœna æterna: nihilominus remanet obligatio ali-

cuius pœnæ temporalis, quæ similibus flagellis expiatur,& tollitur.

6. Zacharias post linguam diuino beneficio solutam mox primo quoque verbo erupit in laudes & benedictiones Dei, informans nos, vt simulatque cognouerimus, nos aliqua gratia spirituali, vel temporali à Domino donatos, ante omnia non ore tantum, sed etiam operibus reddamus gratias, suæque diuinæ maiestati nos gratos exhibeamus, tum quia Deus ipse in se omni laude & benedictione dignus est, tum vt gratiam acceptam conseruemus,vel etiam augeamus.

7. Ioannes à puero recepit se in desertum ad agendam pœnitentiam, vt intelligamus bonum esse portare iugum Domini à prima adolescentia, bonorumque operum studio se assuefacere, dum natura adhuc tenera est, nam velut arbor iam matura & indurata potius frangitur, quam flectitur: sic homo, si ab ineunte ætate non se inflectit & inclinat ad bonum, cum ad maturitatem peruenerit, etiamsi maximè velit, non poterit tamen, nisi cum summa difficultate, prauam consuetudinem vincere, & ad bonum se inflectere, nisi Deus potenti manu sua ei succurrat.

8. Ioanni satis non fuit in solitudine degere, sed in ea quoque sanctissimam vitam virtutibusque plenam traduxit. Vnde colligere possumus, religiosos non debere gloriari, aut securos esse, hoc solo nomine, quod versentur in religione, aut multos annos in ea consumpserint, nisi etiam sanctè & religiosè vixerint: imo nihil eis proderit, sed potius vehementer oberit, si solo

solo nomine religiosorum contenti sint, & vitam nomini non conforment, vt enim ingredi religionem est summa perfectio, ita non viuere in ea religiosè, summa est damnatio.

9. Ioannes vt securè propriæ perfectioni consequendæ operam daret, & animam suam immunem à peccato seruaret, hominum conuersationem, & mundi tumultum fugit, docens nimirum exemplo suo, difficulter in mundo custodiri vitæ innocentiam, & sanctitatem acquiri; nam vt dicit quidam Sanctus, sicut impossibile est arborem in via publica posse conseruare suos fructus vsque ad maturitatem: sic quasi impossibile est, vt homo remanens in mundo, immunis maneat à peccatis. Et sicut in eodem periculo sunt illæ arbores, quæ licet plantatæ in horto concluso, foras tamen suos ramos porrigunt, sic vt prætereuntes, licet arborem attingere non possint, possint tamen deijcere fructus: sic religiosi, qui existentes in cœnobijs implicant se negotijs sæcularibus, in magno periculo sunt, ne à diabolo bonorum operum fructibus spolientur.

10. Dixit Christus Ioannem esse lucernam ardentem & lucentem. Seruo Dei & Christiano satis non est esse lucernam tantum, hoc est, vt habeat tantum fidem & nomen Christiani sine charitatis ardore, & bonorum operum luce: nec satis est hanc lucernam tãtum in speciem splendere operibus bonis & pijs, sed necesse est, vt in se quoque habeat ardorem charitatis. Nam esse tantum lucernam est summa damnatio, solum splendere alijs magna est vanitas, ardere solum sibi exigui est pretij, sed ardere simul & lucere summa perfectio est.

DISCVRSVS I.

DE COMMVNI APOSTOLORVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Matt. 9. Marc. 3. Luc. 9. I. IESVS *vocatis Discipulis, elegit Apostolos, vt eos secum haberet, & ad prædicandum mitteret.*

II. *Videns turbas sicut oues sine pastore, cœpit mittere binos ante faciem suã, in omnem locum, quò erat venturus; dans eis potestatem in dæmones, & præcepta de caritate, paupertate, & prudentia.*

Ioan. 17. III. *Adijciens non vos me elegistis; sed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.*

FIGVRÆ.

Gen. 31. Exod. 1. 1. IACOB Patriarcha habuit filios duodecim Patriarchas, à quibus descendit & originem traxit totus populus Dei.

Exod. 18 Num. 12 2. Moyses elegit duodecim Principes in duces totius populi Israel, dum in itinere essent in terram promissionis: atque

hi

hi Principes quoque erant illi, qui cum suis tentorijs stabant circum tabernaculum & arcam Domini.

3. Moyses misit duodecim exploratores ad considerandam terram promissionis, quam erat occupaturus. *Num.* 13

4. Salomon constituit duodecim præfectos populi Israel, quorum officium erat, domui regiæ procurare cibum. 3. *Reg.* 4.

PROPHETIÆ.

1. PRO *patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram.* *Psal.* 44

2. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* *Psal* 18.

3. *Constitui super vos speculatores, audite vocem tubæ.* *Iere.* 16.

4. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes toto die & tota nocte, in perpetuum non tacebunt.* *Isai.* 62.

5. *Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacẽ, annuncian tis bona prædicantis salutem, dicentis, Sion regnabit Deus tuus!* *Isai.* 12. *Num.* 1. *Rom.* 10

6. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columba ad fenestras suas?* *Isai.* 60.

7. *Mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes in mare, in Africam & Lydiam tenentes sagittam, in Italiam & Græciam, ad insulas longè, & annunciabunt gloriam meam gentibus.* *Ibid.*

DO-

DOCVMENTA.

1. SCRIPTVM est, à Domino primò electos Apostolos, deinde verò septuaginta duos discipulos, quos misit ad prædicandum, & opem ferēdam omni populo. Neque legimus quemquam illorum ante vocationem se ad obeundum hoc munus obtulisse: imò quen-
Matt. 2. dam se vltro offerentem & dicentem, *Sequar te, quocunque ieris*, repudiauit. Vnde discimus, neminem, quantumuis idoneum se reputet, debere se offerre, vel ingerere ad functionem docendi vel gubernandi alios, sed debere potius expectare, donec ab ijs, qui vices Christi gerunt, vocetur & eligatur; ne, dum falso pietatis zelo quærit lucrificare animas aliorum, perdat suam.

2. Dominus vocauit Apostolos in medio suarum occupationum, alios dum piscarentur, alios dum negotijs temporalibus vacarent, ea re indicans, suum seruitium omnibus huius vitæ occupationibus merito præferendum. Quare magnam timendi causam habent, qui dum sentiunt se à Christo vocari, eum ob commodum aliquod, vel respectum humanum sequi negligunt: quo enim maior est hæc eorum ingratitudo, hoc maius damnum, durioremq; pœnam deinde sunt relaturi.

3. Christus voluit Apostolos tantum esse numero duodecim, vt insinuaret, quemadmodum hic numerus compositus est ex duobus numeris, denario & binario, sic Apostolos, eorumque successores, qui sunt Ecclesiæ pastores & prælati, debere præ omnibus alijs obsequi decem mandatis suæ sanctæ legis, & duo-

bus

bus charitatis, quæ sunt: diligere Deum super omnia, & proximum sicut seipsum.

4. Dominus idcirco tam paucos discipulos ad opem ferendam toti mundo elegit, vt indicaret, licet reuera deberent esse multi prædicatores & pastores Ecclesiæ, tamen semper fore paucos veros operarios, multos autem mercenarios. Semper enim pauci sunt, qui quærunt onus, & laborem, plurimi verò qui sectantur otium, & honores aucupantur. Pauci qui quærunt prodesse alijs, & lucrifacere animas, multi contra, qui quærunt alijs dominari, & lucris inhiant temporalibus. Quare recte dixit Christus discipulis, Dominum rogarent, vt mitteret operarios in messem suã, non quod deessent, aut inopia operariorum idoneorum laboraret, sed quod deessent boni & vtiles operarij, qui semper sunt pauci.

5. Christus vt Apostolos suos extolleret super omnes veteris & noui testamenti sanctos, voluit eos in hac vita omnium hominum esse abiectissimos & contemptissimos, sicut Apostol. Paul. ad Corinth. scribens, de se alijsque Apostolis loquitur. *Puto*, inquit, *quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tãquã mortidestinatos, nos stulti propter Christum, &c.* 1. Cor. 4. Atque eandem normam Dominus cum omnibus alijs suis amicis tenuit, nempè humilians illos quos amat. Quare magnam causam timendi habent, qui semper ad altiora tendunt, & super alios honorari cupiunt, ne tandem ad infimum locum detrudantur: & qui nunc primas sedes occupare conantur, cum pudore & rubore tandem cogantur occupare extremas.

6. Non legimus Apostolos à Spiritu sancto in remotissimas regiones inter barbaras gentes amandatos secum tulisse vllum commeatum

tum pro sua sustentatione: imò à Domino vetitum illis fuit, ne secum ferrent vel pecuniã, vel peram, vel duas tunicas, vel baculum, vt serui Dei intelligant (speciatim qui officio funguntur iuuandi alios) primo, non debere eos pro se nimium esse sollicitos in rebus ad corpus pertinentibus, sed solatium suum quærere in Deo, cuius causa laborant, certo confisi, illum necessaria omnia illis prouisurum, secundum illa verba ab ipso Domino ad eos-
Mat. 6. dẽ Apostolos dicta. *Nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Secundò in ijs quæ ad alios pertinent, mandauit Dominus, ne gestarent baculum, vt intelligant serui eius, non seuerè & imperiosè aduersus alios agendum esse, sed magna cum benignitate & mansuetudine tractandos.

7. Dominus primum dixit ad Apostolos se non esse electum ab ipsis, ipsos autem electos à se: deinde subiunxit vt irent & reportarent fructum, fructumque ipsorum permansurum, quicquid autem peterent Patrem in nomine suo, id cõsecuturos. Quo significabatur primo, eos quibus incumbit cura iuuãdarum animarum, non posse sperare aliquem suorum laborum fructũ, nisi à Deo electi & à Spiritu sancto missi fuerint, per eos qui locum Christi tenent; & quamuis existiment se facere aliquem fructum, is tamen constans & stabilis esse non potest. Deinde etiamsi electi essent à Christo, non debent tamen fructum, quem colligunt suæ attribuere doctrinæ, sed virtuti & gratiæ Patris cœlestis, à quo, si in precibus, eius opem implo-

implorent, omnis eorum sufficientia proficiscitur, sicut dicit Apostol. *Omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Idque vt cõseruentur in humilitate, & non eueniat illis, quod idem Apostolus monet, ne dum alijs prædicant, ipsi à Deo reprobentur. 2. Cor. 3. 1. Cor. 9.

8. Dixit Christus ad Apostolos. *Si de mundo essetis, mundus quod suũ est diligeret, sed quia de mundo non estis, ego elegi vos de mũdo, propterea vos odit mũdus.* Ex his Saluatoris nostri verbis quilibet intelligere potest vtrũ Christi an vero mundi partes sequatur. Nã si, quia conatur vitam instituere piã & sanctã, mundi legibus contrariam, affligitur, persecutiones patitur, contemnitur, omniaq; infœlicissimè cedunt signum est eum exosum mundo; ac proinde electum à Christo, qui verissimè dicit, illos nõ esse de mundo, cum sint potius de cœlo supra mundum. Contra vero si ille, quia conatur amicitiam cum mundo colere, amatur & honoratur ab omnibus, prospere; neque omnia illi cedunt, signum est illum diligi à mundo, ac proinde non parum dubitare debet, num stet à partibus Christi, & sit in numero à Christo electorum. Ioan. 15.

9. Consulebat Dominus Apostolis suis, vt essent in conuersatione cum hominibus simplices sicut columbæ, & prudentes sicut serpẽtes. Columba habet hanc proprietatem; Caret felle & malitia, si pellitur, semper redit, si pulli ei tollãtur gignit alios in eodem etiam nido. Prudentia verò serpẽtis in eo, quod pro defensione capitis, periculo exponat totum corpus. Talis quoq; esse debet verus Christi seruus, & primò imitari simplicitatẽ columbę, cogitãdo bene de omnibus, in bonã partem interpretari quic- Mat. 10.

quicquid illi dictum factumve fuerit, benefacere malè agentibus, nunquam cessare à beneficijs in proximos conferendis, etiam si ingrati sint, & maledictis ab eis afficiatur. Secundò, vt vbi videt periclitari honorem & gloriam Christi capitis nostri, vel animæ suæ salutem quæ est principalis hominis pars imitandam sibi sciat serpentis prudentiam, & exponendas non solum facultates, aliaque bona temporalia, verum etiam vitam, si opus sit, propriam, ad tuendum diuinum thronum & animæ salutem.

DISCVRSVS II.

DE COMMVNI SS. MARTYRVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 24 *Mar.* 13. *Luc.* 21. I. *Prædicit suis flagella, vincula, carceres, &c. monens ne præmeditentur, quid respõdeãt; quia hoc dabit spiritus.*

II. *Adijcit accusandos etiam à proprijs amicis, parentibus filijs, vt morte afficiantur propter nomen eius.*

III. *Qui perseuerauerit in finem, saluus erit; adeo vt capillus non pereat. In patientia possidebunt animas.*

FIGVRÆ.

Genes. 8. I. NOE Patriarcha in renouatione mundi post generale diluuium solenne

lenne sacrificium obtulit Deo ex omni genere animalium, quæ in terra inueniri potuerunt.

2. In dedicatione templi à Rege Salomone exstructi multa millia ouium & boum in sacrificium occisa fuêre. 3. Reg. 8.

3. IONAS in terribili quadam tempestate proiectus in mare à grandi pisce absorptus est: cumque putaretur submersus & mortuus, saluus & incolumis in littus eiectus est. Ion. 2.

PROPHETIÆ.

1 PROpter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Psal 43.

2. *Posuerunt morticinia seruorum suorũ, escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.* Psal. 73.

Effuderunt sanguinẽ eorũ tanquam aquã in circuitu Ierusalẽ, & nõ erat qui sepeliret.

3. *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Psal. 33.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: vnũ ex his non conteretur.

4. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Etsi coram hominibus tormenta passi sunt: spes illorum immortalitate plena est: in paucis vexati, in multis benè disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se,* Sap. 3.

tan-

tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.

DOCVMENTA.

1. CONSVLIT Dominus, ne tempore persecutionum solliciti simus in præmeditando quid respondeamus: se suggesturum illa hora quid respondendum sit aduersariis nostris, vnde discimus idem faciendum in persecutionibus spiritualibus hostium inuisibilium, quãdo dæmon, in rebus, quas constat ad gloriam Dei, aliorumque salutem pertinere, vt deterreat & abducat à bono proposito, obijcit ob oculos difficultates & pericula quæ euenire possunt: suggerens si hoc vel illud eueniat, quid esses acturus? nec enim debemus tunc esse solliciti, vt certò statuamus, quid hoc vel illo casu dicendum agendumve sit: tunc enim Deus non concurrit sua gratia, sicut consueuit concurrere, dum casus illi reipsa eueniunt: respondendum autem est inimico, quod quidam seruus Dei respõdit, dicens: *Quando casus ille euenerit, propè scio quid agendum sit, quid autem ego sim acturus, nescio, nec iam attinet id definire.*

2. Dixit Christus seruos suos à propriis parentibus, cognatis & amicis tradẽdos in mortem & occidendos; vt intelligeremus in nostris tribulationibus persecutionibusque, non debere nos perfugium habere tantum ad parentes & amicos, in illis spem defigere, ex eorum sententia & arbitrio pendere; periculum enim est, ne illi secundum consilium carnis, & mundi nos prodant, & causam præbeant nostræ condemnationis; at debere potius confugere

fugere ad Deum nostrum, amicum fidelem, & verum patrem in eo secure confidere; ab eo omne auxilium & solatium expectare.

3. Non legimus ante Saluatoris aduentum, cùm homines vitam agerent carnalem, inter cognatos, & amicos fuisse aliquam ordinariam persecutionem vt se mutuo traherent ad mortem. At postquam cœpêre amplecti fidem Christi, ac sancte viuere, mox exortæ sunt cognatorum persecutiones sic prorsus, vt nec pater parceret filio, nec filius patri, nec amicus amico. Hic perpetuus fuit mundi mos; vt dum filij mundanam agunt vitam, à parentibus & amicis intimè amentur & diligantur, sed quamprimum vel minimum signum præbent sæculũ deserendi, & Christo adhærendi, ilicò tam parentes quam amici infestissimi eorum hostes fiunt, eosque plus quam alium neminem exagitant & diuexant, secundum illud Domini dictum. *Inimici hominis domestici eius.* Mat. 10

4. Christus hortaturus martyres suos ad vitam pro ipso profundendam, nec dixit, non de corpore, nec de vlla eius parte, eam non periturum. Sed tantum dixit, non periturum vllum capillum capitis, quæ res tam parua est, vt pars corporis dici non possit; vt intelligamus tantam Dei esse bonitatem & liberalitatem erga suos seruos, vt quicquid ei offeratur ad eum colendum, licet minimum, & nullius momenti, ille tamen magni faciat, copioso; præmio aliquãdo sit remuneraturus.

5. *In patientia vestra*, inquit Dominus, *possidebitis animas vestras:* vnde discimus, iniurias nobis ab hominibus illatas non esse nobis noxias, sed potius valere ad comparandã Luc. 21.

patie-

patientiam & per hanc animæ nostræ salutem,
Iacob. 1. nam vt dicit S. Apostolus Iacobus, qui patienter suffert tentationes, recipiet coronam vitæ, sicut contra, qui perdit sapientiam, perdit & coronam.

6. Non dicit Dominus, seruos suos in persecutionibus & patiendo possessuros animas suas, *sed in patientia*, vt indicaret, non sufficere ad salutem si multis afflictionibus & ærumnis obnoxij simus, ac etiam patiamur pro ipso Christo, nisi hæc omnia toleremus patienter & ad finem perseueremus, neque enim pœnæ toleratæ, sed patientia ipsa coronatur.

7. Quemadmodum veri Martyres sunt qui pro gloria Christi & proximi salute contemnunt vitam, sic quando quis vt Christiani hominis officio faciat satis, non laborat, quid homines de se loquantur vel sentiant, sed libere dicit quod putat ad gloriam Dei esse conueniens, aut non erubescit in præsentia aliorum bonum opus exercere: vel certe si religiosus est, nihili pendit, si, quia vel mortificationem aliquam facit, vel regulas suas obseruat, contemnatur, vel etiam stultus habeatur: hic inquam similitudine quadam potest etiam vocari Martyr. Nam sicut martyr anteponit Christum vitæ suæ, sic hic anteponit Christum gratiæ humanæ. Quapropter sicut martyrium est actus summæ perfectionis, ac proinde summo præmio dignus, si antedicti actus ob similitudinem, quam cum martyrio habent, sunt quoque magnæ perfectionis, & in cælo copiose remunerabuntur.

(.·.)

DISCVR-

DISCVRSVS III.
DE COMMVNI SS. CONFESSORVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Vos estis sal terræ; lux mundi; ciuitas supra montem posita. Sic luceat lux vestra coram hominibus &c.* Matt. 5. Luc. 12.

II. *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris, &c. Expectantes Dominum quando reuertatur. Beati &c.*

III. *Quis fidelis dispensator, vt det familiæ, &c? Beatus quē Dominus inuenerit facientem, &c. Super omnia bona constituet eum.*

FIGVRA.

VEteris Legis Sacerdos, inter alia vestimenta, secundum ordinem à Deo præscriptum, habebat vestem hyacinthinam, in cuius extremis partibus pendebant, quasi mala punica coloris varij, mistis in medio aureis tintinnabulis. Exod. 28

PROPHETIAE.

Ierem. 3. 1. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.*

Dan. 12. 2. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam eruditunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Eccl. 44. 3. *Hi sunt viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, corpora ipsorum sepulta sunt, & nomen eorum viuet in generatione & generationem.*

DOCVMENTA.

1. PRÆLATI & Doctores vocantur sal terræ ob vitæ eorum perfectionem, & sanctitatis exemplum, quibus condire debent mentes hominum adhuc terrena sapiſtium. Nimirū sicut sal tres habet proprietates. Prima quod terrā in qua spargitur, reddat sterilem. Altera, quod condiat & sapidos efficiat cibos. Tertia quod exsiccet carnes & à putredine conseruet: Sic Prælati sanctitatis exemplo, & doctrinæ præstantia in subditis cupiditates terrenas refrenant, eosque reddunt steriles mundo. Secundò desiderio sancta sapore deuotionis condiunt & promouent. Tertiò exsiccant carnes, hoc est, homines carnales, præseruando eos à libidinis putredine. Denique sicut per salem designatur virtus discretionis, sic omnia opera quæ exercentur erga sub-

ga subditos hac virtute condienda sunt, reddendo illa hoc modo coram hominibus atque etiam in præsentia Dei sapidiora.

2. Christus primò dixit Apostolis, eos esse sal terræ, postea autem dixit esse lucem mundi, qua re indicatur Prælatos Doctoresque Ecclesiæ primò debere esse salem quoad, viuendo benè & sapienter, deinde præbere lucem prædicando, & docendo alios, salem exemplo, lucem doctrina, secundum exemplum Christi Saluatoris, de quo scriptum est, *Cœpit Iesus facere & docere.* Act. 1.

3. *Sic luceat lux vestra coram hominibus,* inquit, Christus, *vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est,* volens his verbis commonere suę Ecclesiæ Prælatos & Doctores, debere eos lumen præbere alijs non solum doctrina piaque institutione, sed etiam operibus, idque præcipuè, neque enim dixit, *vt homines videant doctrinam vestram*, sed *videant opera vestra bona, & glorificent Patrē cœlestem.* Vbi similiter animaduertant Prælati, non debere eos ex suis bonis operibus propriam aucupari laudem & gloriam, sed tantum Dei, non enim dicit, vt videntes homines opera vestra bona glorificent & collaudent vos, sed dicit, vt glorificent Patrem cœlestem, à quo omne bonum promanat. Matt. 5.

4. Dixit Christus debere nos præcingere lumbos nostros. Duo genera lumborum inueniuntur in nobis. Alij sunt mentis, id est, voluntatis nostræ à qua oriuntur omnes affectus inordinati, & intellectus nostri, à quo procedunt prauæ cogitationes & mala

delideria. Alij deinde ſunt lumbi carnis, à quibus proncíſcuntur cupiditates carnales, & impudica opera. Vtroſque debemus præcingere, cohibereque ne erumpant in cogitationes & actiones illicitas: idque duobus cingulis præſtandum eſt: Primum eſt ſtudium orationis, & aſſidua in lege Dei meditatio, quibus prauæ cogitationes, & deſideria mentis noſtræ facile coercentur. Alterum cingulum eſt vitæ ſeueritas, & corporis afflictio, quibus libidines & incentiua carnis opprimuntur & extinguuntur.

5. Multis modis ſolet Dominus, (vti ille, qui conſuetudine noſtra delectatur) pulſare ad oſtium cordis noſtri, vt ſi vno non aperiatur, aperiatur alio, eumque intro recipiamus. Primo pulſat verbis concionatorum, aliorumque, qui cohortantur, & excitant nos ad bonum. Secundo, pulſat bonis hominum piorum exemplis. Tertio beneficijs ſuis, quibus nos continenter afficit. Quarto iminiſſis flagellis & iniecto terrore æternorum tormentorum. Quinto promiſſione maximorum præmiorum. Contra nonnulli nulla ratione induci poſſunt, vt Domino reſpõdeant, ſic enim obdurati ſunt vt nec concionibus, nec beneficijs, nec timore vllo cor illorum emolliri queat. Alij humiliter reſpondent, ſed patiuntur eum vacuum diſcedere, atque hi ſunt, qui ſimiliter quidem agnoſcunt & fatentur ſe peccatores, ſed nondum habent firmum propoſitum peccata deſerendi. Alij aperiunt quidem, ſed non detinent tam diu ſecum, & hi ſunt, qui ex vna parte ſe emendant, ſed non plene ſatisfaciunt, nihil quidem alienum rapiunt, ſed quod iam rapuêre non reſtituunt. Alij tametſi aperiant eumque recipiant,

piant, nouis tamen hospitibus interuenientibus, pauperē Iesum foras eijciunt. Et hi sunt, de quibus Dominus dixit. *Ad tempus credunt*, & in tempore *tentationis recedunt*, dolent de peccatis & vitam corrigunt, sed quam primum è mūdo vel carne tentatio aliqua in eos irruerit, mox relabuntur. Alij denique non solum confestim illi aperiunt, sed benignè quoque suscipiunt gratamque habitationem in cordibus suis ei præparant: de quibus ipse Dominus dixit, se ad eos ingressurum, cœnaturumque cum illis, & illos secum, quando per aduentum tanti hospitis omnibus bonis & charismatis cœlestibus sunt locupletati. *Luc. 2.* *Apoc. 3.*

6. Dixit præterea Dominus, vt vigilarent, vt quam primum pulsârit, ostium sibi illud patefaciant. Tunc Dominus pulsat animæ nostræ ostium, quando bonam aliquam inspirationem, piumque desiderium nobis immittit, & tunc illi aperimus, quando illi consentimus, probamus, & opere præstamus.

7. Consulit Dominus nobis, vt vigilemus & ad suum aduentum parati simus. Tunc autem vigilanter expectamus aduentum Domini, quando mentis nostræ oculos apertos tenemus ad contemplandum verum lumen, hoc est, cum frequenter cogitamus de Deo, eumque continuè præsentem in omnibus actionibus nostris imaginamur. Tunc quoque vigilamus, quando quod credimus factis implemus. Vigilamus etiam, quando temporis & ignauiæ tenebras depellimus; & cum diligentia ac feruore Christo Domino nostro inseruimus. Tunc denique vigilamus, cum oculis semper obiectam habemus mortis nostræ, & aduentus Domini memoriam, id semper

studentes, ne quid in pectoris nostri domo superfit, quod tanti hospitis oculos offendere possit.

8. Dixit Dominus seruos suos beatos fore, si eos vigilantes in prima vel secunda vigilia inuenerit. Vigiliæ hæ sunt diuersæ ætates vitæ nostræ. Prima vigilia est pueritia. Secunda est adolescentia, & iuuentus. Tertia est senectus. Qui igitur negligentes fuêre, vel vigilare noluere in prima, aduigilent saltem in secunda, qui verò etiam secundam neglexerint sua incuria ne extremum tertiæ vigiliæ repudient remedium, vt saltem in senectute somnum excutiant, nec tantam Dei longanimitatem & patientiam contemnant: valdè enim verendum est, ne, dum expectant misericordiam prorogando pœnitentiã in iudicium incidant: atque tunc eo maior erit contra illos diuinæ iustitiæ seueritas, quanto diuturnior fuerit Dei in expectanda illorum emendatione longanimitas. O quot hodie in mundo florem iuuentutis vanissimè consumunt, ac demum vix senectutis feces pœnitentiæ agendæ tribuunt!

9. Per hunc seruum fidelem, quem Dominus dicit à se constitutum super familiam suam, intelligitur quilibet Christianus. Nam quilibet vocari potest dispensator Domini, ac primo quidem in rebus spiritualibus, quod propriè pertinet ad Prælatos. Secundo in temporalibus quod ad Principes & Iudices sæculares. Tertio in bono vsu gratiæ, & donorum cuique à Domino concessorum, qui consistit in gubernatione suiipsius, & institutione vitæ piæ, quod pertinet ad omnes. Tunc igitur Prælatus, vel Princeps Christianus boni serui officio fungitur, quando donis à Deo acceptis, vt

scien-

scientia, vel potestate & auctoritate, vel opibus, vel aliis bonis vtitur, non in detrimentum subditorum, aut condemnationem propriam, sed in salutem suam commodumque commune aliorum. Nam sicut nemo sibi soli natus est, sed etiam vtilitati proximorum, secundum illud. *Vnicuique mandauit Deus de proximo suo*, ita quilibet existimare debet facultates, quas possidet non sibi soli, sed etiam in beneficium aliorum datas esse.

10. Duas in suis seruis Dominus requirit conditiones: alteram, vt sint fideles: alteram, vt prudentes. Tunc autem seruus Dei fidelis est, quando dona à Deo concessa non sibi adscribit, gloriando in illis, & vanam aucupando hominum laudem ex illis, sed potius attribuit soli Deo, eique gratias agit, & in eum omnem eorum gloriam transfert. Tunc verò est prudens, quando talentum ab eo acceptam neque recondit otiosè, nec vanè consumit, sed vtiliter, diuinæque voluntati conuenienter in salutarem vsum expendit, tanquam de eo aliquando rationem Deo redditurus.

DISCVRSVS IV.

DE COMMVNI VIRGINVM VTRIVSQVE SEXVS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Omnes decem virgines ornauerunt lampades, vt irent obuiam spon-* Mat. 25.

so; sed quinque fatuæ non sumpserunt oleum.

II. *Ob moram, omnes dormitauerunt; donec media nocte venit sponsus, & prudentes, quæ paratæ erant, admissæ sunt.*

III. *Fatuæ veniẽtes inuenerunt ianuam clausam sponso dicente: Amen dico vobis; nescio vos.* Vigilate.

FIGVRA.

Leui. 21. DEvs in veteri lege mandauit, vt summus Pontifex, qui repræsentabat personam Christi, in sponsam acciperet fœminam virginem.

PROPHETIÆ.

Isai. 56. 1. *HÆC dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meũ, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.*

Psal. 44. 2. *Adducentur regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi.*

Sapi 3. 3. *Fœlix est sterilis & incoinquina'a, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit: fructum in respectione animarum sanctarum & spado, qui non operatus est per manus suas iniquita-*

quitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima; dabitur enim illi fidei donum electum & sors in templo Dei acceptissima.

4. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines, & in perpetuum coronata triumphat, inquinatorum certaminum præmium vincens.* Sap. 4.

DOCVMENTA.

1. AIT Euangelium, *Tunc*, id est, in die iudicij regnum cœlorum simile futurum, decem virginibus, quinque prudentibus, & quinque fatuis. Vnde discimus, hoc præsenti tempore, quod est ante diem iudicij, non posse certo cognosci, quæ virgines sint prudentes, & quæ fatuæ. Multi enim extrinsecus videntur prudentes & intrinsecus sunt fatui; sicut contra multi exterius putantur fatui, sed interius sunt prudentissimi, de quibus scriptum est: *Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei?* Quare non debemus ante illius diei aduentum alios iudicare, sed nobis ipsis attendere, & nos ipsos iudicare, ne postea iudicemur à Deo conuenienter consilio Apostoli. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordiũ, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Sap. 3. 1. Cor. 4.

2. Omnes hæ virgines lampades quidem habuere,

habuere, sed non omnes habuere oleum. Quo significatur sæpenumerò contingere, vt æquè improborum, ac proborum hominum opera videantur bona, & laudabilia extrinsecus, sed tamen vere intrinsecus quædam careant oleo, nempe internæ gratiæ & charitatis, quæ est in cordibus nostris, tanquam in vasis. Itaque boni, qui similes sunt virginibus prudentibus, præter bonorum operum lampades habent oleum gratiæ in conscientijs
1. Cor. 1. suis secundum illud Apostoli. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.*
Psal. 44 Et illud Prophetæ. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.* Gloriam vocant gratiam, quia gratia est semen gloriæ. Contra improbi & pseudochristiani, similes virginibus fatuis, non habent hanc gloriam in conscientia, sed tantum foris in ore hominum. Quare & opera eorum apud Deum omni remuneratione carebunt, quoniam mercedem suam tantum quæsiuerunt & acceperunt in hoc mundo.

3. Hæ decem Virgines, de quibus locutus est Christus, tantum erant Virgines, omnes in manibus habebant lampades, omnes similiter obuiam ibant sponso: nec tamen omnes ad salutem peruenerunt, quia quinque à cœlestibus nuptijs sunt excluſæ. Vnde intelligimus, non satis esse ad salutem, abstinere à peccatis, & bonis operibus vacare, sed verenda opera nostra, & vigilandum, discussiendamque diligenter intentionem, ne forte respectu commodi vel voluptatis propriæ facta sint, & quod foris in oculis hominum videtur laudabile, in oculis Dei sit reprehensibile & mercede indignum, simileſque tandem efficiamur fatuarum virginum,

ginum, quæ, quia vanè se de virginitatis virtute iactârant, oleumque humilitatis ex vasis cordium suorum temerè excluserant, meritò à Christo repulsam passæ sunt.

4. Virgines fatuæ, oleo destitutæ dixêre lampades suas extingui. Vnde docemur, quod sit discrimen inter opera, quæ speciem quidem bonitatis præ se ferunt, reipsa tamen bona non sunt, & ea, quæ verè bona sunt & perfecta. Nam licet reproborum opera ad breue tempus videantur lucem quandam & splendorem emittere, nihilominus tamen postea vnà cum ipsis extinguuntur, eò quod post hanc vitam lumen nullum præbeant. Verùm opera electorum, lampadesque prudentum, quia pietatis misericordiæque oleo fouentur & aluntur, post hanc vitam, quando ex his tenebris ad æternam lucem transferuntur longè clarius relucebunt.

5. Hæ Virgines cum lampadibus ornatis obuiam processerunt sponso. Vnde discimus, virginem Christi, si sponso velit placere, & ab eo ad nuptias eius introduci, debere esse similem lampadi benè concinnatæ. Nam sicut ad cõcinnandam ornamdamque lampadem requiruntur quatuor. Primò vitri claritas & nitor. Secundo copia olei. Tertio flammæ ardor. Quarto splendor: sic virgo crystallinæ lampadis instar operam dare debet. Primum, vt sit admodum pura & munda mente & corpore, Secundò vt ardeat puri amoris in Deum flamma, & omnem sensualem & terrenum amorem excludat. Tertio, vt animæ suæ vas plenum habeat oleo deuotionis, orandique studio impẽsè sit addicta: nam vt oleum efficit ardorem

in lampade, sic oratio deuota diuini amoris flammam fouet & conseruat, iuxta
Psal. 38 illud Prophetæ. *In meditatione mea exardescet ignis.* Postremo debet resplendere alijs operum piorum exemplo, & exercere se maximè in humilitate, charitate, obedientia, contemptu sui, & omni honestate.

5. Sponso ad cœlestes nuptias ingresso clausa est ianua. Tres sunt ianuæ, quas Dominus in hoc mundo apertas tenet hominibus, vt ingredi cœlum possint, quæ post iudicij diem omnino claudentur, vt nulli amplius in eas pateat ingressus. Prima est misericordiæ & veniæ, quæ nunc omnibus patet. Altera est gratiæ ad merendum, quæ in hac vita omnibus offertur. Tertia est gloriæ ad ingrediendum regnum, quæ nunc omnibus pœnitentibus aperitur. Itaque illis clausa erit ianua veniæ & meriti, qui in hac vita iacturam fecerunt temporis, quod eis concessum erat ad obtinendam veniam, occasionesque merendi vitam æternam neglexerunt.

7. Quoniam Christus Dominus noster tanti fecit hanc virginitatis virtutem, vt liquet, non modo ex consilio de ea dato, & exemplo suo, suæque purissimæ Matris, alijsque multis argumentis, verum etiam ex eo, quod in cœlo, vti reuelatum est sancto Ioanni Euangelistæ, hic agnus immaculatus speciatim voluerit versari in comitatu Virginum: hinc facilè intelligere possumus, quantum cuique nostrum studium impendendum sit, vt virtutem tam nobilem consequamur, vel certè quoad fieri possit, proximè ad eam accedamus. Quocirca & illi, qui hoc donum à Deo obtinuêre, omne studio enitantur illud

tan-

tanquam prætiosissimam margaritam conseruare. Qui verò hoc flore carent, & coniugii vinculo soluti sunt, cogitent consultius sibi fore, si deinceps in castitate viuant, vt saluti suæ studiosius vacare queant, quam vt graui matrimonij iugo se subijciant. Qui denique iam ligati sunt, colligentur minimum præter castitatem, & honestatem sui status obseruare consilium Apostoli, vt nonnunquam se contineant ex cõsensu ad aliquod tempus, vt eo rectius spiritui & orationi vacare possint. Ex alia parte, si animæ puræ & castæ in altera vita à Christo ad tantum euehuntur honorem, & gloriam, eique tam singulari amore sunt vnitæ, cogita quam execrabiles & abominandæ fuerint in Angelorum, omniumque beatorum præsentia infelices illæ animæ, quæ vitijs carnis fuerint inuolutæ & fædatæ, quantaque indignatione, & ignominia sint à conspectu Dei remouendæ, & in profundissimum sæuissimumque gehennæ infernalis incendium in æternum abiiciendæ & deturbandæ. 1. Cor. 7.

FINIS.

QVINTA PARS.

Appendix pro quibusdam diebus Dominicis ac festis, qui in quatuor partibus superioribus desiderantur.

MEDITATIO I.

DE S. IOANNE IN VINCVLIS.

Mat. 11. I. *Ioannes in vinculis, mittens duos de discipulis, ait illi:* Tu es, qui venturus es (*Messias*) *an alium expectamus?*

II. *Respondit:* IESVS, renuntiate Ioanni, *quæ audistis, & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, pauperes euangelizantur, &c.*

III. *Illis abeuntibus, dixit turbis de Ioanne: Quid existis videre arundinem vento agitatam? in mollibus vestitū? prophetam &c.*

FIGVRÆ.

3. Reg. 22 MIcheas Propheta, eo quod Regi Achab infaustum belli exitum prædixisset,

xisset, missus in carcerem, pane & aqua alitur.

2. Hieremias, quia verbum Dei annunciabat contra Hierusalem, percussus, & in neruam missus est. *Hier. 20*

PROPHETIAE.

1. *DEus veniet, saluabit nos. Tunc aperiẽtur oculi cæcorum, & aures surdorum patebant. &c.* *Isa. 35.*

2. *Spiritus Domini super me &c. misit me vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem.* *Isa. 61.*

3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* *Malac. 3*

DOCVMENTA.

1. IOannes, licet vinctus, non de sua liberatione, sed de discipulorum salute erat solicitus, vt rectè in fide, & vita sancta instituerentur. Idipsum tibi faciendum, neque in tẽtationibus, atq; afflictionibus, quicquam de officio, precibus, &c. remittendum.

2. Ioannes mittit ad Christum, non quasi ipse dubitet, an sit Messias? sed vt Discipulorum ignorantiæ consulat, & miraculis conspectis eos ad Christum pertrahat, cum ipse se breui moriturum præuideret. Sic tu, quos per te non potes, per alios instrue.

3. Christus non fatetur verbis se Messiam esse; sed factis, miraculis, quæ de Messia in Prophetis scripta erãt eos dimittit, sic Christianus quiuis

quiuis non facile seipsum commendare debet; sed id tãtum dicere ad Dei gloriam, quod satis est ad alterius salutem.

4 Sicut Christus hic factis potius, quam verbis respondet; ita æquum est, quemlibet Superiorem, ac magistrum, prius facto præstare, quod subditos suos docere aut suadere volũt.

5. Discipuli Ioannis, quoniam ob zelum & amorem Christo priuatim minus æqui ac fauentes fuerant, occulte hic à Christo reprehẽduntur iis verbis: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*; sic nec occultè peccãtes facile palam arguendi sunt: vti etiam Christus cum Iuda fecit, obscurè monendo vt resipisceret.

6. Christus laudat S. Ioannem discipulis nõ præsentibus, sed absentibus, tum vt notam adulationis effugiat, tum ne illi ex hac laude occasionem caperent (licet sine causa) cum Christo præferendi: sic coram hæreticis, ac improbis, valdè parce ac prudenter, de SS. laudibus loquendum est, ne calumniandi ansam arripiant.

7. Laudatur à Christo vestitus asperitas, ac victus simplicitas, vt scias, Deo vitam religiosam & mortificationem placere.

8. Austeritati hc paupertati coniungitur constantia, quia nulli in fide ac veritate sequenda constantiores sunt, quam qui mundũ, eiusque opes, ac pompas serio contemnunt.

9. Turbis, ac simplicibus hominibus sæpius SS. vitæ atque exempla potius, quam subtiliores conceptus & dogmata proponenda sunt.

***

MEDI-

MEDITATIO II.

DE LEGATIONE IVDAEORVM AD S. IOANNEM BAPT.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Legatis Iudæorum sciscitantibus ex Ioanne*: Tu quis es? *respondit humiliter, se non esse Christum, neque Heliam &c.* Ioan. 1. 19.

II. *Illis instantibus, addit*: Ego vox clamantis in deserto, *parate viam Domini &c.*

III. *Replicantibus: Cur ergo baptizaret? respondit: Ego baptizo in aqua. Medius autẽ vestrum stetit* (Christus) quem vos nescitis, *cuius non sum dignus, vt soluam corrigiam calceam.*

FIGVRA.

AMASIAE Sacerdoti cõsulenti Amos, vt iret in terram Iuda & ibi prophetet, respondit: non sum Propheta, nec filius prophetæ, sed armentarius, vellicans sycomoros.

PRO-

PROPHETIA.

Isa. 40. *VOx clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius &c. omnis vallis implebitur, omnis mons & collis humiliabitur &c.*

DOCVMENTA.

1. IOannes maximi fiebat ab omni hominum genere; quia natiuitas eius fuit admiranda; vixit à pueritia in eremo vitam durissimam, pœnitentiam verbo & exemplo prædicans; veritatis ac iustitiæ amantissimus. Has virtutes imitare, vt apud Deum magnus sis, & perfectionem attingas.

2. Solida virtus, ac vitæ sanctitas, etiam apud improbos & hæreticos (quales erant Pharisæi plerique) suspicitur & honoratur.

3. Ioannes fuit humillimus, non tantum recusans titulum Messiæ; sed negans se esse Heliam, aut Prophetam cum tamen Christus eum vocasset Heliam (spiritu scilicet) *Matt.* 11. & plusquam Prophetam *Io.* 1. Sis & tu humilis, nec de bonis etiam, quæ verè habes (vt est nobilitas, doctrina, sanctitas) te iactes, quamdiu sine mendacio potes silere, aut loqui.

4. Coactus legatorum importunitate, tandem indicat (sed obscurè & cum noua humilitate) se esse eum de quo Isaias prædixit: *vox clamantis in deserto.* Et verè erat Vox, quia omnia, quæ in ipso erant, loquebantur & prædicabant virtutem, pœnitentiam, Christum: eum imitaberis, si non tantum verbo, sed

sed etiam habitu, conuersatione, ac vitæ exemplo suadeas perfectionem.

5. *Baptizo aqua.* Perstat in humilitate, quia hæc virtus debet esse in Christiano (Aug.) prima, media, vltima sicq; euasit captiosas quæstiones inimicorum. Quia vera humilitas omnes laqueos, quibus mundus plenus est, euadit.

6. MEDIVS VESTRVM STETIT, *quem nescitis.* Hæc est improborum ignorantia DEVM (qui vbique est,) non agnoscentium. Tu eum in medio cordis tui habeas, agnoscas, ac reuerearis.

MEDITATIO III.

PRAEDICTIO DOLORVM B. VIRG.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Erant Ioseph & MARIA, mirantes super his, quæ dicebantur de* IESV. Luc. 2.

II. S. *Simeon prædicit matri:* Ecce positus est in ruinam, & *resurrectionem multorum, & in signum cui cõtradicetur & tuam ipsius animam pertransibit gladius &c.*

III. *Puer autem crescebat, & confortabatur & gratia Dei erat in eo.*

FIGVRA.

Ruth.1. NOemi rediens à Moabitis, triſtis, & deſerta dicebat: Nolite vocare me Noemi (pulcram) ſed vocate me MARA (amaram) quia amaritudine repleuit me Dominus.

PROPHETIÆ.

Thre.2. 1. *CVI Exequabo te, Virgo, filia Sion? Magna eſt, velut mare contritio tua.*

Thre.3. 2. *Repleuit me amaritudinibus; inebriauit me abſynthio.*

DOCVMENTA.

1. PArens vterque mirabatur puerum, licet per omnia reliquis pueris ſimilis videretur: quia vterque ſciebat hunc puerum eſſe verè DEVM, Meſſiam, Redemptorem. 1. Ex Virtute Fidei. 2. Ex reuelatione vtriq; ab Angelo facta. 3. Ex omnibus ſacræ Scripturæ teſtimoniis quæ non ignorabant ſed ſæpe meditabantur, & præſertim SS. Patres. Hæc ipſa tè in omnibus Chriſtianæ FIDEI myſteriis confirment maxime SS. Patrum conſenſus. Quia *multa ſupra ſenſum, oſtenſa ſunt tibi.* De quibus ſæpius meditare.

2. Chriſti infantis mores perfectiſſimi fuerunt. Hos imitare, quia ipſe dixit: *niſi efficiamini, ſicut paruuli; non intrabitis in regnum cælorum.* *Mat.18.*

3. S. Simeon inter gaudia (in purificatione habita)

bita) prædicit de afflictionibus matri præcipue euenturis. Vt discas nullum esse purum gaudium, in hoc mundo, sed in cœlo seruari hic vero tribulationem perferendas.

4. Hac Simeonis prædictione B. Virgo excitata est ad multa pro Christo & cum Christo perferenda, immo iam tum particeps facta est gloriæ, promissæ ijs, qui pro Christo patiuntur. Itaque sicut Christo carissima fuit, ita debuit pro eodē plurima pati, vt esset REGINA *Martyrum.* *Vide Iacob. Aluarez Tom. 1. l. 5. cap. 10 Alfons. Rodriquez T. 1. tract. 1. cap. 6.*

5. In Christo quatuor hic laudantur. 1. SAPIENTIA, seu rerū omniū cognitio. 2. GRATIA, qua plenus erat, ab omni macula immunis & omnib. donis ornatus. 3. Quia CRESCEBAT quotidie corpore, & variis sapientiæ affectibus prodendis. 4. Quod maiores VIRES spiritales semper accipere videretur; vt discas quotidie in virtute progressum facere. Quoniam *in via Spiritali, non progredi, regredi est.*

MEDITATIO IV.

DE SEMINE ET ZIZANIIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Homo (Christus) seminauit bonum semen in agro suo, sed cum dormirent homines, inimicus super-seminauit zizania.* Matt. 13

II. *Cum vtrumque creuisset, apparuerunt*

runt, zizania, & serui volebant eradicare, sed prohibuit Dominus, vt crescerent vsque ad messem.

III. *Tempore messis, iussit zizania collecta in ignem conijci, triticum autem in horreum congregari.*

PROPHETIÆ.

Hier 2. PLantauite, *omne semen verum.*
Isai. 61. *Hoc semen cui benedixit Dominus.*

DOCVMENTA.

1. AGer est anima tua aratro contritionis proscindenda, iniecto semine bonorum propositorum (de virtute, exercenda, vitio emendando) orationibus feruentibus & lacrymis irriganda, vt mundo moriatur, Deo viuat.

2. Prouidendum, vt susceptum semen quotidie crescat, & ad maturitatem perueniat, quo in hora mortis, in Domini horreum congregari possis.

3. *Cum dormirent homines &c.* Inimicus quidem per se semper conatur praua superseminare: Sed sæpe negligentia nostra in caussa est, cur locum inueniat. Itaque semper vigila, cum tot habeas inimicos.

4. Diligenti custodia opus est, & animaduersione (maxime in examinandis omnibus propositis, & cogitationibus) ne peruersæ in animo succrescant & bonas suffocent, atque impediant.

5. Zizaniis iniectis *inimicus abiit:* quia hoc

Dæmo-

Dæmonis proprium est, vt animam, quæ malũ semen susceperit, tristem ac perturbatam deserat. Sicut bonus Angelus, bono peracto, eandem lætam ac pacatam reddit.

6. Messores sunt Angeli, tam boni, qui ad hominis bona conuertunt, vt Deo præsentent; quàm mali, qui zizania tua (mala quælibet) simul colligat, vt coram Deo te accusent.

7. Potes ipsemet esse messor, si mala tua scruteris, atq; in examine, confessione, aliisq; exercitiis eradices, aut igne pœnitentiæ & caritatis comburas, teipsum hic iudicando, ne *à Domino iudicêris.*

MEDITATIO V.

DE OPERARIIS VINEAE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Paterfamilias conducens mane operarios conuenit cum illis de denario diurno: mittit alios hora 3. 6. 9. 11. promittens quod iustum foret.* Mat. 20

II. *Vesperi misso procuratore, iussit singulis dari pro mercede vnum denarium, & primis conquerentibus, dixit: non facio tibi iniuriam, accipe quod tuum est &c.*

III. Tan-

III. *Tandem concluſit*: ſic erunt nouiſsimi primi; *& primi nouiſsimi. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.*

FIGVRA.

Exo.12. 37. EX ſexcentis millibus armatorũ præter vulgus innumerabile, qui ex Aegypto profecti ſunt verſus terram promiſſionis, duo tantum, eandem attigerunt, ſcil. Ioſue, & Caleb, reliquis omnibus in itinere, varia occaſione defunctis.

PROPHETIÆ.

Iſa. 5. 7. 1. *VInea Domini Exercituum, Domus Iſrael eſt.*

Hier. 2. 2. *Plantaui te vineam electam.*

Iſa.17. 6 *Pauci ſaluandi erunt, ſicut oliua relicta*

Ib. 24. 13. *in olea.*

DOCVMENTA.

1. VInea, in quam mitteris, vel Eccleſia Dei eſt, in cuius cultu tibi iuxta vocationem tuam, laborandum eſt; vel certè eſt anima tua, quam ita virtutum, palmitibus ornare debes, vt ferat fructus Deo gratos, ac maturos in vitam æternam.

2. Sicut operarii hic variè mittuntur in vineam, venit mane hora 3. 6. 9. 11. Ita ad fidem aut religionem variè vocantur initio, medio, aut in finem vitæ, nullus tamen mercedem accipit

cipit, qui non strenuè laboret, & vsq; ad finem perseueret.

3. Sicut in colenda vinea, multa requiruntur. 1. putatio. 2. ligatura. 3. solis radij. 4. Impinguatio, &c. Sic in salute procuranda. 1. resecanda sunt omnia superflua. 2. ad stipitem (gratiæ Christi) vitis alliganda est, & vinculis firmi propositi; regularum (V. C. Sodalitatis) aut etiam votorum (si Deus inspiret) constringenda. 3. cum feruore magno & caritate opera exequenda. 4. animaq; ipsa crebra confessione purganda, ac pinguissimo SS. Eucharistiæ pane impinguanda est.

4. *Nouissimi* & vltima hora vocati eandem mercedem accipiunt; vt discas Deum non metiri profectum nostrum diuturnitate temporis, quo ei seruimus, sed ex studio verarum solidarumq; virtutum, pura intentione, zelo magno ac feruore, contemptu mundi ac sui, conformitate voluntatis cum diuina in omnibus, æquè aduersis ac prosperis. Hinc vides miraculis inclarescere, & iam qui breui tempore SS. fuerunt.

5. Quoniam dicitur: *Multi vocati, pauci electi*, merito timere debes, nisi paucis bonis te adiungas, & viam angustam quæ ducit ad vitam, ingrediaris. Matt. 7.

MEDITATIO VI.

DE VARIO SEMINE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Dixit turbis: exijt, qui seminat, seminare semen suum.* Matt. 13.

II. *Aliud cecidit secus viam, aliud supra petram, aliud inter spinas.*

III. *Aliud in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.*

FIGVRA.

Gen. 26. 12. DEus, benedixit Isaaco, & seuit, inuenitque ipso anno centuplum.

PROPHETIÆ.

Ps. 218. 2 *FOenum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit.*

Isa. 37. 27. *Vt herba tectorum, quæ exaruit antequam matureſceret.*

DOCVMENTA.

1. DEus, qui nos ad laborem vocat, semen suum (gratiam & auxilia) variis modis impertit, excitando nos ad eius vnitatem agnoscendam, per pulchritudinem cœli ac creaturarum, per legem scriptam in cordibus & conscientiis, per conciones, lectionem piam, inspirationem, exempla leges Ecclesiæ, regulas cuiusque status vim sacramentorum, monita parentum & præceptorum, per morbos, bella &c. Vide quomodo sis vsus hactenus; si non vteris, te fore inexcusabilem. 2. Bonum semen, his mediis cordi iniectum, potest in fructuosum reddi tribus de caussis. 1. Si ad conciones, & alia media, vel non serio attendas, vel non animi proficiendi, aut si ad te pertinere non putes vel contemnas. 2. Si attendas

tendas quidem, sed cor durum retineas, vt nolis occasiones veteres delinquendi mutare metu alicuius confusionis, irrisionis, vel afflictionis. 3. si paratus quidem sis ad omnia facienda, sed animo nimis intentus sis opibus congerendis, rei domesticæ curandæ, venationi, aliisque recreationibus studijs litterarum, vt præ aliis excellas; quia hæc immoderata cupiditas (tanquam spinæ) suffocat spiritum pietatis, vt orandi, meditandi, se mortificandi.

3. Terra bona est cor bonum, seu voluntas optima, quam DEVS sibi offerri cupit, dicens: *Prou. 3. fili*, præbe mihi cor: hoc ei offer, rogans, vt quocunque voluerit, inflectat.

4. Cor *bonum* offert, qui paratus est seruare præcepta Dei & Ecclesiæ, ne gratiâ excidat, Cor *optimum* qui paratus est, & bona facere, & mala (vt tribulationes) pœnas voluntarias, opprobria, immo & mortem ipsam pro Christo sustinere.

MEDITATIO VII.

DE CHRISTI INNOCENTIA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Dixit Iudæis: quis ex vobis, arguet me de peccato? qui ex Deo est, verba Dei audit &c.* Ioan. 8.

II. *Dicentibus: Samaritanus es, & dæmonium habes; respondit* Dæmonium *non habeo, sed glorifico patrem meum, &c.*

III. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum &c. Tulerunt lapides, ille abscondit se &c.*

FIGVRA.

Hier. 42 & 43. Hieremiæ voluntatem Dei significanti (ne iret in AEgyptum) populus obtemperare noluit, sed mendacem appellans, lapidibus obruit.

PROPHETIÆ.

Dan. 9. *VNgetur Sanctus sanctorum.*
Ps 44. 8 *Vnxit Deus, oleo lætitiæ, præ cõsortibus.*
Isa. 11. 5. *Erit iustitia cingulum laborum eius.*

DOCVMENTA.

1. CVM à Christo, Christianus dicaris, debes ad eam innocentiam aspirare, vt purus sis à mortalibus, (adeo vt moriendum tibi potius decernas, quam in tale peccatum incidas) imo nec in venialia quidem (maximè si religiosus sis) deliberato consentias, atque etiam imperfectiones, quæ peccata non sunt, euites.

2. Si verbum Dei, exhortationes pias, inspiratio-

rationes diuinas libenter audias, & exequaris, signum est, te ex Deo esse; si secus fiat, signũ est in gratia Dei. te nõ esse, aut in numero prædestinatorum.

3. Christus cum Samaritanus vocaretur (id est indignus ipsorum conuersatione) dissimulauit patitẽter, quia erat tãtum contumelia personę, & sensum bonum habere potest Samaritanus, id est, custos erat. At cũ diceretur: *Dæmonium habes*, mitissime negat. *Dæmoniũ non habeo.* Vt in vtroq; (si occasio ferat) imiteris.

4. *Non quæro gloriam, &c.* Si vis haberi filius Dei: hoc indica quærendo Patris gloriã, non tuam, quam nonnulli furiose quærunt ac vindicant etiam cum sanguine proprio.

5. *Si quis sermonem meum seruauerit*, magna promissio atq; ab eo facta, qui nec falli nec fallere potest; maxime de Spiritali animæ morte ac vita, vt non tantum viuat, sed etiam felicissimè viuat in æternum.

MEDITATIO VIII.

DE BONO PASTORE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Dixit Iesus turbis*: Ego sum pastor bonus: *Bonus pastor* ponit animã *suam pro ouibus suis.* *Ioan. 10.*

II. *Mercenarius viso lupo dimittit oues & fugit.*

III. *Cognosco oues meas, & cognoscunt*

me meæ: alias oues habeo, illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor.

FIGVRÆ.

Gen.31.38 1. IAcob seruiuit Laban annis 20. ea diligentia, vt æstu sæpe vteretur ac gelu, & somnus fugeret ab oculis eius, etiamsi Laban 10. vicibus mercedem eius mutaret.

1.Reg.17. 2. Dauid pascens greges patris, non raro vitæ periculum adijt, vrsis ac leonibus sese opponens.

PROPHETIÆ.

Isa.40.11 *SIcut pastor gregem suum pascet in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.*

Ps.22.1. *Dominus regit me & mihi nihil deerit; in loco pascuæ ibi me collocauit.*

Eze.34. 23. *Suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascet eas.*

DOCVMENTA.

1. PAstores sunt omnes superiores vt sunt Paterfamilias, Præceptor, Confessarius, cõcionator, & quiuis ratione animæ suę & potentiarum. Itaque prouidendum, vt officio suo fungatur.

2. BONVS est PASTOR, qui suos pascit cibo corporali & spirituali; itẽ verbo & exemplo. Quis autem bonus, si sit simplex, humilis, in-

no-

nocens, vtilis aliis, & patiens in aduersis.

3. *Animam ponit* pro ouibus, qui mundo & dæmoni se opponit, cohibendo intellectum, voluntatem ne peccato consentiant, eligendo potius mori, quam peccatum mortale: per visum, tactum &c. admittere.

4. *Mercenarius est*, qui non quærit in operibus suis (v. c. concionibus, lectionibus, frequentatione templi &c.) suam vel aliorum salutem, sed gloriam mundi & vanitatem.

5. *Lupo veniente* fugit, qui orta tentatione mundi, carnis &c. non adhibet ieiunia, vigilias, cilicia, sed fugit pœnitentiam, sinens se à tentatione superari, deuorari: immo fit seruus Carnis, peccati *&c. à quo enim quis superatus est, huius & seruus est. 2. Pet.* 2.19. *Ioan.* 8. *Rom.* 6.

6. Tunc *oues* tuas *cognosces*, si tuam imbecillitatem, imperfectiones, lapsusque quotidianos per examen explores; *cognoscens* vero ab eis, si omnes potentiæ ac sensus tui, voluntati ac rationi subiiciantur; & ipsa ratio subiiciatur Deo.

MEDITATIO IX.

DE MODICO HVIVS VITAE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Dixit Iesus Discipulis:* Modicum, & iam non videbitis me, *& iterū modicum, & videbitis me; quia* vado ad patrem. *Ioan.* 16.

II. *Discipulis non intelligentibus hoc dictum, ac derogare paratis, præuenit, significans, se loqui de tristitia ipsorum & mundi gaudio: ac vtriusque conuersione.*

III. *Videbitis me, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

PROPHETIÆ.

Iob 20. 5 *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.*

c. 21. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

Sap. 5. *Ambulauimus vias difficiles, & sol iustitiæ non illuxit nobis.*

Et subito nati desijmus esse.

Iac. 4. 14 *Quid est vita? Vapor ad modicum parens.*

DOCVMENTA.

1. SICVT Christus prædicit hic Apostolis passionem & futuram postea lætitiam; ita & suis mala in hac vita tum prædicit (vt præuisa minus feriant) & addit læta simul, ne tentationi succumbant.

2. Bonis nuntiantur & eueniunt primũ tristia; postea iucunda: at malis contrarium euenit.

1. læta; pòst tristia nam peccatores in mundo consolationem quærentes, ignibus sempiternis ardebunt; at pii in cœlis æternum gaudebunt.

3. Tan-

3. Tanta est Domini bonitas, vt volentes aliquid petere (sicut hic discipulis factum) ipse præueniat.

4. Officium pij hominis in hac lacrymarum valle est, flere potius quam gaudere. 1. propter ea, quibus Christū fugamus. 2. propter tentationes continuas. 3. ob Christi passionem meditandam.

5. MODICVM, est tristitia huius vitæ, quæ comparatur vmbræ, vapori, momento.

6. Iustus pro tribulatione vnius momenti; recipit non tantum hic consolationem; sed & regnum sempiter: num impius è contrario, pro breuissima voluptatula, subit pœnas sempiternas, vt dixit Abraham epuloni, *fili recordare, quia in vita tua recepisti bona; & Lazarus similiter mala. Nunc autem ille consolatur, tu verò cruciaris.* Sæpe considerabat Apostolus. *non sunt condignæ passiones huius temporis,* (qualescunq; sint, etsi videantur graues & diuturnæ) *ad futuram gloriam &c. momētaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublime æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Rom. 8. 2. Cor. 4. 17.

MEDITATIO X.

DE QVIBVSDAM EFFECTIS SPIRITVS S.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Dixit Iesus discipulis: vado ad Patrē, & nemo interrogat:* quo vadis? *sed* Ioan. 16.

expedit

expedit vobis, vt vadam: aliàs paraclytus non veniet.

II. *Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato, iustitia & iudicio.*

III. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.*

PROPHETIÆ. (ctã.

Psa.142. 10. *Spiritus tuus bonus deducet me in terrã re-*
Spiritum Sãctum tuum ne auferas à me.
Spiritu principali confirma me.

Ps.50.12. *Emitte spiritum tuum & creabuntur, &*
Ps.105.30 *renouabis faciem terræ.*

Verbo Domini, cœli (Spiritu Apostol. & SS.) firmati sunt.

Ps.32.6 *Et spiritu oris eius? omnis virtus eorum.*

DOCVMENTA.

1. CHristus iturus ad passionem, dicit se ire *ad patrem*; vt discas viam crucis, esse viam rectam, quę multo certius ad cœlum ducat.

2. Exprobrat Discipulis Dominus, quod nemo roget: QVO VADIS? vt assuefacias te ad examinandas intẽtiones, & statũ vitę tuæ, perpendendo, quid quæras? Quo in statu res tuæ sint? si tibi iam moriendum foret.

3. Dominus prænunciat ascensionem suam, & postea plenariã spiritus S. missionẽ, vt scias te post tribulationes & passionem, corpore & animo, Deo perfectè fruiturum.

4. Chri-

4. Christus subtraxit discipulis præsentiam corporis sui, cui nimium adhærebant, vt reciperent Spiritum sanctum; vt scias mentem à rebus mundanis, & sensualibus abstrahendam, si cœlestes consolationes expectas.

5. In apostolis (qui antea valdè timidi erant) cuidens Spiritus S. signum fuit, quòd arguerēt malos homines libere, 1. de peccatis, à quibus conuerti nollent. 2. de Iustitia, quam fide susceptam, negligerent. 3. de Iudicio, quia in nullo fere ita homines peccant, sicut de aliis iudicando. Colliges & tu, Spiritum Sanctum in te esse, si hæc ipsa, in aliis & in teipso arguas.

6. *Non potestis portare &c. immensa* est Dei bonitas, quæ nobis se accommodat, nec plura, quam possimus, exigit. Non ita mundus, &c.

7. *Multa habeo* &c. Licet aliquid tibi profeciſſe videaris, tamen scias tibi adhuc multū supereſſe.

8. Tanta est Christi erga nos caritas, vt non tantum ipse nobiscum maneat in SS. Eucharistia, sed etiam nobis spiritum suum largiatur, qui nos doccat, & nobiscum perseueret, ne in fide erremus, aut in peccata prolabamur.

MEDITATIO XI.
DE ORATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Dixit Iesus discipulis: Amen dico vobis,* Ioannis

bis, si quid petieritis PATREM *in nomine meo,* dabit vobis.

II. *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.*

III. *Ipse pater amat vos; quia vos me amastis.*

PROPHETIÆ.

Psal. 118 OS *meum, aperui* (in oratione) *& attraxi Spiritum.*

Eccl. 39. 6. *Iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculo, etiam in conspectu altissimi pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus volet, spiritu intellig. replebit &c.*

Sap. 10. 12. *De Iacob. Certamen forte dedit illi, (in oratione cum Angelo) vt vinceret.*

DOCVMENTA.

1. QVantum discrimen est inter Reges huius mundi, & Regem cœli? Illi paucos, eosque ferè magnates ad suum colloquium admittunt. At cœlestis non tantum admittit, etiam vilissimum quemque, sed etiam inuitat, & tanta cum asseueratione promittat; pudeat te, si quando pro re vili tale colloquium intermittis.

2. Si exaudiri desideras, vide vt secundum formam Christi petas. 1. Aliquid magnum, quod ad æternam salutem pertineat. 2. petas à Patre, tanquam eius filius, in statu gratiæ (per confessionem aut contritionem) constitutus. 3. petas in nomine Christi, per illius scilic. merita

merita, per quem Deus pacificare vult omnia quæ in cœlis, & in terra continentur.

3. *Petite & accipietis.* Causa paupertatis tuæ spiritalis (defectus gratiæ cœlestis & virtutum solidarum) tu ipse es, tua negligentiâ & tarditate; quia Deus ipse semper largiri paratus est, modo tu petas, & ad eius voluntatem te pariter accommodes.

4. *Petite, vt gaudium vestrum sit plenum.* Rebus huius mundi (v.c. diuitijs, voluptatibus) anima, quæ naturæ cœlestis est, saturari ac repleri non potest. Vnde ad Deum ipsum ac res cœlestes (quibus integrè acquiescit ac repletur) aspirandum est; tum in hac vita, in qua similitudo quædam beatitudinis habetur; tum in futura, in qua Deus veram & integram fœlicitatem electis suis ostendet, & erit OMNIA IN OMNIBVS.

MEDITATIO XII.

DE APOSTOL. TESTIMONIO AC PERSECVTIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Dixit* IESVS *Discipulis Spiritus sanctus testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.* Ioan. 15. & 16.

II. *Ne scandalizemini; absque Synagogis facient vos.*

III. *Venit hora, cum, qui vos occiderit, arbitrabitur obsequium se præ-*

stare Deo, recordamini quia dixi vobis.

PROPHETIÆ.

Ps. 18. 5. IN *omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorũ,* quod de Apostolis dictum esse S. Paulus explicat.

Ro. 10. 18.

Psal. 43. 22. *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus oues occisionis* ad Rom. 8. 36. applicat.

DOCVMENTA.

1. SPIRITVS sanctus est paracletus, id est, consolator, vt scias te vel alium quempiam, habere Spiritum sanctum, si miseris atque afflictis viscera misericordiæ ostendas.

2. Est item Spiritus veritatis, vt si Spiritu sancto frui velis, falsitatem omnem detesteris, tam in verbis, (omne mendacium etiam iocosum aut officium deuitando) quam factis seu vita ipsa, curando vt talis in rei veritate sis interius, qualis apparere optas exterius.

3. Spiritus sanctus primum testimonium perhibuit Apostolis de Christo, eos de diuinitate eius instruendo & inflammando interius, vt ipsi postea, incensi calore illo cœlesti ac diuino, alios inflammarent: Idipsum & tu conâre, vt feruorem internum, sancti Spiritus ope concipias, quem in alios, occasione data, aut quæsita diffundas; nec quicquam patiaris in Christum, Sanctos, in Ecclesiam, aut eius Caput (Pontificem) proferri.

Chri-

4. Christus sæpissimè prædicit Apostolis persecutiones & odium Iudæorum, Gentilium, &c. ne inter patiendum deficerent, aut se deceptos putarent. Et tu (si aliorum curam habeas) conare eos non tantum ad bonam vitam adducere, sed in eadem retinere, vt proficiant; Neque tu ipse aut labore & contradictionibus tristeris, aut ab incepto desistas; quin potius plura faciendo ac patiendo, coronam tuam in cœlis augeas.

5. Iudæi ac Gentiles, vt phrenetici in Apostolos (Medicos ac Doctores) insurrexerunt, eosque occiderunt, quos postea (ad Deum cōuersi) honorarunt. Idipsum etiamnum, inter hæreticos ac malos Christianos euenit, qui pios Doctores ac Deo addictos persequuntur. Tu exemplo Apostolorum, ad acerba omnia pro Deo perferenda præpares, sciens summam esse caritatem, si animam pro Deo ponas.

MEDITATIO XIII.
DE NICODEMO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Nicodemus, Princeps veniens ad* IESVM *noctu, petijt, instrui, agnoscens eum Magistrum à Deo missum, ob signa, &c.* Ioan. 3.

II. *Christus prædicans ei baptismū & spiritalem vitam ait: Nisi quis renatus fuerit*

fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non intrabit in regnum Dei. Quod natum est ex spiritu spiritus est, &c.

III. IESVS *post longam instructionem, de cruce concludit: Sicut Moyses exaltauit serpentẽ in deserto; ita exaltari oportet filium hominis.*

FIGVRA.

Nu.21.9 CVM Israelitæ in deserto, ob crimen murmurationis à serpentibus ignitis occiderentur, mandauit Deus Moysi, vt serpentum æneum (Christi repræsentationem) erigeret, vt qui aspicerent, sanarentur.

PROPHETIÆ.

Eccl.6. 36. *SI videris sensatũ, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.*

Ps.33.6. *Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.*

DOCVMENTA.

1. NICODEMVS Princeps, legis Doctor &c. potius ob respectus humanos impeditur ad Christum accedere, adeò vt nocte veniat. Vt discas bona fortunæ, nobilitatem, doctrinam &c.) sæpe salutem impedire.

2. Christus magna cum sapientia cum Nicodemo agit. Nam non reprehẽdit statim initio

tio vel ruditatem eius, vel timiditatem (quod metu humano, noctu veniret, &c.) Sed prius in medio sermone post doctrinam traditam: es Magister in Israel & hæc ignoras? vti assuescas & tu, cum hominibus rudibus & imperfectis, patienter & prudenter agere.

3. Instruit eum de præcipuis mysterijs fidei, scilicet, de Baptismo, SS. Trinit. pœnitentia, incarnatione, signo crucis, passione, ascensione, vita spiritali & æternali, vt tu, & in horum cognitione, præ alijs, proficere studeas, & alios, cum quibus agis, pro captu instruere.

4. Sicut infans ob peccatum originale, regni cœlestis spem habere non potest, nisi renascatur ex aqua & Spiritu sancto (per baptismum) ita & peccator ob mortale admissum nequit saluari, nisi per baptismum lacrymarum (in dolore & contritione) ac per gratiam Spiritus sancti; *Vt natus ex Spiritu*, viuat non secundum carnem, sed secundum spiritū, ambulans (ait Apostolus.) *Gal. 5.*

5. *Exaltari oportet Filium hominis:* Christus sæpius de sua passione loquitur, tum quia Deus per illam præcipuè mundum redimendum statuerat; tum etiam prophetæ sæpissimè eandem prædixerant, & variis typis ac figuris repræsentarant. Vt tu in eiusdem passionis lectione, meditatione atque imitatione occupes in eaq; acquiescas.

6. Sanctissimam Eucharistiam, in eiusdem passionis commemorationem fieri, ac sumi voluit, vt intelligas hoc esse vnum ex præcipuis medijs ad conuersionem peccatoris, & vitam nostram piè, sancteque instituendam.

7. *Exaltari oportet.* Non tantum, quia toties à Prophetis prædictum fuerat; sed quia Deus PATER ab æterno ita decreuerat; &

FI-

FILIVS ipsè, ex infinito in genus humanum amore, lubens, volensque assumpserat. Vt infinitam SS. Trinitatis caritatem agnoscas.

MEDITATIO XIV.

DE EPVLONE AC LAZARO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Luc. 16. I. *Dives quidē indutus purpura & byssō, viuebat splendidè, pauperi nihil tribuens, hic mortuus est, & sepultus in inferno.*

II. *Mendicus autem Lazarus, vlceribus plenus, iacens ad portam diuitis, nec micas obtinebat: huius animam Angeli tulerant in sinum Abrahæ.*

III. *Dives in flammis constitutus, vidit Lazarum petijt guttam aquæ vt refrigeraretur. Sed Abraham respōdit:* Recordare quod tu, in vita recepisti bona; *Lazarus mala. Nunc hic consolatur; tu cruciaris.*

FIGVRA.

IACOB filios Ioseph benedicturus, manus cancellatim imponendo, ei, qui à dextris

dextris erat, sinistram; ei verò, qui à sinistris fuerat, dextram superposuit.

PROPHETIÆ.

Dvcant in bonis dies suos, & in puncto ad inferam descendent. Iob. 21.

Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Psal. 115.

Mors peccatorum pessima. Psal. 33.

Nos insensati vitam illorũ æstimabamus insaniam. Sap. 5. 4.

Transierunt omnia tãquam umbra &c. 13. nos nati desijmus esse. Vers. 9.

DOCVMENTA.

1. NOMEN nullum diuiti hic datur, tum quia apud Deum, impiorũ nomina delentur de libro viuentium; tum etiam quia sæpè eorum memoria etiam apud homines perit.

2. Diues hic tribus vitijs præcipuè deditus erat. 1. Superbiæ hinc byssо induebatur. 2. Intemperantiç, hinc viuebat quotidie splendidè. 3. Auaritiæ, & hinc pauperi nihil dabat. Ideoque iure punitus est. 1. vt flammis totus circũdaretur. 2. vt siti præcipuè cruciaretur. 3. in summa inopia, ne guttam obtineret.

3. *Sepultus est in inferno.* Vt hinc discas qualis ille sit locus, nempe profundissimus, plenus tenebrarum & horroris; in quem qui ingreditur, non exibit in æternum.

4. E contrario mendici nomen in Euangelio exprimitur quia pij post mortem, & apud Deũ perpetuo vigent, & in hoc etiam mũdo, varijs modis in Ecclesia honorantur.

4. Laza-

4. Lazaro non tam profuit inopia, infirmitas &c. quam patientia, & voluntas, qua has miserias tulit, vt discas amare paupertatẽ voluntariam, vestitus vilitatem, ieiunia aliasque carnis afflictiones. Immo & morbi sæpè plus prosunt ad salutem, quam bona valetudo & sanitas.

5. *Recepisti bona &c.* Deus tanquam iustus iudex ita omnia disponit, vt nec vllum bonum sine mercede (in hac vel futura vita) maneat; nec vllum malum impunitum.

6. Communis hæc est cõmutatio, vt qui hic in mundo & cum mundo lætatus fuerit, in futuro, crucietur; & è contrario, qui pro Christo ac pietate, multa hic passus fuerit, in futura vita gaudium ac consolationem recipiat. Tu vide vtrum potius eligas, ne te postea (cum res emendari non poterit) pœniteat.

MEDITATIO XV.

DE COENA MAGNA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Luc. 14. I. *Homo quidã* fecit cœnã magnam *& per seruum* vocauit multos.

II. Cœperunt se singuli *excusare. 1. ob villam. 2. ob iuga boum. 3. ob vxorem ductam.*

III. Iratus Dominus *curauit vocari* pauperes, debiles, cęcos, claudos, *vt impleatur domus.*

PRO-

PROPHETIÆ.

Sapientia ædificauit domum (Ecclesiæ) *immolauit victimas* (in sacrificio Missæ) *proposuit mẽsam suam* (*in sumptione SS. Eucharistiæ.* Pro. 9.2

Et faciet Dominus omnibus populis in mõte (*in Sion vel in Cœlo*) *conuiuium pinguiũ, conuiuium vindemiæ.* Isa. 25.6

DOCVMENTA.

1. QVI vocat, est Christus, Deus & Homo ad cœlestem gloriam, quæ *Cœna* dicitur, quia illis dabitur, qui in hac vita vsque ad mortem pro Christi nomine deluda-rint, vt ad eam anheles, sicut operarij inter labores ad Cœnam anhelant.

2. Hæc Cœna dicitur *Magna*, 1. ob rerum copiam, delicias, ac satietatem. 2. ob conuiuarum multitudinem ac varietatem. Erunt enim ibi omnes Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines omnesque SS. Veteris ac Noui Testamenti; & ex hac societate, lętitia vehementer augebitur. 3. ob durationem perpetuam in hac felicitate. 4. ob maximam familiaritatem & coniunctionem. Erunt enim omnes inter se coniunctissimi, animo & corpore, vnusq; de alterius gloria, tanquam de sua gaudebit.

3. Tria hominum genera præcipuè, hic sese excusant. 1. Ementes villam, ambitiosi scilicet, qui magni, docti, ac potentes videri volũt. 2. Ementes iuga boum, auaritiæ dediti, qui plus æquo opibus congerendis sese occupant.

3. Ducen-

3. Ducentes vxorem, ac nimium voluptatibus carnis, ebrietati, ludis, ac proprio iudicio dediti.

4. E contrario, fœlices illi, qui hæc impedimenta remouent vt faciunt boni religiosi, 1. per obedientiam, voluntatem propriam abdicantes. 2. per paupertatem huius mundi bona deserentes, ac 3. per castitatem, omnem à se inordinatam voluptatem præscindentes.

5. *Iratus, &c.* Valdè periculosum est, non satisfacere inspirationi diuinæ, qua aliquando ad vitam piam & sanctam inuitamur; quia verendum sæpè est, ne nobis meritò desertis, alius coronam nostram accipiat.

6. Regno cœlesti hinc aptiores indicantur. 1. *Pauperes*, quales sunt religiosi boni, qui simplici victu, ac vestitu contenti diuitias cõtemnunt. 2 *Debiles*, qui de suis viribus diffidentes, gratiæ Dei præcipuè innituntur. 3 *Cæci*, qui credunt simpliciter quod Ecclesia proponit, neque iudicium suum sequũtur. 4 *Claudi*, qui nihil se facere posse agnoscunt, nisi auxilio gratiæ cœlestis fulciantur. 5. qui *cogi se sinunt*, ad alterius arbitrium viuentes subesse potius quam præesse exoptant.

7. Eadem Cœna de SS. Eucharistia intelligi potest, in qua Deus nobis Christum proponit, omne dectamentum in se habentem. Sed multi ab ea se excusant, & eadem, ob peccata sua indigni sunt, admittuntur humiles, qui peccata confitentur & vitant.

MEDI-

MEDITATIO XVI.
DE OVE PERDITA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Scribæ & Phariſæi murmurabant,* quod Chriſtus peccatores ſuſciperet, & manducaret cum illis. *Luc. 15.*

II. *Chriſtus ſe excuſat, ſimilitudine allata, tum de eo, qui vna ex 100. ouibus amiſſa, illam cum labore quæſiuit & cum gaudio reportauit; tum de muliere drachmam requirente.*

III. *Concludit:* gaudium *fore* coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam 99 iuſtis.

PROPHETIAE.

SICVT *paſtor gregem ſuum paſcet; in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu leuabit fœtas ipſe portauit.* *Iſai. 40. 11.*

In Ezech. c. 34. a. verſ. 2. ad 11 reprehendit malos, ab 11. ad 18. officia ſua recenſet. Verſ. 16. Quod perierat requiram, &c quod pingue cuſtodiam. *Ezec. 34.*

DOCV-

DOCVMENTA.

1. IMMENSA est caritas Christi Domini, qui peccatorem nullum, etiamsi maxima ab eo iniuria affectus sit, contemnat, sed per pœnitentiam benignè recipiat, atque ad mensam suam admissum, pretiosissimo corporis sui cibo saginet atque reficiat.

2. E Contrario extrema erat Pharisæorum malitia, qui hac Christi benignitate, & aliorum sese emendantium pietate atque exemplo peiores euadebant, murmurantes ac reprehendentes, vt discas hoc esse mundi ac malorum ingenium, vt pijs detrahant, eosque irrisionibus ac varijs modis impediant.

3. Oues illæ 99. sunt omnes Angelorum chori, immensa multitudine, in montibus æternis Deo adhærentes: ouis autem est humanum genus, pro quo requirendo Christus incarnari voluit, tota vita perquirere ac tandem humeris impositum (quando in cruce peccata expiauit) ad caulas cœlestes, cum Patris cœlestis & Angelorum gaudio referre. Quin immò tanta est eius caritas, vt paratus fuerit, & etiamnum sit, pro te solo, hæc eadem præstare (si ita Patri æterno videretur) quod agnoscens Gal. 2. Apostolus dicebat. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

4. Per mulierem illam spiritaliter intelligi potest B. V. quæ accensa fidei lucerna, euerrit domum animæ suæ, sic vt nullas omninò habuerit peccati sordes, crebrisque precibus, cœli fores pulsans, tandē inuenit drachmam, id est, gratiam concipiendi Christum, vt hominem ad imaginem Dei formatum à puluere peccati liberaret. Vnde & illa, statim cō-

cepto

cepto Dei verbo, in montana conscendit salutatura Elizabethã, quæ de benedicto fructu ei congratulata est.

5. Si Angeli (qui tamen alterius naturæ sunt, ad pœnitentiam peccatoris gaudeant, quanto magis nos, de fratris nostri salute gaudere conuenit, & pro eadem procuranda laborare?

6. Nulli vnquam de salute consequenda desperandum, cum Christus pro eo, & tanta fecerit, & plura facere paratus sit; immò & Pater cœlestis, Angelique ipsi eum expectent, modò homo ipse, sibi non desit.

MEDITATIO XVII.

DE MISERICORDIA ET IVDICIO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est, nolite iudicare, & non iudicabimini.* Luc. 6.

II. *Date & dabitur, &c. Eadem mensura remetietur vobis.*

III. *Quid vides festucam in oculo fratris; & trabem in oculo tuo non consideras?* Eijce primum trabem, *&c.*

PROPHETIÆ.

Misericordiam volui & non sacrificium. Facere misericordiam & iudicium magis placet, Deo quam victima. Mic. 6. 6. Prou. 21. 3.

Ibid.2. *Qui sequitur iustitiam & misericordiã, inueniet vitam, misericordiam & gloriam.*

Isa.33.1. *Iudiciũ sine misericordia, ei qui non facit misericordiã, væ qui spernis; nonne & ipse sperneris? cum desieris cõtemnere, contẽneris.*

DOCVMENTA.

1. SICVT optimorum filiorum est, vt parenti suo (si bonus sit) quam simillimũ esse velint; ita bonos Christianos decet, quã proxime imitari patrem cœlestem ac præcipue in misericordia erga inimicos, quos Deus, sæpè præueniendo, ac gratiam largiendo, cõuertit, & saluos facit.

2. Optimum item erga fratres caritatẽ ostendere, neq; quenquam iudicare (si superior non sis) sed omnia in optimam partem interpretari; iudicando potius tua peccata ac cogitando

Ioan. 8. illud Christi, *qui sine peccato est, primus in eam lapidẽ mittat*, loquebatur de adultera quã Iudæi grauiter accusabãt, & occidi volebãt.

3. Hoc etiam vtilitatis, qui alium nõ iudicat consequitur, vt Deus (qui maximè misericors est, & filios sibi similes tenerrimè amat) ipsi ignoscat peccata, & ne in alia incidat, eum sua gratia protegat, ac defendat.

4. *Date & dabitur vobis.* Deus tam liberalis est, vt eleemosynam, licet exiguam bono animo impẽsam, vel opus aliud misericordiæ, proximo propter Deum exhibitũ sine mercede abire non permittat, sed vel spiritali vel temporali aliquo dono quã liberalissimè cõpẽset.

5. *Mensuram bonam*, &c. *mensura bona*, sunt bona fortunæ, quæ Deus liberalibus cõcedit, *mens cogitata*, bonæ gratiæ, quæ

mul-

multis partibus excedunt pretium datæ eleemosynæ; *mensura superfluens*, sunt bona gloriæ, quę per opera misericordię meremur, & sine comparatione, omnia temporalia excedunt, & hominem omni ex parte beatum reddunt.

6. *Quid vides festucam?* amor proprius hoc facit, vt vitia nostra, quæ sunt aliquando maiora, instar trabis, vix in nobis agnoscamus, cum minora, quæ sunt instar festucæ, in aliorum vita ac moribus reprehendamus. Mortificandus itaque est hic amor proprius, & vera Caritas, *quæ nõ iudicat quemquam*, in omnibus actibus ostendenda.

MEDITATIO XVIII.

DE IVSTITIA PHARISÆORVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. Nisi abundauerit iustitia *vestra plusquam Scribarum & Phariſ. non intrabitis in regnum cœlorum.* *Matt. 5.*

II. *Dictum est antiquis; non occides. Ego autem dico, ne irascaris fratri tuo. Nam qui irascitur, reus erit iudicio; qui dixit raca, concilio; qui dixerit fatue, gehenna.*

III. Si offers munus *ad altare, primum reconciliare fratri; tũc offer.*

PROPHETIÆ.

Prou.18. NE verearis vsq; ad mortem iustificari.
Mich.6. Misericordiam volo, & non sacrificiū.

DOCVMENTA.

1. IVSTITIA *Phariſæorum* quoad opera externa, magna erat, nam 1. orabant diutiſſimè, etiam in angulis plateārum. 2. dabant largas eleemoſynas, ad tubæ ſonitum egenos conuocando. 3. dabant decimas bonorū etiam de rebus leuiſſimis, vt cymino, mentha,
4. portabant legis præcepta, deſcripta in veſtiū ſuarum fimbrijs quæ phylacteria appellabant.
5. Deo gratias agebant, in ſpeciem fālem ſicut
Luc.18. fecit Phariſæus cum Publicano; adeo vt Chriſtianos multos pudere debeat ab eis ſuperari.
Mat.23. 2. At in quo deficiebant? in tribus præcipue, vt ex Chriſti reprehenſionibus hic & alibi apparet. 1. externa potiſſimū curabāt, internis neglectis. 2. intentionem dirigebant fere non ad placendum Deo, ſed ad captādam vanam gloriolam, & aurā humanæ laudis aucupandam. 3. quia in ſe plerunq; fidebant, nō in Deo, euentus actionum ſuarum, ſibi potius quam Deo tribuentes. In his omnibus, qui Deo placere vult, Phariſæos deteſtetur, & viâ contraria prorſus incedat.

3. Euāgelicæ legis perfectio multo maior eſt, quā legis Moſaicæ (ex qua præcepta moralia, reiectis cæremonialibus & iudicialibus, vim ſuam retinebant) in eo præcipue, quod tollat ac prohibeat non tantum opera mala externa, ſed ſingulariter interna atq; prauas cordis affectiones, qui ſunt velut malorū fontes, omni ope obturandi.

4. Itaque

4. Itaq; in lege noua nō tantum actus externus sed etiā interna affectio (deliberata) peccatum censetur. Vnde circa 5. præceptum dantur à Domino 3. gradus. 1. est interior motio ad læsionem proximi tendens. 2. signum leue externum 3. verbum probrosum, quod læsio tandem sequitur & omnes rei censentur. 1. concilio. 2. iudicio. 3. gehenna.

5. Hæc peccata leuia cēsentur apud homines, sed non apud Deum, cuius iudicia distant, *vt Cælum à terra.* *Isai. 55.*

6. Deus volebat in Sacrificijs externis legis, reconciliationem præponi, multo magis hoc agendum in S. Communione, quæ est vnionis Sacramentum.

MEDITATIO XIX.

DE 7. PANIBVS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Dixit* IESVS *miserior super turbam,* *Marc. 8.*
quia triduo sustinent me; si dimisero
ieiunos, deficient in via.

II. *Beneducens 7. panes, & paucos pisces,*
reficit in solitudine 4. millia hominū.

III. *Illis satiatis, mandat tolli fragmēta,*
ne pereant, & impleuerunt 7. sportas.

FIGVRÆ.

ELIAS multiplicauit farinam viduæ, vt sufficeret ipsi, ac familię, tēpore fam. s. 3. *Reg.* 17

Elisęus satiauit 100. homines 12. panibus. 4. *Reg.* 4

PROPHETIÆ.

Ps. 110. 5 ESCAM dedit timentibus se.
Psal. 36. In diebus famis saturabuntur.

DOCVMENTA.

1. CHRISTVS vtitur consilio discipulorum (quærens quid in præsenti necessitate agendum) vt discamus etiam aliorũ cõsilia audire quia Deus dat sapiẽtiã humilibus.

2. Christum hoc loco sequebatur, non multi potentes diuites &c. sed simpliciũ turba, idq; tãto affectu, vt cibi ac potus immemores, per 3. dies sequerẽtur, vt discas, 1. cum Christo, laborare in instructione populi simplicis, doctrina pueris tradenda. 2. cum turba, magis anhelare ad cibum animæ quam corporis, sine quo, in via spiritali paulatim deficies.

3. Christus maximam habet suorum curam & eis suo tẽpore succurrit. Nam hic aduertit. 1. multos è longinquo venire. 2. iam per triduum sequi. 3. eos esse in loco deserto, vt commode aliunde habere non possint. 4. quosdam ita esse fatigatos, vt periculum sit, ne in via deficiant. Hinc eis succurrit.

4. Desertum hoc, seu solitudo, mundus præsens est, in quo tantum sunt vanitates. non solidus cibus animæ, nisi à Deo subministretur, qui nobis dat verbum suum, in sacris litteris, Euangeliis, concionibus: seipsum tanquam animæ cibum in S. Eucharistia. 7. dona Spiritus sancti & consolationes internas, itemque vitas atq; exempla Sanctorũ, quibus in via virtutis, reficimur ac sustentamur, ne deficiamus.

5. Deus per Apostolos, hunc cibum turbæ distribuit, tum vt cibum spiritualem cõcionum,

Sacra-

Sacramentorum &c. ab iis accipias, qui ad hoc à Deo ordinati sunt; tum vt à superioribus (si religiosus es) te regi ac gubernari permittas, atque ex eorum manu seu ordinatione omnia accipias, tanquam si à Deo singulariter (vti vere fit) te per eos gubernante immitterentur. Itaque totam tui, curam, Deo & illis committas.

6. Christus erga suos valdè liberalis est, vt eos, si non pretiosis & exquisitis, saltem ita satiet, vt illis supersit: quod maximè in spiritalibus obseruat.

7. Reliquiæ colligendæ sunt non tantum in corporali cibo (ne quid pereat quod pauperibus vsui esse posset) sed etiam in spiritali, vt si quid tibi supersit, cum alijs libenter communices, pijs colloquijs, ope, opera.

8. Liberalitas pro Deo impensa, non est bonorum dispendium; sed Deus, (præter mercedem æternam, quam in cœlo dabit) sæpe tribuit externa bona, si nobis expediat. Sicut hic ex 7. panibus, habent 7. sportas fragmẽtorum.

MEDITATIO XX.

DE FALSIS PROPHETIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Attendite à falsis Prophetis. Veniunt ad vos in vestimentis ouium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Matt. 7.

II. *A fructibus eorū cognoscetis eos, arbor mala non potest bonos fructus facere. Ideò excidetur & in ignem mittetur.*

III. *Non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorū, sed qui facit voluntatem Patris.*

FIGVRA.

2. Re. 22 FALSI pphetę à Saih na missi prophetāt Regi Achab fausta; solus Michæas dicit verum.

PROPHETIÆ.

Eze. 13. 3 *VÆ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.*

Hier. 23. 21. *Prophetabant de corde suo mēdacium, ipsi currebant & non mittebam eos.*

Isa. 3. 12 *Populemeus, qui te beatum dicunt; ipsi te decipiunt.*

DOCVMENTA.

I. A *Falsis prophetis.* Tales sunt hoc tempore præcipuè hæretici, qui prophetant seu annūciant, ex corde suo mendaciū, iactantes: *Verbum Domini*, cum sit verbū nō Domini, sed illorū. 1. quia addunt, demūt, mutilant, reiciunt aliquas scripturas quia videntur esse contra illorū dogmata v. c. epistolā S. Iacobi. Lutherus vocauit stramineam, quia laudat bona opera; quæ ipse reiecit. 2. quia relicta versione Bibliorum veteri à primitiua Ecclesia accepta, nouas versiones quotidiè fabricant.

cant. 3. quia nouos sensus comminiscuntur, & Scripturæ affingũt, quicquid ipsi prius de prauata opinione conceperint; etiamsi nullus veterum eo modo scripturam acceperit.

2. *Veniunt in vestimentis ouium.* Hæ sunt aliæ duæ notæ falsorum prophetarum. 1. quia carent missione legitima, non habent vllos ordines, vel potestatem prædicandi, nisi forte à Magistratu, vel ab aliqua mulicre (vt in Anglia & alibi factum scimus,) 2. sub vestimẽtis ouiũ, simulata aliqua pietate aut sanctitate conãtur decipere; & simulata aliqua modestia (prout apud Anabaptistas fit) horrenda scelera & impuritates tegunt, atq; obuelant. 3. intrinsecus sunt lupi rapaces, id est, habent animũ ferum, crudelem, quem cõtra Catholicos (vbi occasio datur) exserunt, vt in primis tumultibus Belgij, & in Gallia, atq; Anglia, contra tot Martyres, Caluinistæ fecerunt.

3. *Falsi* etiam *prophetæ* suo modo, sunt Dæmon, Mũdus, Caro, amici &c. qui à Deo, aut virtutis via, quæ ad Deum ducit, retrahentes, spondent longam vitam, honores, voluptates, & ea, quæ carni dulcia sunt, & suauia; sed animam mergunt tandem in interitum, cũ sãcti qui Deo seruierunt, contrarium egerint.

4. *A fructibus* cognoscetis, tũ quia hæretici, pulsa omni vera pietate ac sanctimonia, doctrinaq; Catholica, impietatem atq; athismum induxerunt, vt fuse docet Tho. Stapletonus atq; alij; tũ, quia *Mundus, Caro,* &c. reddunt conscientiam inquietam, feruorem pietatis tollunt, tentationes augent, creant inconstantiam in vocatione.

5. Homo cõparatur arbori, quæ in terra plantata, fructus sursum profert; ic homo, licet in terra sit, cõuersationem debet habere in cœlis,

ac fructus cœlestes producere, quia gratię aquæ ex Sacramentis tanquam fontibus hausta irrigantur: hoc si non agit, excidetur à gratia & à familiaritate Christi exclusus mittetur in ignem vel prauorum desideriorum (in hac vita) vel gehennæ, in futura.

6. Deus vitam æternam tanquam mercedem dat operantibus qui vocati satisfaciunt, & Deum non tam voce, quam vitæ probitate inuocant ac laudant.

MEDITATIO XXI.

DE VILLICO INIQVITATIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Luc. 16. I. *Villicus diuitis, infamatus apud Dominum, quod bona dissipasset, vocatur vt reddat rationem villicationis suæ.*

II. *At ille territus, cogitat intra se modũ euadendi, scilicet, singulis debitoribus Domini sui aliquid remittendo.*

III. *Laudat Dominus eum, quod consilium sibi vtile inuenerit, monens nos, vt faciamus nobis amicos qui in æterna tabernacula nos suscipiant.*

PROPHETIA.

Baruch. 3. 25. O *Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? magnus est, & non habet finem.*

DO.CV-

DOCVMENTA.

1. DIVES ille, Deus est, cuius nos villici sumus, nihil habentes nisi purũ NIHIL; & illud triplex. 1. *in esse naturæ*, quia ex nihilo nos fecit, & nisi nos assiduè cõseruaret, statim in nihilũ recideremus. 2. *in actionib⁹*, quia sine Deo tanquã causa prima, nihil penit⁹ (nec paruũ nec magnũ) agere possum⁹. 3. *in esse* GRATIÆ *ac* MERITI: quia omnẽ gratiam, ac dona supernaturalia gratis & sine vllo nostro merito habemus, & ex hac gratia tanquã principio vitæ supernaturalis actiones nostræ merentur etiam apud Deum.

2. Ab hoc Domino habemus villam, id est, dona multiplicia, corpus, animam, ingenium, doctrinam, opes, dona, tum naturalia, tum supernaturalia, quæ debemus colere ad voluntatem & vsum Domini; agendo scilicet, vt omnia ad maiorem eius gloriam cedant.

3. Magna infamia est *diffamari* apud Dominũ talẽ, & Angelos, quasi *dissipes*, id est, inutiliter consumas bona eius, rebus vanis, aut etiam peccatis, te, tuaque addicere.

4. *Vocat* autem Deus, internis inspirationibus, morbis, concionibus, bonis aliorum exemplis, vt cogites strictissimam aliquando tibi de omnibus bene agendi, occasionibus ac donis reddendam esse rationem.

5. *Ait intra se*: Hæc nobis post examen exquisitũ conscientiæ aut post cõfessionẽ & pœnitentiã præstãda sunt, vt cogitemus de modis, quibus peccata hactenus cõmissa diluamus, eleemosynis scil. ac varijs operibus, in Dei & Sanctorũ laudẽ ac honorẽ factis. Nã circa mortem, quando ad rationẽ reddendã vocabimur,

tali deliberationi locus nō erit nec quicquam amplius tunc licebit promereri. Curandum itaq; vt antequam hinc amouearis, facias tibi amicos, pauperes vel eos omnes, quibus pro talento & facultate tibi concessa prodesse potes, liberaliter impertiēdo opes vel auxilium, (quo egent quia *talibus hostijs*) *promeretur, Deus & talis*, in Deum aut proximum, *Caritas operit multitudinem peccatorum.*

Hebr. 13. 16

1. *Pet.* 4.

6. Diuitiæ dicuntur *Mãmona iniquitatis*, non quod per se malæ sint, quia (vt in Genes. sæpius dicitur) *omnia quæ fecit Deus, erant valde bona*, sed quia vel in ijs acquirendis, sæpè iniquitas cōmittitur (vt ait Apost. 1. Tim. 6.) vel quia ex earum vsu vel potius abusu, peccata plurima nascuntur.

7. *Recipiant vos*, &c. mirabilis est eleemosynæ aliorumq; misericordiæ operum vis, ac priuilegium, vt Deus tanquam sibi erogata acceptet ac potestatem tribuat, vt quis per ea, regnum cœlorum promereatur.

MEDITATIO XXII.

DE PHARISAEO ET PVBLICANO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Luc. 18. I. *Dicit confidentibus de seipsis parabolam, de duobus ad orationem ascendentibus, quorum prior stans se laudabat de ieiunio, decimis.*

II. *Alter*

II. *Alter à longè ſtans, vix audebat oculos in cœlum leuare, ſed tundebat pectus, dicens:* Deus propitius eſto mihi peccatori.

III. *Concludit Chriſtus: quod ſecundus ſit iuſtificatus, non prior:* quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. *&c.*

FIGVRA.

ANnam ſterilem & humilem, quæ orabat Deum ex corde, Heli deſpexit, & ebriam nuncupauit. 1. *Reg.* 1.

PROPHETIA.

MAledictus, *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Erit quaſi myrica in deſerto, & non videbit, cum venerit bonum.* *Hier.* 17

DOCVMENTA.

1. QVi *in ſe confidebant.* Magnum malũ eſt confidentia ſui maximè in rebus ſupernaturalibus, aut quæ ad ſalutem noſtrã ſpectant. Vnde oritur, vt tales ſibi ipſis relictis à Deo quàm longiſſimè diſcedant, & in errores ac labyrinthos inextricabiles prolabãtur. Sicut è contrario, magnum ſpiritalis profectus adiumentum eſt diffidentia ſui, & confidentia, quæ id a Deo promeretur, vt ei ſe in omnibus protectorem & quaſi adiutorem exhibeat. *Videatur P. Franciſcus Arias.*

2. *Et aspernabantur cæteros.* Alterum hoc vitium non admodum dissimile præcedenti quod ex superbia, ac caritatis defectu (duabus malis radicibus) oriri solet: quo homo iuste id consequitur, vt qui proximum contemnit, à Deo ipse pariter contemnatur.

3. *Duo homines,* &c. Terribilis Deus in consiliis suis: quis non prætulisset Pharisæum (qui tot bona fecerat) Publicano, qui multa mala egerat, & nil boni? & tamen Deo aliter visum: quid caussæ? Pharisæus 1. se iustum cẽsebat, quod solius Dei est iudicare. 2. seipsum (contra sapientis consilium *Prou.* 27.) laudabat. 3. Cæteris se præferebat, cum iuxta Apostolum debeat quiuis alios superiores (in humilitate) arbitrari.

4. In publicano Christus notat 5. conditiones imitatione dignas. 1. ex humilitate non audebat oculos ad cœlum leuare, quia scilic. homo (etiam iustus) respectu Dei *est terra & cinus.* 2. fatetur nil boni se habere vel habiturum, nisi à Deo, dicens: *Domine propitius esto.* 3. indignum se censuit vt prope alios staret. 4. accusauit se vt peccatorem. 5. & quidem internam malitiam agnoscens, pectus percutiebat.

5. *Qui se exaltat &c.* Superbia malum est generale quod simul ac semel omnia bona destruit; cum alia vitia, virtutem tantum sibi contrariam euertant. E contrario humilitas omnia bona conciliat, etsi nulla antea bona habuisset: vt hinc homo colligat: quam bonum sit ac salutare, si in conspectu semper sit pauidus, ac de nullis operibus (licet in se bonis) glorietur, ne inde Deo magis displiceat.

MEDI-

MEDITATIO XXIII.
DE DECEM LEPROSIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Leprosi Christo occurrentes, à longè clamant: Iesu præceptor miserere nostri.* Luc. 17.

II. *Mandat vt Sacerdotibus se ostendãt, at in itinere sanantur.*

III. *Vnus (isque alienigena) se mundatũ videns, rediit & magna voce Christo gratias egit.*

FIGVRA.

NAaman Syrus, sanatus à lepra, ab Heliæo redijt ad eum, profitens se verum Deum adoraturum. 4. Reg. 5.

PROPHETIAE.

Leprosus adducendus est ad Sacerdotẽ, cũ viderit eũ, ad arbitriũ eius separabitur. Leu. 13.

Bonus est Dominus animæ quærẽti eum. Thren. 3.

Noui diluculo, magna est fides tua. Ibid.

DOCVMENTA.

1. PER 10. leprosos indicantur vel omnes peccatores, qui contra decalogum peccant; vel certe qui imperfectiones habent prope incurabiles; & alios suis moribus (sicut leprosi anhelitu) inficiunt.

2. Sicut in leprosis (ex sanguine corrupto) multa vlcera minuta ac fœda assiduè erumpunt, semper-

semperq; vti siti cruciantur, ita in imperfectis noui semper defectus oriuntur, neq; vnquam sitis prauorum desideriorum tolli potest.

3. Modus facilis, tales, hic est. 1. *à longe* stēt, id est profunde sese humilient. 2. magna voce (atq; affectu) auxilium Dei deposcant, ab eo solo sanari se posse agnoscant.

4. Dominus mittit eos ad Sacerdotes Mosaicæ legis, quorum erat ex officio, *discernere inter lepram, & non lepram*; tum vt intelligamus multo potiori iure id nobis faciendum esse cum noui testamenti Sacerdotibus, quibus potestatem dedit lepram spiritalem (peccatum) non tantum agnoscendi; sed etiam curandi ac penitus remittendi. Itaq; curandum vt sincerè cum illis, tanquam Dei vicarijs agamus, ostendentes eis omnem animæ lepra, id est, omne peccatum; (nullum omnino data opera omittēdo vel cælando) alioqui & à nullo peccato prorsus absoluetur; & nouum insuper sacrilegii peccatum committent.

5. In via *mundati sunt*: quia sæpe tanta est internæ contritionis ac displicentiæ vis coram, vt illius virtute homo ad gratiam iustificantem, & peccati inundationem pertingat; quamuis tamen, eadem peccata Ecclesiæ clauibus, semel minimum subiicere teneatur.

6. Ex his 10. ita sanatis, vnicus tantum gratus fuit, ad Christum redeundo; vnde audire meruit; *Fides tua te saluum fecit*, non tantum à lepra corporis (à qua iam cum aliis mundatus erat) sed etiā à lepra animæ, quam alii maiorem incurrerant ex ingratitudine.

7. *Hic erat alienigena*, non Iudæus, vt scias, DEVM nulli gratiam negare, modo se eius voluntati accommodet; vti hunc fecisse videmus, exemplum dedit eius, quod nobis post confessionem agendum est. ME-

MEDITATIO XXIV.

DE DVOBVS DOMINIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Dicit Iesus discipulis, nemo potest duobus Dominis (Deo & mammonæ) seruire.* Matt. 6.

II. *Ideo dico, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, vel corpori, quid induamini &c.*

III. Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, *& reliqua adijcientur vobis.*

PROPHETIAE.

Escam dedit timentibus se. Ps. 110. 5.

Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Psal. 146. 9.

Qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum. Ibid. 8.

DOCVMENTA.

1. *DVO Domini* hic intelligendi sibi mutuo contrarii, vt DEVS verus & Dæmon, qui dicitur hic Mammon, Pluto Deus diuitiarum, qui contraria suadent: quia Deus vult à nobis cœlestia amari, carnem domari, superflua dari pauperibus; Dæmon vult

vult temporalia appeti, carnem in delicijs nutriri, aliena rapi. Si Deo seruire opus est, vt cœlestia quæras, nõ carnis illecebras, honores, voluptates &c. quę omnia Deus vult cõtemni.

2. Christus nunquam in vlla re tot rationes adhibuit, vt scias hanc solicitudinem, quam dissuadet, homini valde noxiam esse, ad quam 5. agumenta adhibet. 1. quia Deus maiora dedit, corpus scilic. & animam. Ergo minora dabit. 2. ab exemplo auium, quas Deus nutrit. 3. ab inutili; quia ad staturam nihil adiicere possumus. 4. ab exemplo herbarum lilii, fœni, quas Deus vestit. 5. quia hæc solicitudo propria gentilium, nec Dei filium decet; quasi ille suos negligeret: proinde hæc solicitudo reijcienda est in eum, tanquam omnis boni auctorem, iuxta illud *Psal 49. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Quod dictum S. Franciscus dabat suis alumnis loco viatici.

3. *Ne solliciti sitis:* Valde noxia est superflua solicitudo; qualis in multis sæcularibus perspicitur, qui Deo neglecto à mane ad vesperã tantum secularia tractant; de anima parum aut nihil omnino soliciti, quod Christiano homine indignum est, Deo ingratum, & nobis (qui hoc modo Dei auxilio nos priuamus) valde damnosum. Hinc rectius sibi consulunt pij homines, & maxime religiosi, qui paruo contenti, animæ saluti potissimum vacant; alia Deo committentes.

4. *Regnum Dei* quærimus, cum damus operam vt in gratia Dei simus, eius præcepta obseruãtes & omnia dicta, facta, cogitata, ad Dei gloriam referentes qui reliqua adiiciet, prout animæ saluti conducere viderit; nobis pariter moderatè collaborantibus, quia non omnem solicitudinem, sed superfluam & saluti noxiã condemnant.

ME-

MEDITATIO XXV.
DE HYDROPICO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Cum esset ingressus domum Pharisæi Sabbatho, manducare panem, ipsi observabant eum.* Luc. 14.

II. *Hydropicum ibidem præsentem sanat, probans id Sabbatho licere; sicut ipsi asinum lapsum extrahebant.*

III. *Contra superbos humilitatem docet; inuitatus recūbe vltimo loco;* quia qui se humiliat, exaltabitur, &c.

PROPHETIÆ.

Vidērunt eam hostes, & deriserunt Sabbatha eius. Thre. 1. 7

Populus hic labijs me honorat, cor autem (eorū longè est à me.

Excelsus Dominus, humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Isa 29. 13. Ps. 137. 6.

DOCVMENTA.

1. INgressus domum Pharisæi: Benignitas Christi hæc erat, non refugere consortia eorū, qui ad calūniandū observabant eū; ipse vero occasionē quærebat, si posset eos piis colloquiis ab errore & peccatis deducere. Idipsū Christiano, ac religioso præcipuè, faciēdū; vt si cōsortia malorū aliquādo admittat, id agat, vt suo exēplo ac colloquiis meliores efficiat; orādo Deū, ne inter tales pusillanimes sit, sed ex zelo, audeat aliquid dicere.

2. *Manducare panem*: hac phrasi in scriptura significatur humana refectio, sed indicatur pariter, quam sobria illa esse debeat; cum alibi dicat Sapiens. *Spiritum vitæ hominis aqua & panis*, quod si tibi iam ex caussis non liceat; danda tamen est opera, vt paucis contentus viuas, & ferculorum copiam respuas.

3. *Silicet Sabbatho curare?* superstitiosè seruabant Pharisæi Sabbathum; vt populo Iudaico (cui Sabbathum peculiariter à Deo datũ fuerat, tamen illud tunc accuratè non seruabant) placere possent; cum tamen minus alia Dei præcepta, multo maiora (quia exterius non apparebant) negligerent. Caue ne Pharisæos hac in parte imiteris, & publica, quæ patent, diligenter; secreta verò ac priuata (quæ non apparent hominibus) negligenter peragas.

4. *Apprehensum sanauit eum.* Hæc erat incensa Christi caritas, vt miserum sanaret; quamuis non ignoraret, Pharisæis hoc displiciturum vt discas aliis egentibus bene facere, etiam cum aliqua molestia, & famæ tuæ damno.

5. *Cuius vestrum asinus* &c. Magna hæc fuit Pharisæorum superstitio, vt damna temporalia caueri posse iudicarent Sabbatho, sine eius violatione; & tamen Christum iudicarent, quod animas à Dæmone possessas, Sabbatho liberaret. Idipsum nobis contingit, quoties magis de temporali aliquo lucro vel damno commouemur, quam de animæ perditione. Certè prout Pharisæi hic nõ habuerunt, quod Domino responderent; ita & nos in die iudicii, quid dicamus, non suppetet.

6. *Dice-*

6. *Dicebat ad inuitatos parabolam.* Merito de Christo dicitur: *zelus tuus comedit me, Psal.* 68. 10. *Ioan.* 2. 17. quicunq; esset, zelo diuini honoris, & salutis humanæ tenebatur, vt etiam in conuiuio, mores doceret & præcipue humilitatem: quam ab eo discces.

MEDITATIO XXVI.

DE MAGNO MANDATO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Docteri roganti, quod esset magnum mandatum? Resp. Iesus: Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde, anima, mente, viribus &c.* *Mat.* 22.

II. *Secundum huic simile: Dilige proximum tuum, sicut teipsum.*

III. *In his duobus præceptis, vniuersa lex pendet, & prophetæ.*

FIGVRA.

Quid vir secundum cor Dei; fecit omnes voluntates Dei, non fuit ei similis. *Act.* 13. 22.

PROPHETIÆ.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. *Psal.* 88. 21.

Di-

Le 9. *Diliges amicum tuum, sicut teipsum.*
18. *Si toto corde reuertimini ad Dominum*
1.Reg.7. *&c. seruite illi soli.*
Cum quæsieris Dominum Deum tuum,
Deut. 4. *inuenies eum. Si tamen in toto corde quæ-*
29. *sieris eum.*

DOCVMENTA.

1. QVamuis hic Legis-Doctor, Dominum interrogasse videatur, potius animo tentandi, quam discendi, vt ille alius (Luc.10. qui simile quid rogauit: *tentans eum*) tamen Christus Dominus veritatem sincerè proposuit, tum propter honorem patris cœlestis, quem vbiq; augere desiderabat; tum, vt officio suo, & incarnationis fini satisfaceret, de quo apud Pilatum dixit: *Ioan 18. Ego in hunc mundum veni, vt testimonium perhibeam veritati.* Hanc alios iuuandi, honoremq; æterni Patris promouendi, sitim imitari nos conuenit; vt *opportunè, importunè* veritatem pro re nata, & conditione nostra, proponamus, ac circa hostes defendamus.

2. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* diligimus ex toto corde quando omnes cogitationes in eum reflectimus; ex tota anima, cum omnes affectiones in eum cõuertimus; ex tota mente, cum omnes quinq; sensus facimus ei seruire; ac nihil, nisi propter ipsum diligimus. *Vid. P. Alu. to.1. l.3. c.16.*

3. Quinq; autem signa amoris cõmuniter obseruãtur. 1. libẽter colloqi cum eo, quem diligis. 2. eius domum adire. 3. secreta sua ei patefacere. 4. cum eo comedere. 5. eidem munera donare. Hæc ipsa cum Deo facienda. 1, vt libenter

ter cum eo in oratione, & meditatione colloquaris. 2. Templum, quæ domus eius est, crebro adeas. 3. peccata tua etiam secretissima ipsi per vicarium confitearis. 4. SS. communionem sæpe vsurpes. 5. si munera alia offerre nequeas, aut eleemosynas in pauperibus, saltem omnia opera tua offer ad eius gloriam, & maiora adhuc animo concipias.

4. *Diliges proximum*: hoc est, non tantum amicum, vel Christianum quemlibet, vel tibi notum; sed omnes homines, tam notos quam ignotos, amicos, & inimicos, fideles, & infideles: quia omnes ad eius imaginem creati sunt, & eiusdem parentis Adæ filij, pro quibus omnibus debemus orare, offensas condonare bonaq; temporalia, ac spiritalia illis precari, quia pro his item omnibus Christus mortuus est.

5. *Huic simile:* tam enim necessaria est nobis proximi dilectio, vt sine ea Deus ipse diligi nō possit: dicēte Apostolo 1. *Ioan* 4. *Qui non diligit fratrem, quem videt, DEVM, quem non videt quomodo potest diligere?*

6. *In his duobus vniuersa lex pendet &c.* non quod alia nulla præcepta sint; sed quia omnium, quæ præcipiuntur, consulūtur, prohibentur, promittuntur, docentur &c. in scriptura vel prophetis, finis est dilectio Dei & proximi, sine qua, opera etiam optima nil prosunt ad salutem: vt proinde ad eam, vt finem omnia omnino dirigenda sint.

MEDITATIO XXVII.
DE VESTE NVPTIALI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

1. *Dixit Iesus parabolā. Rex ad nuptias filii,* Mat. 22.

filij, vocauit multos: quidam abierunt, neglexerunt, alij nuncios occiderunt.

II. *Rex iratus perdidit homicidas, atq; in viis publicis alios vocauit, donec impletæ sunt nuptiæ discumbentium.*

III. *Rex visitans videt vnum non vestitum veste nuptiali, & ait: amice, quomodo huc intrasti &c. mandat ministris vt eijciant in tenebras.*

FIGVRÆ.

Esth. 1. c. ASSVERVS Rex, anno tertio regni sui, fecit grande conuiuium, cunctis principibus 180. diebus, vt ostenderet diuitias gloriæ, & magnitudinem atque iactantiam potentiæ suæ.

4. Re. 25 Vrbs Hierusalem, cum Hieremiam aliosque prophetas ad se missos contemneret, tandem in vltionem peccatorum à Nabuzardam principe militiæ Assyriorum euersa est, populo in captiuitatem conducto.

PROPHETIÆ.

Prou. 1. 24. *QVia vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum. Ego quoque in interitu vestro ridebo.*

Quomo-

Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis? Iustitia habitauit in ea; nunc autem homicidæ &c. propter hoc consolabor super hostibus meis, & de inimicis meis vindicabor. Isa. 1.21.

DOCVMENTA.

1. REX *fecit nuptias.* Hæ nuptiæ factæ sunt, quando filius Dei carnem assumsit ex B. Virgine. Ad has tu pariter cum alijs vocatus es; & quicunque veniunt, Christum fide viua suscipientes fiunt amici, domestici & filii Dei, donorum spiritus Sancti participes.

2. *Misit seruos, &c.* hæc inuitatio facta est initio Ecclesiæ per SS. Apostolos, virosque Apostolicos, durabitque vsq; ad finem mundi; cum semper vel noui populi conuertantur, vel filij ex Christianis nati, fidem sua vel aliena voluntate suscipiantur.

3. *Illi neglexerunt & abierunt &c.* Duo genera hominum hic notantur, scilicet villam visentes & negotiatores, quibus designātur superbi & auari, qui sunt, aucupandis honoribus aut cumulandis huius sæculi opibus nimium addicti: quorum vtrunque caue, si ad nuptias illas cœlestes aliquando peruenire desideras.

4. *Reliqui tenuerunt seruos, & occiderūt,* &c. Tales fuerunt tyranni, aut crudeles homines, qui SS. Apostolos aliosq; viros Apostolicos contumeliis affecerunt (a se ejcientes) aut etiam varijs supplicijs affectos occiderūr. Tales etiam sunt hodieque inter Christianos, qui diuinas inspirationes, è concione,

lectione spirituali, aut aliunde susceptas, & tanquam Dei nuncios ad se missas, cum summa ingratitudine (propter amorem parẽtum) honorum, voluptatum &c. à se reiiciunt, & peccatis etiam grauissimis (contra conscientiam sugillantem, commissis) eas, quantum in se est, occidũt, ac data opera suffocant. Tales item sunt, qui concionatores, à mundi voluptatibus, vanitatibus &c. auolantes & ad cælestia, virtutum amorem, frequentem Sacramentorum vsum inuitãtes derident atq; odio prosequuntur; quiq; alios pietati magis deditos, ac virtutis, sacrorum mysteriorum, aliorumque exercitiorum studiosiores, sannis ludibrijsque proscindunt. Quorum vt ingens numerus, ita maxime cauendus; ne tu communi quasi exitio inuoluaris.

5. *Perdidit homicidas.* Sicut Deus olim Hierosolymis primos Tyrannos, Apostolorum ac Christianorum hostes grauissime vltus est, multis calamitatibus in hac vita affligendo ac postmodum ad æterna inferorum supplicia condemnando; ita etiam impios Christianos, & in hac vita calamitatibus diuersis obruet, & in futura, ijsdem suppliciis, aut etiam grauioribus quam Gentiles ipsos addicet; eo quod ipsi & maiorem Dei cognitionem habuerint, & plures salutis consequendæ rationes obstinatè reiecerint, sponte sua in paratum sibi interitum ruentes.

6. *Congregauerunt bonos & malos.* In horum superborum & ambitiosorum locum successerunt humiles ex Spiritu qui humilitate sua, & mundi contemptu DEO placuerunt.

7. Nec tamen omnes saluantur: quia sunt quidam, qui confitentur communicant, orãt, &c. sed

&c, sed sine veste nuptiali, sine caritate & intentione pura: tales etiam à Deo puniuntur.

MEDITATIO XXVIII.

DE FILIO REGVLI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Regulus rogat Iesum vt descendat & sanet filium incipientem mori.* Ioan. 4.

II. IESV *dicente: nisi signa & prodigia videritis, nõ creditis: magis vrget pater, vt descendat &c.*

III. *Christo dicente:* vade, viuit filius; *abijt; & audiens eadem hora sanum factum credit ipse & domus tota.*

FIGVRÆ.

CVm Elias suscitasset filium viduæ Saraptanæ, illa dixit. In isto cognoui quia vir Dei es tu. 3. Reg. 17 24.

Sunamitis, recepto ad preces Elisæi filio, corruit ad pedes eius, & adorauit super terram. 4. Reg. 4 17.

PROPHETIÆ.

IMple facies illorum ignominia, & quærent legem. Psal. 82. 17.

Psa. 77. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.*

DOCVMENTA.

1. *Regis filius infirmabatur.* Hinc apparet rerum huius mundi vanitas, quæ hominem à morbis alijsque malis liberare non possunt; vt discas Deo adhærere, qui nunquam deficit; & semper sanare ac iuuare te potest, si ita expediat: imo omnibus te (in morte) deserentibus, te ille non deseret, nisi tu ipse prior illum deserueris.

2. *Hic cũ audisset quod Iesus veniret in Galilæã.* Perãbulat tum Dominus varias *terræ Sãctæ*, in qua præcipuè degebat, regiones, tãquã medicus, operã suã omnibus gratis offerendo, vt sanaret, *Act.* 10. 38. *omnes oppressos à Diabolo.* Et nunc in cœlo quoad humanitatem residens, sed maiestate sua, vbique præsens, idem præstat; ac in venerabilis Sacramenti ferculo circumlatus, varia afflictis, atque opem poscentibus, auxilia confert.

3. *Regulus abijt ad eum.* Hac occasione male habentis filij vsus est DEVS, ad conuersionem potentis, qui Christum alias ibidem præsentem (cum primum miraculum in nuptijs fecit) aut ibid. habitantem vel non adierat, vel eum non magni fecerat. Idipsum adhuc nobis hodie euenit, qui in prosperitate DEVM negligimus; in aduersitate, ad eum recurrimus secundum illud Prophetæ Regij, *Psal.* 82. 17. *imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*: vt etiam morbos & alia aduersa, tanquam salutis nostræ

ſtræ media, à ſumma Dei prouidentia immiſſa agnoſcamus & ſuſcipiamus, optantes à Deo, & gratias agentes, vt SS. fecerunt.

4. *Niſi videritis &c.* Chriſtus duriuſcule regulum alloquitur, tum quod fides eius eſſet imperfecta (putabat enim opus eſſe Chriſti præſentia vt filium iuuaret, quaſi idipſum abſens, ſua potentia nequiret) tum ne videretur perſonam diuitis ac potentis reſpicere, qui aliàs inuitatus ad ſeruum centurionis, vltro ſe venturum ſtatim reſpondit, domino mirante ac deprecante, quaſi eius præſentia indignus eſſet. Forte & tua etiam fides eſt imperfecta, qui tam parũ moueris, vel comminatione ſupplicii (in inferno aut purgatorio) vel promiſſione æternæ gloriæ in cœlo; quæ ſi viua fide apprehenderes, multo in diuino ſeruitio feruentior, & in peccatis vitandis cautior eſſes.

5. *Credidit ipſe & domus.* Et tu pariter regulus quidam es, qui habeas regendas potẽtias animæ internas & externas, omniaq; mẽbra, vt ſubſint Deo & rationi: Filius tuus eſt anima tua, quæ ſi ſit proxima lapſui in peccatum, recurrendum eſt, vera fide ad Deum vt erigat.

MEDITATIO XXIX.

DE REGE RATIONEM PONENTE CVM SERVO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

1. *Rex remiſerat 10. millia tal. ſeruo* Matt. 18.

procidenti in terram ac roganti, vt patientiam haberet; *se soluturum.*

II. *Idem seruus, conseruo 100. denarios debenti & eadem ratione petenti nō ignoscit sed ferè suffocat.*

III. *Rex hoc audiens, iratus tradit tortoribus donec debitum reddat.* Sic faciet pater cælestis, *si non remittatis fratri.*

PROPHETIA.

Eccl. 28. 1. *QVi vindicari cupit, inueniet vindictã & peccata illius seruãs seruabit. Relinque proximo nocẽti te & deprecãti. Homo homini seruat iram & à Deo quærit medelam.*

DOCVMENTA.

1. REX in hac parabola, Christus est, ac seruus homo quilibet, qui à Deo creatus, Christi sanguine redemptus & in vineam præsentis vitæ conductus est, vt Deo seruiat. Hic sæpe ingentia debita peccando contrahit: quia tanta est, vel vnius peccati malitia, vt pro eo (remota Dei misericordia & Christi meritis) nemo possit satisfacere; itaque opus est, vt se humiliet, ac pœnitentiam agat.

2. *Debitum dimisit ei.* Tanta est, Dei misericordia, vt nostra humilitate ac pœnitentia, statim flectatur, & quamuis ex fragilitate in ea-

in eadem peccata recidamus, nobis tamen eadem remittere paratus est (etiam septuagesies septies, vt dixit S. Petro in hoc cap. 18. Matth.) modo nos ipsi, in humilitate, pœnitentia & emendationis firmo proposito, nobis non desimus; adeo vt non tantum culpam, sed etiam pœnam omnem (si contritio sit sufficiens) nobis remittat.

3. *Egressus inuenit vnum de conseruis.* Crudelitas ac sæuitia ingens fuit huius hominis, qui paulo ante à Rege tam beneuole ad vnam deprecationem dimissus, tam crudeliter nunc in similem sibi, sæuire incipiat. Talis & tu es, quoties propter leuem offensionem proximo non ignoscis: quantum discrimen est hic inter vtrunq; debitum? maius est discrimen inter offensam Dei infinitam (quæ propter peccatum contra Deum infinitum admittitur) & offensam alicui homini (etiam Regi atque Imperatori, qui in conditione naturæ humanæ similis est) illatam.

4. Media, quibus ad iniuriam proximo remittendam moueri possis; sunt varia. 1. longanimitas Dei, qua impios expectat donec se emendent, vti tecum sæpius fecit. 2. eiusdem misericordia, qua te, non cogitantem etiam de reconciliatione, bonis inspirationibus, concionibus, aliisque monitionibus inuitat, & quam primum dolos ac veniam deprecaris, condonat. 3. quia Deus præcepit proximum diligi, ac tantopere offenditur si contrarium fiat. 4. quia hac ratione filius Dei efficieris, ei in misericordia, quam simillimus. *Matth.* 5. *Diligite inimicos, & eritis filij Altissimi.*

5. quia alias hac ingratitudine, ira Dei prouocatur, & pœnæ peccati augentur.

5. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis.* Mirũ est, quanti DEVS dilectionem mutuâ inter homines faciat; adeo vt homini eam contemnenti, suam ipse dilectionem ac gratiam neget; immo & in æternas inferorum pœnas detrudat.

6. *Remiseritis fratri de cordibus vestris,* non satis est Deo, si ore tantum remissio fiat (manente aliquo rancore interiori) sed corde etiam fieri debet, vt nulla resideat interior auersio, aut iniuriæ memoria. Sicut ipsemet *Ezech.* 18. peccatori pœnitenti promittit se iniquitatum eius, memorem non futurum.

MEDITATIO XXX.

DE NVMISMATE CENSVS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 22 I. *Pharisæi cum Herodianis, volentes Christum capere in sermone, dicunt: Magister scimus, quia verax es, & viam Dei doces &c.*

II. *Petentibus an liceat dare censum? respondit, quid me tentatis, hypocritæ? & ostenderunt* denarium cum imagine Cæsaris.

III. *Red-*

III. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: quæ sunt Dei, Deo.*

PROPHETIÆ.

NOn est sapientia, non est prudentia. Prou. 21
Non est consilium contra Dominum. 30.
Apprehendit sapientes in astutia sua. Iob 5.13.
Frustra iacitur rete, ante oculos pennatorum. Pro. 1.17

DOCVMENTA.

1. *Pharisæi cum Herodianis.* Hic exprimitur typus & imago impiorum contra bonos. 1. quamuis inter se opinionibus discrepent; tamen in piorum oppugnatione atque oppressione consentiunt. 2. Consilia inter se conferunt, vt quod vnus per se non posset, plures coniuncti hoc peragant. 3. fictè agunt, nequitiam cælantes. 4. adulantur, & quasi optimè de alio sentirent, dilaniant. Idipsum faciunt hodieq; Caluinistæ cum Lutheranis, Hussitis, Anabaptistis &c. contra Catholicos; & alij sæculares impij contra bonos religiosos aut Deo deditos.

2. *Magister scimus &c.* Hæc verba, etsi fictè ab his impijs prolata ostendant, qualis Christus Dominus fuerit, & quales Christiani Doctores eius imitatores esse debeant. 1. Magistri, id est, auctores bonorum operum, verbo & exemplo. 2. veraces, non ficti, qui quæ dixerint, aut promiserint, siue Deo, siue hominibus, reipsa præstent. 3. docentes viam Dei in veritate, non tractando nugas, vanitates, curiositates, sed pia colloquia viurpando soli

das virtutes proponendo, & exercendo. 4. neminem timendo, nisi solum Deum; omnibus veritatem prædicando, laudando bonos, increpando malos, sine vlla personarum acceptione.

3. *Licetne dare censum Cæsari?* Astuta & malitiosa quæstio, in qua responsio simplex, sine periculo esse non poterat, vnde sperabant se occasionem illum calumniandi aut accusandi habituros. Si enim affirmaret dandum; ægrè laturus erat populus libertatis suæ (si quis alius sub cœlo) appetentissimus: vt dicerent Ioan. 8. *nemini seruiuimus vnquã.* At si negaret, periculum erat, ne apud Romanos (qui præsidem ibi suum habebant) in suspicionem veniret rebellionis, aut tumultus, præsertim, cum ad tales motus Iudæi per se essent inclinati.

4. *Cognita autem nequitia &c.* ostendit Christus hoc facto, se non esse purum hominem sed Deum, qui intimos etiam cordis recessus penetraret; vt discas & tu eum timere ac reuereri; vt qui omnia tua clarè videat, & suo tempore seueriſſimè iudicabit.

5. *Quid me tentatis?* Verè ostendit se esse talem, qualem ipsi paulo ante (licet aliud intendentes) descripserit. 1. illis non blanditur, vt discas non quærere fauores humanos. 2. vt scias fictos & fraudulentos non posse diu latere. 2. *Vocat* hypocritas, vt discas aduersarios ex verbis ipsorum, si potes redarguere.

6. *Cuius est imago?* Contra tentationes mundi, carnis ac Dæmonis, multum iuuat cogitare, te in anima habere imaginem Dei, ad quã in creatione factus es & in baptismo reforma-

formatus, addito signo S. crucis: si religiosus es, adiunctis votis, quæ Deo promisisti.

7. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Per libertatem Christianam nemo liberatur à legitima superiorum (tam spiritalium quam temporalium) potestate; à qua nec Christus ipse se exemit: imo vere Deo obedire non potest, qui superiori suo non obedit.

MEDITATIO XXXI.

DE ABOMINATIONE DESOLATIONIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Dixit Iesus discipulis, cum videbitis abominationem desolationis, qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes &c.* Mat. 24.

II. *Væ prægnantibus & nutrientibus, orate ne fuga fiat hyeme vel Sabbatho. Tribulatio magna erit: sed dies breuiabuntur.*

III. *Si quis dixerit: ecce hic, aut illic Christus, in deserto, in penetralibus, nolite credere: quia sicut fulgur veniet.*

PROPHETIAE.

Dan 9. 27. *ET erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.*

Dan. 10. *A tempore cum fuerit ablatum iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio desolationis dies* 1290.

DOCVMENTA.

1. *CVm videritis abominationem.* Hoc Euangelium pertinet ad ea vel quæ facta sunt in euersione Hierusalem per Romanos facta, vel quæ fient tempore Antichristi, vel quæ fiunt iam ab Hæreticis, atque impiis omnibus tanquam Antichristi membris. Et hæc præcipue nobis accommodanda.

2. *Tunc qui in Iudicio S.* indicatur ad litteram quid Christiani facere debuerint, eo tempore quo Hierusalem à Romanis obsessa atque euersa est. Spiritaliter innuitur nobis quid agendum nobis in desolatione per hæreticos inducta, per quam multis in locis, sacra negliguntur, imagines deiiciuntur, Missa aboletur, Catholici expelluntur, vt fit in Oriente per Turcas, in magna Europæ parte per hæreticos. Tria mandat, 1. qui *in Iudæa* sunt, id est, in vera fidei confessione constantes, *fugiant ad montes* cœlestia contemplando & in bonis cœlestibus aliquando futuris spem figendo, ne calamitates nimium sentiãt, aut fortunę bonorũ amissione deiiciãtur *&c.* 2. *qui in tecto est, non descendat,*

id est,

id est, omnia terrena calcet & contemnat. 3. *qui in agro, nō reuertatur*, &c. id est, in agro & vinea Domini constanter persistat in aliorum conuersione.

3. *Væ prægnantibus & nutrientibus.* Magna pericula impendent viuentibus inter infideles, Turcas, Hæreticos, si sint *prægnantes*, id est, habeant tantum desideria virtutum, nō habitus ipsos, si sint infantes, id est, non grandes aut fortes in fide, vt possint ferre pro fide ludibria, verbera, carceres, amissiones bonorum, ob quæ multi (prô dolor!) quotidie deficiunt.

4. *Orate ne fuga V. fiat. H. S.* per hyemem intelligitur frigus piorum exercitiorū, vt ieiuniorum, pœnitentiarum &c. quæ aspera vidētur, sed multum prosunt ad opera spiritus. Per Sabbathū significatur negligens frequētatio Concionum, & officiorum diuinorum, ex quo neglectu fit, vt plurimi à vita pia, bene incepta, tandem desistant.

5 *Nisi breuiati fuissent dies*, &c. Ecclesia Catholica magnam hactenus persecutionem sustinuit; sed sperandum non diu posthac duraturam, propter preces electorum, id est, Sanctorum, qui in Ecclesia viuunt, vel in cœlum recepti, pro Ecclesiæ pace apud Deum intercedunt.

6. *Si dicant ecce Christus hic* &c. Signum Ecclesiæ hæreticæ est, si sit in aliquo angulo, vt olim Donatistæ (suā dicebāt esse in sola Africa (teste Aug.) Lutherani in parte Germaniæ, Caluinistæ in Anglia &c. fordes sunt in angulis. Ecclesia Christi per totum orbem extendi debet, ab Oriente in Occidentem; vt olim fuit; & nunc in nouo Orbe ad Orientem & Occi-

dentem Ecclesia Catholica est, sine hæreticis.

6. *Sicut fulgur &c* Aduentus Christi ad iudicium fulguri comparatur, quia subito fiet, & tempus (Deo ita volente ac disponente ad bonum nostrum) incertissimum est, vt semper vigilemus (sicut Christus ipse nos hac ex causa sæpius admonuit) & in Ecclesia Catholica, atque in vita sancta cum timore ac tremore salutem nostram operantes perseueremus.

MEDITATIO XXXII.
DE SIGNIS EXTREMI IVDICII.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Luc. 21. I. *Erunt signa in sole, luna, stellis &c. arescentibus hominibus præ timore eorum, quæ superuenient,* &c.

II. *His fieri incipientibus, leuate capita; quia appropinquat redemptio vestra.*

III. *Dicit parabolam. Videte ficulneam,* &c. *Cum hæc fient, scitote quia prope est regnum Dei.*

PROPHETIÆ.

1. Reg. 2. 10. DOminum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in cœlis tonabit.

Pro-

Propè est dies Domini, quasi vastitas à Domino propter hoc, manus dissoluentur, & omne cor tabescet. Isa. 13. 6 & 13.

Iuxta est dies Domini, &c. dies iræ, dies illa, tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ. Sopho. 1. 14.

Dies veniet succēsa quasi caminus, & erūt oēs superbi & faciētes iniquitatē, stipula, &c. Malach. 4. 1.

DOCVMENTA.

1. ADVENTVS Christi triplex est. 1. fuit visibilis, quando venit in mundum per natiuitatem, & exprimi solet in processione Palmarū seu ingressu in Hierusalem terrenam, vbi erat tūc populus à Deo electus, & vnicum templum, Deo vero consecratum. 2. erit visibilis, quando in fine mundi tanquam Iudex terribilis viuorū & mortuorum veniet ad iudicandum, & eius signa hodie nobis proponūtur. 3. spiritalis, quando in hoc toto tempore gratiæ venit ad animā fidelem vel vt sanctitatē in ea incipiat (vt fit in peccatore quando 1. à peccato mortali liberatur) vel vt sanctitatem iam alias cœptam augeat, vt accidit quotidie hominibus pijs, ad quos Christus in SS. Eucharistia aut aliter venit & primus quidem est humilis & iucundus ad excitandum amorem. 2. est terribilis ad incutiendum terrorem, quia his duobus affectibus (tanquam pedibus) ad Deum accedimus.

2. *Erunt signa &c.* Prædicuntur hæc signa, in cœlis ac stellis imò ferè in mutatione totius orbis; vt clarius omnes intelligant, quā terribile illud iudicium futurum sit; vt multi vel ad solam eius memoriam, commoti hæserint; cum sibi viderentur assidue audire:

surgite

surgite mortui venite ad iudiciũ; &, vt ait Euangelium, *homines tunc arescent præ timore*, maximè, qui sibi male conscij examinabuntur, extremum dedecus atque æterna supplicia, pro suis sceleribus expectantes: & à bonis, quæ hic amauerant, erunt in perpetuum separandi.

3. *His fieri incipientib. leuate capita.* Hominibus sanctis ac probis (quales erãt SS. Apostoli, cũ Dominus hæc illis prediceret; qualis erat S. Paulus dicens: *cupio dissolui, & esse cum Christo*, quia scilicet, multorũ laborũ pro Christo exantlatorũ, ac multorũ perpetratorum conscientia fretus, tale tempus adesse gestiebat; vti alias indicauit, cum diceret: *tempus resolutionis meæ instat, bonũ certamẽ certaui*, &c. *de reliquo reposita est mihi corona*, &c *& ijs qui diligunt aduentum eius.*

4. *Appropinquat redemptio.* Iusti incredibile gaudium percipiẽt ex liberatione, tum corporis ab omnibus morbis, & corruptione (vt corpus fiat quodammodo spiritale, quatuor illis glorioſi corporis dotibus exornatum) tum etiam animæ ereptæ ab omni passione inordinata, ab omni tẽtatione Mundi, Carnis, Dæmonis, denique ab ipso damnationis metu.

5. Dicitur totum illud gaudium venturum *de cœlo*, tum vt scias, ex vi cœlestis gratiæ factum, quod assequaris; tum vt clarè agnoscas nullum solidum gaudium in terra, aut de terra tibi esse expectandum.

6. *Videte ficulneam.* Comparat hanc mutationem cum arboribus pullulantibus, tum vt discas, iustos, qui in hac vita tanquam in hyeme mortui (mundo scil.) videbantur,

forte

fore multo pulchriores & ornatiores, tum vt colligas te, regno cœlorum esse proximum, cum instar bonæ arboris virtutum flores ac fructus profers.

MEDITATIO XXXIII.

DE DAEMONIO MVTO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. IESV *dæmonium ex muto, & cæco eijciente, quidam dicunt fieri in Beelzebub &c. alij signum aliud quærunt.* Luc. 11.

II. IESVS *videns cogitationes eorum, dicit: omne regnum in se diuisum desolabitur, &c.*

III. *Cum simile de forti armato Dominus attulisset, mulier quædam laudat Matrem, cui respondet Dominus: Beatos esse eos, qui verbum Dei audiunt & custodiunt illud.*

PROPHETIÆ.

DEVS *veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt &c.* Isai. 35.

Sapientia aperuit os mutorum. Sap. 10.

DOCV-

DOCVMENTA.

1. TRIA beneficia huic misero contulit Christus vt iam perfectè videret, loqueretur, atque à Dæmone liber esset. Nam dæmon conatur hominem in pluribus impedire, ne facilè ad Deum conuertatur idq; facit. 1. auferendo illi oculos spiritales, quibus suam miseriam & peccati fœditatem aspiciat. 2. mutum reddendo, ne vel ad Deum clamet, aut sua peccata perfectè confiteatur. Tu hæc impedimenta deuites, ac spem concipias venturæ salutis, quia Deo facillimum est omnia dæmonis impedimenta amouere.

2. Pharisæi ex inuidia, odio, atque occulta malitia, hoc opus Christi tam bonum atque laudabile, in pessimam partem interpretantur, atque ingenti cum blasphemia, dæmoni adscribunt; turba simplici admirante ac laudante. Vt hinc colligas. 1. quã periculosum sit aliquid odij, inuidiæ &c. concipere, vnde postmodum grauissima peccata cõsequuntur. 2. assuescas cum hac turba simplici, aliorum opera mirari, ac Deum, in illis laudare, alioqui in varia peccata decides.

3. *Omne regnum in se diuisum.* Sicut caritas est vinculum perfectionis, & multorum bonorum spiritalium ac temporialium causa; ita contentio, alienatio, inuidia &c. plurimorum malorum causa est, atque euertit statum internum hominis priuati; tum religionem aut reip. integram, in qua tales pestes dominantur; vt tu has aliasque similes tantorum malorum radices ex animo euellas.

4. *Iesus videns cogitationes eorum.* Illud est propriũ Dei, qui sibi singulariter hoc seruauit,

uit, vt cor hominis (aliàs *prauum & inscrutabile vt ait* Hieremias Propheta) solus perfectè cognoscat, & scrutetur: atque hoc tibi debet esse frænum contra omne peccatum (maximè contra cogitationes prauas, intentiones minus rectas) quæ sæpè opera etiam per se optima depraùant, ac mercede priuant.

5. *Cum fortis armatus custodit atrium.* Innuitur miser status hominis peccatoris, cui Dæmon dominatur, abutens omnibus eius potentijs & in eo tanquã in palatio residens: vt timeas etiam initia paruorum peccatorum, per quæ dæmon ad tale regnum in te statuendum ascendit.

6. *Fortior &c vniuersa arma aufert.* Id euenit in conuersione peccatoris, in qua *per contritionem & gratiæ* infusionem omnia peccata destruuntur, & tolluntur quoad maculam; sed remanent adhuc in potentijs mali habitus acquisiti & inclinationes, phãtasiæ, &c. quæ sunt arma dæmonis, quibus peccatorem, etiam post conuersionem oppugnat, hæc omnia paulatim, per mortificationem & sensuum custodiam, tollenda sunt: aliàs dæmon redit cum peccato, & fit status peior.

7. *Extollens vocem mulier.* Magna fuit huius mulieris bonitas, pietas atque audacia, quæ Pharisæis Christum contemnentibus ac blasphemantibus tam libere & audacter illum, eiusque matrem confitetur & laudat. Vide plura superius part. 1. Medit. 34. pag. 114.

MEDI-

MEDITATIO XXXIV.
DE VENERABILI SACRAMENTO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Ioan. 6. I. *Dixit* IESVS *turbis: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnē, &c. in me manet, &c.*

II. *Qui manducat me, viuet propter me: Hic est panis, qui de Cœlo descendit.*

III. *Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hūc panem, viuet in aternum.*

FIGVRAE.

Gen. 14. 1. ABRAHÆ à cæde Regum redeunti, obuiam venit Melchisedech Rex Salem; & protulit panem, & vinum. Erat enim sacerdos Dei altissimi.

Exod. 16 31. Ios. 5. 12. 2. Filijs Israel in deserto, egentibus cibo, misit Deus illis manna de Cœlo, vt sustentarentur, donec in terram promissionis venirent.

PRO-

PROPHETIÆ.

TV es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ps. 109.

Escam dedit timentibus se. Ps 110. 5

Frumentum electorum, & vinum germinans virgines. Zach. 9.

DOCVMENTA.

1. *CARO mea verè est cibus.* Quia Christus sub Sacramentalibus speciebus existit, & operatur eadem, in anima, quæ cibus in corpore: nam cibus corporeus vitam sustētat, ne vitali humore absumpto per mortem deficiat; Caro Christi, vitam animæ, gratiam scilicet & iustitiam conseruat, ne in peccatum mortale incidat. 2. Cibus vegetat, & nutrit corpus, vires & robur ad ambulandum, & laborandum addit; Caro Christi animam alit, virtutes nutrit, robur cōfert vt bene operetur. 3. Cibus auget corpus vsque ad iustam magnitudinem, Eucharistia animam, vt crescat virtute. 4. Cibus corpus morbo aut labore exhaustum restaurat; Eucharistia animam concupiscentia & tentationibus debilitatam sanat, ac renouat. 5. Cibus delectat; Eucharistia in iustis habet omne delectamentum suauitatis.

2. *Sanguis meus verè est potus.* Quia in Eucharistia Corpus Christi est viuum, ideo sub vna etiam specie habet sanguinem (per concomitantiam vt dicunt, Theologi) & confert animæ omnia, quæ potus corpori affert. 1. alimentum concoctioni deseruit. 2. ex alimentis succum elicit ad nutritionem. 3. feruorem sangui-

sanguinis & membrorum siccitatem temperat. 4. extinctioni, quam calor naturalis efficeret, obsistit. Sic proportione quadam, Christus in Eucharistia. 1. deuotionem custodit. 2. concupiscentiæ ardorem extinguit. 3. ariditatem voluntatis tollit, & quasi per vires animæ sua virtute permeans, quæ ad cognitionem & amorem Dei requiruntur, defert. Vt illius in te desiderium accendas.

3. *Qui manducat me, &c. in me manet.* Eucharistia est Sacramentum vnionis, mysterium charitatis, arcanum dilectionis: quia amans manet in amato; Et *anima magis est vbi amat, quàm vbi animat:* manet Christus in te etiam reali præsentia, non ita, vt in te corrumpatur, sed vt tu, in illum muteris: quemadmodum lignum est in igne, & ab eo consumitur, vt ignis videatur. 2. quia est vita animæ & illam spiritaliter continet ac viuificat, sicut anima corpus. Tu vide vt gratiæ vitam, Christo mediante retineas & augeas.

4. *Qui manducat me, viuet propter me.* Christus in Eucharistia est omnis causa vitæ spiritalis. 1. efficiens, quia te ad opera virtutum mouet. 2. finis, quia facit, vt omnia opera, ad Dei gloriam, purissima intentione dirigas. 3. formalis quasi, quia est exemplar, ad cuius similitudinem omnia in omnibus tuis actionibus ac desideriis effingas. 4. tandem est materia vitæ, vt circa eum, & de eo cogitationes sanctas concipias, & in eum affectibus ardentissimis tendas. *Vide Iacobum Aluarez lib. 2. c. 8.* vbi 7. Medit. habet de hoc Euangel.

MEDI-

MEDITATIO XXXV.

DE CVRIOSITATE VITANDA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Christo dicente S. Petro sequere me; vidit Petrus S. Ioannem & dixit: Domine, hic autem quid?* Ioan. 21.

II. *Resp. Christus: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?*

III. *Exijt sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur, &c. Hic est discipulus, qui scripsit hæc, &c.*

PROPHETIA.

QVÆ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus, ne fueris curiosus. Eccl. 3. 22.

DOCVMENTA.

1. SPETRVM, postquam eum Pontificem fecisset Christus (committendo ei oues suas & agnos) inuitat ad se sequendum, in vita, per virtutes & labores (sicut Christus ipse vixerat) & in morte per passionem. Vt sciant ij, qui superiores fiunt in Ecclesia, se nō vocari,

vocari, ad titulos ambitiosos, & dignitatem solam: sed multò magis, ad perfectionem ampliorem, actus caritatis, *&c.* Etiam ad mortem ipsam, si ita ad Dei gloriam, & subditorum salutem necessarium aliquando fuerit.

2. *Domine, hic autem quid?* Hæc adhuc erat aliqua imperfectio in S. Petro (quæ postea, vt aliæ infirmitates per Spiritum sanctum in Pentecoste correcta est) vt immiscerei se rebus alienis. Quamuis excusari aliquo modo poterat, ait S. Hieron. tum quia putabat S. Ioānem optare, hoc ipsum scire; tum quia volebat ei vicem rependere ac gratificari, quod recordaretur S. Ioannem, in vltima cœna, rogasse à Christo de proditore: *Quis esset?* Sicut S. Petrus tunc petierat.

3. *Respondit Christus: Quid ad te? Tu me sequere.* Reprehenditur hic in S. Petro curiositas, nobisque exemplum datur, ne in rebus, ad profectum nostrum non spectantibus, nos immisceamus. Hæc enim est humana fragilitas, vt sæpè nobis neglectis, alienis attendamus, at retundenda est curiositas hoc clypèo rescindenda hoc cultro. *Quid ad te?* Cura bene officium tuum, & Deo satisfeciisti.

4. *Tu me sequere.* Hoc dictum nobis putemus, de vitæ sanctitate & passione aduersitatum; hoc dicto nos excitemus. Secutus etiam est S. Ioannes, sicut Christus illi ac fratri
Mat. 20 prædixerat: *Calicem meum bibetis*; quia
scil. cum Apost. per Iudæos flagellatus est; in
Act. 4. Pathmon insulam relegatus, Romæ ante portam latinam, in olei dolium iniectus; Epheſi venenatum calicem ebibit; vt non tam ipse passioni ac morti, quam mors ipsi deiuerit.

Cum

Cum præsertim Christo morienti iuxta crucem cum matre sacratissima steterit: & sicut illa martyr ac Regina martyrum fuit; ita & S. Ioannes iure martyr dici potest. Vt discas & tu priuatim varia (pro Dei voluntate pati) licet exterius martyrium negetur.

5. *Exijt sermo inter fratres.* Præclarum nobis S. Ioannes præbet exemplum, tum modestiæ, nihil de se interrogans (vt discamus omnia à Dei manu expectare, dicentes; *fiat voluntas tua*) tum humiliatis, volens dubiam Christi sententiam interpretari, ne vana gloria efferretur.

6. Sic *eum volo manere donec veniam.* Dubiè loquitur de morte S. Ioannis. 1. vt curiositatem sciendi futura compescat. 2. superbiam humani ingenij reprimat in S. Scriptura.

MEDITATIO XXXVI.

DE HVMILITATE ET MANSVETVDINE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis,* &c. Mat. 11.

II. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis; & ego reficiam vos.*

III. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me; quia mitis sum & humilis corde. Iugum enim meū suaue est, & onus meum leue.*

PROPHETIÆ.

Isai 30. ECCE *testem populis dedi eum, ducem ac Præceptorem gentibus.*

Ibid. 30. 20. *Dominus non faciet auolare à te vltrà Doctorem tuum, & erunt oculi tui vidētes Præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea, nec declinetis ad dextram vel sinistram.*

DOCVMENTA.

1. CHRISTVS (vt ait S. Lucas 10. 21.) *exultauit in Spiritu sancto*, id est, ingēti spiritali gaudio perfusus, *confessus est*, id est, Deo gratias egit. Vt discas, de quo præcipuè gaudere debeas, scilicet, de vera fide & rerum ad salutem pertinētium cognitione; vitesque vanitates huius vitæ, quæ spiritui non afferunt solidum gaudium, sed molestias, ac turbationes.

2. *Abscondisti à sapientibus*, huius mundi scilicet, qui omnia ratione, atque intelligentia metiuntur, nihil ctedentes quod supra ordinem naturæ & ipsorum sensum à Deo fit,

Ioan. 3. dicentes, vti Nicodemus, *quomodo possunt hæc fieri?* Aut *prudentibus*, qui quærunt sibi ipsis vtilia ac iucunda, opes, honores, voluptates, vti scias vitandam esse hanc mundi sapientiam, ac prudentiam (*quæ à S Iacobo. c. 3. 15.* dicitur, *terrena, animalis, Diabolica*) quia facit homines *animales spiritum non habentes*, vt ait *S. Iudas Apostolus in Epistola sua Canon. 1. vers. 19.*

8. Re-

3. *Reuelasti ea paruulis*, Id est, humilibus, & abiectè ac submisse de seipsis sentientibus, Deoque iudicium suum, in rebus fide præcipuè, subijcientibus. Qualis fuit B. Virgo, quæ cum Mater Dei salutaretur ancillam se appellabat; qualis etiam S. Matthias, ac ceteri Apostoli, qui gloriabantur se non aliud scire nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Aspira & tu ad hanc virtutẽ humilitatis, quæ ita propria est Christianis, vt apud Gentiles nomen nõ habuerit, sisq; semper paruulus in oculis tuis, & magnus apud Deũ, qui *humilibus dat gratiam*.

4. *Quia sic placitũ fuit*. Hæc causa est præcipua mysteriorum cœlestium, & maximè huius decreti, quod Deus humiles potius eligat, quia scilicet ita placuit eius maiestati; alia tamen ratio seu congruentia adiungi solet: quia Lucifer & Adamus per superbiam peccarunt, Deus dedit humilitatis antidotum: quâ & tu vtere contra morbos spiritales.

5. *Venite ad me omnes*; immensa est Dei bonitas, neminem qui paruulus & humilis esse velit, reijcientis (*quia vult omnes saluos fieri*) maximè eos, qui agnoscunt *se oneratos* pondere peccatorum vel imperfectionum, à quibus liberari vellent, aut qui *laborant* in superandis tẽtationibus Mundi, Carnis, Dæmonis. *Reficit* autem vel liberando ab his laboribus, & oneribus, vel cõmunicando gratiam, vt fortiter sustineant.

6. *Tollite iugum*. Non satis est credere in Christum, &c. sed opus est, vt suscipias iugum doctrinæ Euangelicæ, præceptorum Dei, quod suaue fit per gratiam Dei, & facit hominem expeditiorem ad obsequia sicut plumæ iuuant aues ad volandum.

7. *Iugum enim meum suaue est.* Multis de causis hoc euenit, vt onus hoc Dei præceptorum, votorum &c. videatur homini suaue ac leue. 1. quia Deum diligit, & est in eius gratia; cum amanti nihil sit difficile; & *gratia adiuuet infirmitatẽ nostram.* 2. quia sequitur spiritum, non carnem. *Spiritus enim promptus est*; licet *caro* sit *infirma.* 3. quia cogitat pro hoc labore mercedem esse in cœlis
Rom. 8. paratam, dicendo cum Apostolo. *Non sunt cõdigna passiones huius temporis ad futuram gloriam.* 4. quia oculos in vitam ac passionem Christi conijcit, reputans nihil esse, quod ipse seruus, pro seipso tolerat, respectu eorum quæ Christus pro salute nostra, & Dei gloria tolerauit. 5. quia didicit à Christo, vt *mitis* sit, in omnibus se cum voluntate diuina conformando, & *humilis corde*, reputãdo se nõ tantum has molestias & labores, quos Deus immittit, suis peccatis ac imperfectionibus meritũ esse; sed etiam maiores, à quibus tamen Deus ipsum, pro infinita sua bonitate, ac cura prorsus paterna, liberare dignatus est.

MEDITATIO XXXVII.
DE BEATITVDINE AC DEI VISIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Ioan. 14. I. *Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum, & in me credite; in domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

II. *Vado*

II. *Vado parare vobis locum, vt accipiam vos ad meipsum. Ego sum* via, veritas, & vita; *nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

III. *Domine, ostende nobis Patrem & sufficit nobis. Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.*

DOCVMENTA.

1. *Non turbetur cor.* Homo in vera fide, Dei gratia, & pietatis cultu constans, nullam habet causam, cur turbetur, etiamsi multa hic pateretur; immò habet causam potius, vt gaudeat; prout faciebant Apostoli, qui virgis cæsi à Iudæis, ibant gaudentes quia digni erant pro nomine IESV contumeliam pati. *Act. 4.*

2. *Creditis in Deum, &c.* Causa præcipua turbationum nostrarum est defectus *veræ ac viuæ fidei* in Deum ac Saluatorē nostrum, quia scilicet non cogitamus, omnia quę nobis eueniunt, venire à patre nostri amantissimo, à quo omnia, etiam difficilia suscipienda sunt, sicut fecit Christus, qui de amarissimo passionis suæ calice dicebat Petro: *Calicem, quem dedit mihi Pater &c.* non Iudas, non Iudæi, non Pilatus dedit; sed ipse Pater. 2. non reflectimus etiam oculos fidei ad Saluatorem qui tanta pro nobis passus est; qui gratiam nobis meruit, qui nobis affutu-

rum promisit, modo ad eum recurramus, & itemus in ipso, non in nobis fundati.

3. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Hæc causa etiam deberet nos ad multa pro Deo ac salute nostra, toleranda excitare; quod variæ manfiones, & beatitudinis gradus in cœlis sint, quos DEVS vnicuique tribuit, prout in hac vita meruerit. Itaque sicut filij huius sæculi, nunquam cessant, sed semper aspirant ad maiores opes, honores, officia, dignitates, &c. nec labores pro ijs tolerandos refugiunt; ita nobis multò magis pro vita æterna, & pro virtutibus, quibus ea acquiritur; laborandum est, & in cœlo Sancti differunt inter se, *sicut sol, stellæ, &c.* prout quisque maiorem aut minorem gratiam ac perfectionem caritatis, in hac vita sibi acquisiuit.

4. *Ego sum via &c.* Videndum nobis, quomodo Christi vitam ac virtutes imitemur, scientes illum nobis esse propositum tanquam exemplar, ad quod conformemur; tanquam viam, in qua ambulemus; non ad speciem externam simulando, sed in rei *veritate* conando, vt semper simus sine peccato, cum gratia Dei, quæ est principium *vitæ* spiritalis, sine qua coram Deo non viuimus, & opera omnia sine illa mortua sunt. Ita vixerunt coram Deo omnes SS. & maximè Apostoli. &c.

5. *Domine ostẽde nobis Patrem.* Optimum desiderium nostrum est, vt desideremus. i. ex hac vita discedere, si ita expediat, vt Deum videamus, in qua visione Beatitudo nostra

est,

est, & sufficit pleneq;, satiat. 2. Si hoc nondum Deo placet, rogemus, det gratiam semper cogitandi de Præsentia Dei, quod vnum est ex optimis exercitijs; & *sufficit* pro via, purgatiua, illuminatiua, vnitiua vt tradit P. Arias & P. Rodriq. de præs. Dei.

6. *Tanto tempore*, &c. Multò magis nobis hoc Deus exprobrare posset, qui tanto tempore tot occasionib. nihil aut parũ proficimus.

7. *Quicquid petitis det.* Ne desponde animum, quia Dei gratia semper potens est. Hanc à Patre benignissimo pete, impetrabis.

MEDITATIO XXXVIII.

DE MORTIFICATIONE SVI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Nisi granum frumenti mortuum fuerit, solum manet; si mortuum fuerit, multum fructum affert.* Ioan. 12.

II. *Qui amat animã suam, perdet eam; qui verò eam perdiderit, inueniet eam.*

III. *Qui mihi ministrat, me sequatur, & mecum erit &c. qui ministrauerit, honorificabit eum Pater, qui in cœlis est.*

DOCVMENTA.

1. GRANVM FRVMENTI fuit Christus Saluator, qui ex patris æterni voluntate, & sua ipsius electione mori debuit, pro salute nostra, ac per mortem copiosissimum fructum tulit : eius exemplo quiuis Christianus (qui etiam granum frumenti est vti de se dicebat S. Ignatius Martyr: Frumentum Christi sum) debet etiam spiritaliter mori, vel per tribulationes à Deo immissas (voluntariè acceptando tanquam saluti necessarias & vtiles) vel per virtutem mortificationis, in refrænandis omnibus passionibus & vsu sensuum, immò tota vitæ ratione, quamuis naturæ durum sit, atque difficile: nam & grano (si sensum haberet) graue videretur in terram conijci, computrescere, mori; postea sequitur fructus, tum in nobis in hac vita (perfectio) & futura (Gloria) tum in aliis ad exemplum.

2. *Qui amat animam, &c.* Per animam hic intelligitur *vita* hominis, quia anima est vitæ principium ; tum potentiæ & passiones, quæ animæ à Deo datæ sunt, ad vitam ducendam. Hanc ergo animam iubemur perdere. 1. libenter offerendo vitam pro Christo, vel ad passionem (si ita ipsi placeat) vel ad labores, tribulationes pro eo tolerandas. 2. ita tractando omnes sensus internos, atque externos ; omnes passiones vtriusque appetitus, vt sincerè ad Dei gloriam, & nostram salutem, omnes actiones dirigantur. Sicut fecit S. Laurentius (optando mori cum S. Xisto Papa) alijque martyres vitam profundendo, & tot SS. Confessores, in eremo, tam multa à dæmonibus inflicta, vel à se ipsis impo-

sita,

sita, voluntariè sustinendo pro sua salute. Aliàs homo *perdit animam*, qui inordinatè vitam diligit; suis passionibus inordinatis ac sensualitati fræna laxat, ex quo plurima peccata dimanant.

3. *Si quis mihi ministrat* Quamuis Clerici, ac religiosi communiter dici soleant, Christi seu *Ecclesiæ ministri*; tamen hic titulus suo modo etiam in omnes Christianos conuenit, vt scilicet omnes Deo ministrent, atque opera sua in laudem & commodum Dei ac Domini sui perficiant. Sicut sæpè monet Apostolus, vt omnia in nomine Domini faciamus; immò famulis præcipit, vt obediant Dominis tanquam Deo. Hinc etiam illud quod sequitur: *Me sequatur*; omnibus conuenit, docet verum Christianum illum esse, qui non imitatur mores, virtutes ac vitam Christi, prout omnes admonuit S. Ioannes, *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* 1. Ioan. 2. 6.

4. *Vbi sum, ibi & minister meus erit.* Hoc est, præmium amplissimum nobis propositum, vt eiusdem gloriæ cœlestis, qua Christus beatus est, simus participes, adeo vt affirmet, eum, qui vicerit, secum *in eodem throno* sessurum, atque etiam officium regendi gentes, (quod Christo singulariter tribuitur) etiam ei, qui vicerit, tribuendum dicatur. Apoc. 3. 21.

5. *Honorificabit eum Pater.* Aliud significatur præmium quod scilicet eidem Dei seruo, honor tribuatur; tum in hac vita (vti videmus bonos & pios viros à principibus Apo. 19. 15. Apoc. 2. 27.

pibus & Imperatoribus honorari, sicut cum
Psa l.8.6 S.Antonio fecit Constantinus M. & in futura, vbi gloria & honore coronantur.

MEDITATIO XXXIX.

DE DILECTIONE ET PERSECVTIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Ioan. 15. I. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem odio habuit.*

II. *Non est seruus maior Domino, vos persequentur, sermonem vestrum non seruabunt; quia eadem mecum egerunt.*

III. *Ex incarnatione & doctrina (quia Christus venit, & docuit & miracula fecit) augetur Iudæorum peccatū, vt sint inexcusabiles.*

DOCVMENTA.

1. HÆC *mando*, &c. Christus Apostolis, hac nobis omnibus Christianis, mandauit caritatem mutuā, tum quia illa est, *Vinculum perfectionis*: tum quia omnia præcepta, teste S. Gregorio hom. 27. in Euangel., in sola caritate solidantur, sicut in arbore rami omnes, à radice exeunt, & conseruantur,

tur, adeò vt opus externũ, quantumuis bonum appareat, nihil habeat gratiæ apud Deum, nisi à caritate procedat.

2. *Si mundus odit.* Hæc consolatio duplex est, pro piis hominibus, qui sæpius à mũdanis odio ac derisione appetuntur, tum quia Christum in eo Ducem habent; tum etiã, quia inde argumentum certum sumunt, se ad mundum non pertinere, quippe, qui nihil suum (hoc est, non amorem opum, honorum, cupiditatum) in illis inueniat.

3. *Non est seruus maior Domino.* Homo dicitur Christi seruus. 5. de causis. 1. quia ad imaginem Dei creatus. 2. quia pretioso Christi sanguine à seruitute peccati ac Dæmonis redemptus. 3. quia ad fidem Catholicam vocatus. 4. quia in Baptismo Sathana eiurato, ac Pompis eius, Christo Domino addictus. 5. si religiosus sis aut Sacerdos, quia voto, & maioris perfectionis obligatione adstrictus, & quasi totus in spiritale holocaustum Deo oblatus.

4. *Vos persequentur.* Christus monet suos de persecutione, vt scias te, tum demum esse Christi discipulum; si eum præcipuè in aduersis, ac patientia imiteris: iuxta illud *omnes, qui volunt piè viuere, persecutionem*, à mundo, carne, Dæmone *patientur.*

5. *Si non venissem &c. peccatum non haberent.* Si Iudæi fuêre inexcusabiles, multò magis nos erimus, post dilatatam toto orbe fidem, & cognitionem perfectionis; maximè. Tu qui tot beneficia spiritalia; tot visitationes à Deo suscepisti. Vt inter cetera. 1. quod Christia-

nis parentibus ortus. 2. à Catholicis præceptoribus tam piè institutus. 3. in B. Virginis Sodalitate, tot animis ad virtutem informatus. 4. toties sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis confirmatus. 5. tot diuinis inspirationibus illustratus. 6. tot concionibus atque exhortationibus sacris instructus. 7. tot Sanctorum vita ac rebus gestis, ad omne bonum incitatus: Vt merito fructum Deo tuo ferre debeas, aut non habiturus sis, vel minimum titulum, quo te excusare possis, si vitam perfectam, ac talibus beneficijs dignam non traducas.

6. Causa vna ex præcipuis, cur Iudæi (& maximè Pharisæi) Christum pro verò Messia non agnouerint, fuit 1. Suprema Christi humilitas, ipsorumque superbia, cùm putarent Messiam (de quo tam multa & tam magnifica in sacris litteris habentur) tam abiectum, aut pauperem esse non posse; nec primum aduentū ad mundi redemptionem factū, à secundo (ad eiusdē iudicium futuro) distinguere sciebant, ac in tali iudicio persistebāt. Vt discas quā periculosum sit ad opes, honores, aliasq; mundi vanitates inordinate affici, suoque iudicio nimium adhærere.

7. *Odio habuerunt me gratis.* Hæc est pœna grauissima sæpeque in punitionem peccatorum præuenientium infligitur: vt homo incidat in obstinationem & odium Dei, itaque vide vt in timore Dei ac humilitate persistas.

MEDI-

MEDITATIO XL.

DE SS. COMMVNIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Thomas cum ab cœtu Apostolorum abfuisset, caruit visitatione Christi, & incidit in periculum dubitationis, pertinaciæ, &c.* Ioan. 20

II. *Christo apparente, in medio stante, atque ipsum vocante, ita mutatus est, ex attactu SS. vulnerum, vt exclamaret:* Dominus meus, & Deus meus!

III. *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt.*

MONITIO.

S. GERTRVDIS, quæ Christo Domino erat valdè familiaris, petijt aliquando à Christo, quisnam modus foret optimus præparandi se ad sacram communionem? Respondit, vt S. Thomam imitaretur; & hic dabatur aliquod specimen.

DOCVMENTA.

1. THOMAS *non erat intus.* Multum obfuit S. Thomæ, quod ſicut alij Apoſtoli, poſt fugam, quæ tempore paſſionis acciderat, non reuocarit ſeipſum & ad vnum locum, vbi reliqui congregati erant, non redierit; ſic etiam communicaturo, vel ſacrũ facturo, plurimum damni affert nimia effuſio ad res ſæculares, omiſſa animi recollectione; quam qui ſeruant, Apoſtolorum more, Chriſtum in medio ſui experiuntur.

2. *Niſi videro &c. non credam.* Hic eſt effectus huius abitionis D. Thomæ ſcil. dubitatio ſeu tentatio de rebus fidei, vt de reſurrectione Chriſti toties prædicta, item pertinacia, in proprio ſenſu aliis contemptis etiam ſuperioribus; vt hic cum S. Thoma & D. Petro accidiſſe, probabile eſt. Cum tamen antea tam ardens fuerit, vt apud Dominum, cum aliis Apoſtolis conſtitutus diceret Ioan. 11. *Eamus & nos, & moriamur cum ipſo.* Sic euenit hominibus piis, aut religioſis, qui tempore conſolationis ad omnia ſeſe quam promptiſſimos, ac paratiſſimos exhibent. Illi tamen ipſi, ſi in noxium aliquem teporem, defectu piorum exercitiorum aut alia ratione, inciderint, euadunt duri, contumaces, refractarij; vt vix iuuari poſſint; niſi eo modo, quem in S. Thoma videmus, ſanentur.

3. STETIT IESVS. Hoc eſt conuerſionis initium, quando Deus ex ſola ſua benignitate, ſine vllo noſtro merito, ſtat in medio noſtri, & cor ipſum per aliquam piam inſpirationem commouet, aut animam alloquitur, ſicut hic cum B. Thoma egit dicens: *Infer digitum*

gitum huc &c. Vt consideret beneficia Dei in se, & maximè sacram eius passionem, quia nobis peccatorum remissionem obtinuit.

4. *Dixit* THOMAS: *Dominus meus & Deus meus*, hoc est alterum medium conuersionis, ex parte nostra. S. Thomas hic accessit ad Christum cū 4. virtutibus. 1. *cognitione* Dei ac sui, fatendo eum Dominum, se seruum; eum Deum, creatorem &c. se creaturam. 2. *cum humilitate*. 3. *cum pietate*, interna atque externa, qua decet nos, Deum accedere. 4. *cum purissima* intentione Deo ac Domino suo tantum placendi: Has virtutes qui seruat, facile cum Dei gratia iuuari potest, maximè si ante communionem vtatur præparationibus aptis quales præscribit. P. Iacobus Aluarez de Paz in libro maiori de modo religiosè viuendi lib. 2. cap. 8.

POST COMMVNIONEM.

5. Sūpto intra cor tuū sacrosancto Christi corpore, conare vt intres in sacra eius vulnera, accedēs ad Dominum cum 4. virtutibus de quibus §. 4. dictum, vt ibi caritatem eius contempleris, vti faciendum docet S. Bonauentura in stimulo amoris.

6. *Dominus meus &c.* adhibendæ sunt variæ gratiarum actiones, vno die velut ad dominum; alio die ad Regem; tertio velut ad amicum patrem &c. prout tradit Iacobus Aluarez de Paz l. 2. c. 10. &c. dona petenda sunt, vt idem docet ex S. Bonauentura.

7. Offer teipsum ad labores, immo ad mortem ipsam; sicut fecit S. Thomas, quando ad Christum conuersus est; plurimos alios ad ipsum sua doctrina atque exemplo traducendo.

MEDI-

MEDITATIO XLI.

DE CAEDE PROPHETARVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Matt. 23 I. *Dixit Iesus turbis & principibus Sacerdotũ Ecce mitto ad vos Prophetas, sapientes, &c. ex illis occidetis.*

II. *Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos? &c.*

III. *Relinquetur domus vestra deserta.*

DOCVMENTA.

1. *Ecce mitto* Mira Christi bonitas, qui cùm tanto tempore, Iudæis, tunc obstinatis concionatus esset, sine vllo, aut valdè paruo cum fructu (apud Principes ac præcipuos Iudæorum, à quibus erat occidendus) tamen adhuc spondet se missurum Prophetas & Scribas, id est, Apostolos & concionatores, S. Scripturæ interpretes, qui illis nouam legem explicent, & Christi doctrinam per Iudæam proponant. Idipsum præstat etiãnum Ecclesiæ suæ, quam nunquam deserit procurando varios Ecclesiasticos, religiosos pios ac doctos, qui legem euangelicam inter Catholicos, hæreticos, infideles, &c. proponant, magno labore, &c. propter Deum: vt

Apo-

Apostoli, alijq; viri pij ac docti Apostolorum tempore fecerunt.

2. *Et ex illis occidetis.* Magis & hoc mirandum quomodo DEVS permiserit ferè omnes Apostolos & primos fidei Christianæ præcones ac propagatores immo & vnigenitum filium suum occidi, ac tantis pœnis cruciatibusque affici: Nimirum sapientissimus ille DEVS (qui potuit impedire) maluit hæc mala permittere, vt plurima inde bona eliceret: quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, Roman.* 8. Nam ex Passione CHRISTI secuta est SALVS MVNDI; ex morte Sanctorum, conuersio plurimorum aliorum, meritum ipsorum, ædificatio posterorum, multitudo miraculorum v.c. ex Oratione S. Stephani (teste S. Aug.) secuta est S. Pauli conuersio. Similia hodieq; eueniunt ad Dei gloriam, & aliorum salutem in India, Iaponia, China, Brasilia, Mexico, Abassia &c.

3. *Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios?* &c. En tenerrimum CHRISTI amorem erga hostes suos capitales: non ignorabat Iudæos, qui Hierosolymis habitabant, sibi mortem machinari (quam non ita multo post, ei intulerunt) tamen eos ita amabat, vt filios suos appellaret, & tanquā pater benignissimus eos suscipere paratus esset: sicut iam peccatoribus contingit, qui illum (quantum in se est) rursus crucifigere parant. *Hebr.* 10. 6. Talem amorem ostendere debet superior, pastor &c. in subditos.

4. *Quemadmodum gallina* &c. Sicut gallina clamore & rostro, pullos suos defendit, et iam cum vitæ periculo, fame se conficit, vt eos alat; protegit contra æstum, frigus, pluuias, sese,

sese pro illis exponens, ita & Christus pro suis electis fecit, & superiores præstare debent sibi subditis, monendo, caueant à laqueis Diaboli, sub alis caritatis & disciplinæ continendo, donec proficiant &c.

5. *Relinquetur domus vestra deserta* De templo Hierosolymitano, toto orbe tunc celeberrimo intelligit; quod post Christi passionẽ omnino relictum ac euersum est. Nam paulo ante Vrbis euersionem auditæ sunt, teste Iosepho, voces dicentium: *Migremus hinc.* Idem euenit animæ peccatrici, quam DEVS & Angeli derelinquunt.

MEDITATIO XLII.
DE SAMARITANO ET LEVITA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Christo dicente discipulis: Beati, qui vident, quæ videtis: quidam Legis-Doctor quærit: quod sit maximum mandatum? Resp. diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde &c. & proximum tuum, sicut teipsum.* Luc. 10

II. *Hoc instãte; quisnam esset proximus? Resp. qui facit misericordiã erga miseros; quod probat adhibita parabola.*

III. *Cuidã à latronibus in via vulnerato, Sacerdos & Leuita transiens opem non tulit, at Samaritanus oleum ac vinũ infundens vulneribus, duxit in stabulũ eumq; stabulario cõmendauit.*

DOCVMENTA.

1. BEati oculi, *qui vident &c.* Discipuli Christi videbant. 1. oculis corporis hominem ambulantem docentem &c. sed hoc non est satis quia eodem modo videbant eũ impij Iudæi atq; inimici eius nec ideo erãt Beati. 2. Discipuli videbant oculis fidei eius miracula, & illi credebant; vt factum ait S. Ioannes in Cana Galileæ, vbi crediderunt in eũ propter miraculum, & Nicodemus aperte professus est. 3. accedebat in Apostolis PIVS AFFECTVS, fidei comes, ob quem dicebat S. Petrus Ioan. 6. Domine, quo ibimus? verba vitæ æternæ habes. Eadem habere debent boni Catholici in rebus fidei. 1. vt mysteria sibi proposita exterius agnoscant. 2. Eadem interius per habitũ fidei credant. 3. vt ad eadẽ afficiantur, putantes, se vere beatos esse, *beatitudine viatoris*, si eis perfectè & ex affectu intimo assentiantur. Pro quo beneficio tibi dato, gratias age, quia multi tale beneficium optarunt, & non sunt consecuti.

2. Inter hæc surrexit Legisperitus à Christo. ex curiositate potius, atque ambitione, quam discendi studio, petens: quodnam esset magnũ mandatum in lege?

Resp. *Diliges Dominum Deum ex toto corde &c.* de quo vide meditationem XXVI. pag. 503. addens secundum huic simile: Diliges proximum, quod exemplo declarat, vt scias caritatem non in verbis, sed factis consistere.

3. In hac aũt parabola explicatur stultitia, ac miseria peccatoris, modusq; ad perfectã sanitatẽ veniẽdi. Vides itaq; quãta fuerit hominis istius imprudẽtia qui relicta, Ciuitate Sancta Hierusalẽ, q̃pacis visio dicitur, ita à Deo tũc dilecta, volue-

voluerit descendere in Hiericho (id est, vrbem Lunæ) ciuitatem à Deo toties maledictam & quidem cum tãto periculo. Maior Imprudentia in Christiano, qui Deũ deserens, in cuius gratia erat per baptismum & alia Sacramenta, dat se rebus sensibilibus & mutabilibus huius mundi (quæ est vt Hiericho) mutabilis, maledictus, quatenus à Deo abducet.

4. *Incidit in latrones.* *Latrones* qui animæ tuæ insidiantur, sunt capitales hostes Dæmon, Mundus, Caro, *vulnera*, sunt peccata tum *Mortalia*, per quæ tollitur gratia, vita animæ: tum *Venialia*, quæ animam fœdant, & dedecorant: & quemadmodum latrones incenso desiderio feruntur ad prædas hominũ, transeuntes ex insidiis aggrediuntur, quandoq; se amicos fingunt. Ita hostes tui maximè dæmones, nil aliud desiderant, quam homines mergere in interitum. Ah quã sæpe nil minus cogitans deceptus es, & ex vno peccato in aliud traductus! cautior ergo posthac sis, & in tam periculoso loco tibi attende.

5. *Abierunt semiuiuo relicto.* Iacuit hic miser tot vulneribus confossus & deformatus, qui nec à Sacerdote vel Leuita transeunte est adiutus, donec veniret Samaritanus, qui in iumentum eleuans, vulnera purgauit vino & oleo, eaq; ligauit & in hospitiũ auexit. Idẽ etiã animæ tuæ accidit, quando peccatis sauciata: torpet ad omne bonum, adeò vt nec exhortationes, conciones aliaq; exercitia perfectè sanarent: donec verus Samaritanus Christus eã eripit, & per Sacramentum pœnitentiæ (in quo misericordia & pœna adhibetur) vulnera purgans, tali loco statuit, quo perfectè saneris. Hoc ergo studе vt assequaris.

6. *Curam*

6. *Curam illius habe.* Homini post confessionem factam peccata quidem sæpe remittuntur, manent tamen in anima ipsa vel in appetitu praui habitus, per frequentes actus acquisiti, & in corpore malæ dispositiones & inclinationes ad peccatum. De qua re S. Aug. 14. de Trinit. c. 16. *Renouatio ista non momento vno fit ipsius conuersionis: sicut momento vno fit illa in baptismo renouatio remissione omnium peccatorum:* neque enim vel vnum quantulumcunque remanet, quod non remittatur. Primo ergo remouetur causa languentis (per indulgentiam peccatorum) postmodum ipse languor sanatur paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis, amorem ad æterna transferendo: cupiditates frænando, &c.

7. Modus commodissimus perueniendi ad sanitatẽ est offerre se diuinæ voluntati promptum ad omnia emendanda, tantum suggerat media quæ adhiberi debeant. Quod vt melius intelligatur finge ante te esse tres ęgros, quorũ primus velit quidem sanari, sed nolit adhibere medicinas vllas ob amaritudinem, nec abscissionem vel vstionem membri, aut vulneris propter dolorem. Secundus velit sanari, etiam adhibere medicinas, sed quas ipse probet & iudicet, non eas quæ aptæ sunt morbo v. g. si nolit abstinere. Tertius deniq; se totum medico submittat, vt & diætam imperet & vrat & secet ipsa etiam membra, si opus sit, ita in peccato etiam sanando aliquorum cohabitatio conuersatio &c. tollenda est, vel nihil proficitur (quia manet in statu peccati vel in proxima occasione peccandi. Faciendum hic quod Christus monet *Matth.* 5 29. *si oculus*, id est, amicus vel res tam cara ac oculus, *manus*,

pes

pes scandalizet te. id est, à Deo te trahit *abscinde eum & proijce abs te*, Conclude solum vltimum ex his tribus velle sanari, & eundem affectum tu indue &c.

Mat. 25.

MEDITATIO XLIII.
DE EXTREMO DIE IVDICII.

I. *Dixit Iesus discipulis: cum venerit filius hominis in maiestate sua cum Angelis, venient omnes gentes, & separabit eos, &c.*

II. *Stantibus ad dextram dicet: venite benedicti; possidete regnum. Esurui & dedistis (in pauperibus) cibum.*

III. *Stātibus à sinistris dicet: Ite maledicti in ignē æternum. Esurui & nō dedistis &c. ibūt hi in supplicīū æternū.*

PROPHETIAE.

Isa. 2. 10 & 19. Isa. 26. 21. Dan. 7. 9. & 14.

INgredere in petram, & abscondere à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eiº.

Dominus egredietur &c. terra revelabit sanguinem &c.

Aspiciebam, Throni positi sunt.

DOCVMENTA.

1. *VEnit filius hominis cum Maiestate.* Hanc maiestatem meruit Christus cum potestate iudicandi, tum per Incarnationem suam, (*Ioan. 5. quia filius hominis est*) tum

per passionem, postquã dicebat *Matt.* 28. *Data est mihi omnis potestas &c.* sicut & ipsis Iudaeis, nocte passionis dixerat, Matth. 26. *Videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli.* vt in omnibus laboribus ac rebus aduersis spe illius gloriæ ac retributionis teipsum excites.

2. *Cum Angelis* Dei Illi erunt præcipui administri Christi propter electos, ferentes crucem Christi, tuba canentes, & cineres ad resurrectionem, quæ subito fiet, colligentes, vt omnes boni, & mali, in vallem Iosaphat cõueniant sis semper memor illius diei cũ S. Hieronymo, qui semper putabat se audire vocẽ clãgẽtis: surgite mortui; venite ad iudiciũ.

3. Separabit oues ab hœdis: Iustorum corpora erunt tunc pulcherrima, & quatuor dotibus corporis glorioſi donata, adeo vt per agilitatem, tanquam aues per aerem Christo ac Sanctis Angelis occursuri sint. Sicut è contrario, corpora impiorum erunt fœda, & in terra, cui nimium adhęserunt, detenta, vt discas corpus tuum ieiuniis, ciliciis, disciplinis affligere, quo magis tunc fulgeat; animum verò à terrenis abstrahas vt iã conuersatio tua in cœlis sit; sed multo magis abstrahe te à peccatis, quæ toti mundo summo cum pudore, & ignominia patebunt; quia tunc aperientur LIBRI conscientiæ, in quibus continentur peccata *scripta Hierem septimò, super latitudinem cordis.* Nisi forte illa peccata, vera pœnitentia & sincera confessione deleta fuerint; vt discas hic & peccata vitare, &, si ex fragilitate incideris, eadem quam primũ pœnitẽtia & cõfessione abolere: quia hic pudor, ex peccatis ortus, erit grauissima impiis pœna, maximè

hypo-

hypocritis, qui boni putabantur, cum essent *intus & in cute nequam* atq; impij.

4. *Venite benedicti, possidete regnum.* In multis apparet infinita bonitas. 1. dat regnũ iustis quasi hæreditatem filiis. 2. illis ab æterno parauit. 3. datum pro re minima v. c. visitatione ægri &c. 4. opera misericordiæ dicit sibi ipsi facta. 5. minimum quemq; ex pauperibus vocat fratrem. Vt humilitatem discas, & opera misericordiæ exerceas (quæ tunc tanti fient) quamuis alia etiam opera examinanda & remuneranda sint; sed hęc & magni fiunt, & misericordiam merentur.

5. Malis dicet: *discedite maledicti:* quia vox Dei efficax est:: vt in prima rerum creatione apparuit: hic erit fons perpetuus miseriæ in impiis, qui maiestate Christi iudicis, tanto pudore, coram toto mundo afficientur vt optarent potius, esse statim in inferno, montibusque dicturi sint. *Cadite super nos, & collibus operite nos.*

6. *In ignem æternum:* grauissima erit pœna, vt quotidie in nostro videmus & experimur, qui tamen est velut ignis pictus ad vinum comparatus, vt discas hic cum Sanctis pati, vt ignem inferni euadas, qui intolerabilis est, præcipue ÆTERNVS, DVRANS IN SÆCVLA SÆCVLORVM.

FINIS.

MOR-

MORTALIVM ANIMIS AEVITERNIS SACRVM.

ANNOS ÆTERNOS IN MENTE HABVI. *Psal* 76.

O

ÆTERNITAS,

QVAM RARO VERSARIS IN MENTIBVS HOMINVM!

Iterum Dico,

QVAM RARO VERSARIS IN MENTIBVS NOSTRIS!

ÆTERNITAS.

O ÆTERNITAS! HEV ÆTERNITAS!

QVID DICAM, AVT QVOMODO DICAM? QVIS EXPRIMAT? QVIS CONCIPIAT?

QVID SIT

ÆTERNITAS,

COGITO MILLE ANNOS,
COGITO MILLIES
MILLE ANNOS,

Cogito tot annorum millia, quot sunt Momenta in Toto Tempore à condito mundo, usque ad eius consummationem.

ET DE ÆTERNITATE ADHVC NIHIL HABEO;

O AETERNITAS!
HEV ÆTERNITAS!

QVIS POTERIT PAR ESSE ÆTERNITATI IN TORMENTIS?

Volo dicere, & nescio dicere:

QVAMDIV DEVS ERIT DEVS, TAMDIV DVRABVNT TORMENTA.

QVAMDIV
HOC ERIT?
ÆTERNITAS! ÆTERNITAS!
ÆTERNITAS!

NON

ON EST EFFARI, NON EST
CONCIPERE: NON EST
INVENIRE ISTVD

QVAMDIV
AETERNITAS! HEV
ÆTERNITAS!

ÆTERNITAS. ex Ad. Sasboldo Hom. Dom. 40.

O
DEVS, HIC VRE,
HIC SECA,

MODO IN AETERNVM
PARCAS. ex D. Aug. in Medit.

INDEX EV

ANGELIORVM QVÆ DOMINICIS DIEBVS ET PRÆCIPVIS FESTIS TOTIVS ANNI secundum vsum Ecclesiæ per Galliam & Germaniam, leguntur.

DOMINICA I. Aduentus, De ingressu Christi in Hierusalem. pag. 228
2. De signis extremi iudicij 520
3. De S. Ioanne in vinculis 446
4. De legatione ad Ioannem 449
Dom. Infra Natiuitat. Domini. 451
Infra Circumcisionem: De fuga in Aegyptum 29
1. Post Epiph. De ascensu Christi in templum anno 12. 32
2. De nuptijs in Cana Galilææ 53
3. De leproso & Centurionis seruo 104.
4. De sedata maris tempestate 77
5. De bono semine & zizanijs 453
Dom. Septuagesimæ De operarijs in vineam missis 455

Sexa-

Sexagesſ. De ſemine in terram iacto 459.
Quinquagesſ. De Paſsione Chriſti & cœco 185
Dom. 1. Quadrageſimæ. De tentatione Chriſti 46
2. De Cananæa filia 133
3. De dæmonio muto 138
4. De multiplicatione quinque panum 125
5. De immunitate Chriſti à peccato 461
6. De ingreſſu Chriſti in Hieruſalem 228
Dom. Reſurrectionis 343. 348
Fer. 2. Paſchæ. De apparitione 2. diſcipulis facta 351
3. De apparit. diſcipulis congregatis facta 355
Dom. 1. poſt Paſcha. De apparition. D. Thomæ cum alijs facta 359
2. De bono paſtore 463
3. *Modicum & non videbitis me, &c.* 465.
4. *Vado ad eum, &c.* 467
5. *Orandum Patrem* 469
Die Aſcenſionis 368

Dom. post Ascensionem: *Cum venerit Paraclitus* 471
Dom. Pentecost. De missione Spiritus sancti 372
Die SS. Trinit. De Nicodemo 473
Festo Corporis Christi 236. 240
Dom. 1. post Trinitat. De diuite & Lazaro 476
2. De Cœna magna 478
3. De oue perdita 481
4. *Estote misericordes, &c.* 483
5. Christus docet è naui Petri 69
6. De iustitia Pharisæorum 485
7. De septem panibus 487
8. De falsis prophetis 489
9. De villico iniquitatis 492
10. De fletu Christi super Hierusalem 199
11. De Pharisæo & Publicano 494
12. De surdo & muto 138
13. De Samaritano & Leuita 548
14. De decem leprosis 497
15. De duobus dominis 499
16. De filio viduæ Nain 107
17. De hydropico 501
18. De mandato 503

19. De paralytico 80
20. De veste nuptiali 505
21. De Reguli filio 509
22. De Rege & seruo 511
23. De numismate 514
24. De Hæmorrhoissa 83
25. De abominatione desolationis 517.
26. De iudicio extremo 552
alij de multiplicatione panũ. 125

IN FESTIVITATIBVS SANCTORVM.

FEsto S. Andrææ: De vocatione Apostolorum. 50
Conceptionis immacul. B. Virg. 377
S. Thomę: De eius conuersione 543
Natiuitatis Christi 12
S. Stephani: De occisione Prophetarum 546
S. Ioannis Euang. Christus Petrum vult se sequi 529
SS. Innocentium: De fuga in Aegyptum 29
Circumcisionis 18
Epiphaniæ 21

Conuersionis S.Pauli: *Dixit Simon Petrus &c.* 121
Purificationis B. Virg. *Postquam impleti sunt, &c.* 25.& 402
S. Matthiæ Apost. 531
S. Ioseph. *Cum esset desponsata* 9.& 389
Annunciationis B. Virg. *Missus est Angelus* 1.& 393
S. Marci Euangelistæ: *Designauit Dominus.* 121
SS. Philippi & Iacobi Apost. 434
Inuentionis S. Crucis 473
Apparitionis S. Michaelis : *Accesserunt discipuli* 155
Natiuitatis S. Ioannis Baptist. *Elisabeth autem* 416
SS Petri & Pauli : De confessione Petri 142
Commemorationis S. Pauli: *Ecce ego mitto vos* 121
Visitationis B. Mariæ Virg. *Exurgens Maria* 6.& 398
Octauæ SS. Petri & Pauli: *Iussit Iesus discipulos* 129
B. Mariæ Magdalenæ: De conuersione eius 111
S. Iacobi Apost. *Accessit ad Iesū mater* 181.

Trans-

Transfig. Dom. *Assumpsit Iesus* 147
S. Laurentij. *De grano frumenti* 537
Assumptionis B. V. De historia 412
S. Bartholomæi: *De oratione Christi in monte* 121
Natiuitatis B. Mariæ Virg. *De genealogia Christi* 381
Exaltationis S. Crucis: *De crucifixione Christi* 306
S. Matthæi Apost. *De eius vocatione* 66.
S. Michaelis: *De paruulis imitãdis* 155
SS. Simonis & Iudæ Apost. *De dilectione mutua* 540
Omnium Sanctorum: *De octo Beatitudinibus* 94
S. Martini: *De lumbis præcingendis* 433
Præsentationis B. V. *De historia* 385
S. Catharinæ: *De 10. Virginibus* 439

COMMVNE SANCTORVM.

DE communi Apostolorum 412
SS. Martyrum 428
Confessorum 433
Virginum 439
Dedicationis ecclesiæ. 190

FINIS INDICIS.

Liber Collegij Soc. Jesu Paderb. A°. fol 23.

ERRATA.

Numerus primus paginam, secundus lineam indicat.

1. penul. Rebeccam. 9. antepen. fiducia, fiduciã. 23. 15. de ere; defere. 28. antepen. cõsolationem, consolationum. 33. 16. baculis, baculus. 69. 25. mihi, nihil. 9. 16. miracurum, miraculum. 97. relinquarum, reliquarum. 153. 3. nominatum, nominatim. 155. 23. vix, nix. ibid. 27. Angelus, Angelis. 167. 12. persecutores, persecuturos. 168. 14. exceptis, exceptus. 169. in marg. Cant. 5. 2. ibi. 7. gutture, gutturi. 172. 9. ab, tolle. 189. 26. emendatio, emendata. 181. 29. natura, tolle. 186. 28. cessent, cessant. 184. 26. obmurmorationi, obmurmurationi. 205. 7. hortus, botrus. 206. 8. Christus, Christo. 209. 14. desertum, desertus. 215. 28. à crescentibus, arescentibus. 225. vlt. ab, tolle. 249. deiectione, Dei eiectione. 261. 21. cõniuiat, conniueat. 209. 16. alaphas, alapas, ibid. 20. incideret. incederet. ibid. 29. frustro, frusto. 296. 16. Regi, Rege. 370. 21. præfuit, præsunt. 375. 30. solutari, salutari. 393. 7. existent, extent. 441. 16. fautis, fatuis. 442. 30. discustienda, discutienda. 447. 5. neruam, neruum, ibid. 7. veniet, adde, &. ibid. 8. patebant, patebunt. 449. antepen. prophetet, propheta. 453. 17. affectibus, effectibus. 454. 8. plantaui, adde, in. 455. 6. conuertunt, aduertunt. ibid. 8. colligat, colligant. 458. vlt. finem, fine. 459. 22. & iã, etiã eos. 460. 16. vnitatẽ, bonitatem. ibi. penul. animi, animo. 462. 16. vnxit, adde, te. ibidem 17. laborum, lumborum. 463. 7. patitẽter, patienter. ibid. 8. potest, adde, quia. 464. 6. vteretur, vreretur. 466. 2. derogare, rogare. ibi. 20. suis, pijs. 468. 2. paraclytus, paraclitus. ibid. 14. spiritu, scilicet. 470. 11. etiam, &. 47. 9. applicat, adde, Apostolis. ibid. 19. officium, officiosum.

cioſum. 474. 11. Chriſti, præpone, in. 475. 28. imitatione, adde te. 477. 12. 13. & 478. 1. infor mitas, infirmitas. 479. 14. operarij, operarius. 480. 15. hinc, hic. ibid. 29. dectamentū, delecta mentum. 484. 8. ſimillimum, ſimillimi. 485. 2. ſuperfluens, ſupereffluens, 486. 30. retine bant, retinent. 487. 19. miſerior, miſereor. 488. 9. ſequebantur. 491. 29. athiſmum, atheiſmum. 492. 8. vocati, vocationi. 493. 23. addicere, addicens. 495. 22. relictis, relicti. ibid. 27. à, in. 496. antepen. conſpectu, adde, Dei. 498. 4. tales, adde, ſanandi. ibid. 20. abſoluetur, abſoluē tur. ibid. 24. coram, adde, Deo. ibid. 25. inundationem, mundationem. 500. 2. ſeruire, adde, vis. 501. vlt. puſillanimes, puſillanimis. 502. 4. Spiritum, initium. ibid. 11. tamen, tametſi. ibi. 12. tamen, nihilo. 503. ad margin. Pſalm. 88. Deut. 6. 5. 506. 5. in, ex. ibid. 22. conducto, abducto. 507. 19. ſuſcipiantur, ſuſcipiant. 508. 33. ex, tolle. 510. 40. Regis, Reguli. 25. potentis, parentis. 512. 20. vineam, villam. 518. 17. Iudicio, Iudæa. 522. 4. examinabuntur, exanimabuntur. 527. penul. alimentum, aliorum. 539. 18. non, dele. 542. animis, annis. ibid. 29. præuenientium, præcedentium. 543. penul. dabatur, dabitur. 547. 31. parant, parati ſunt. 550. 7. quæ, qui. ibid. 8. adducet, adducit. 551. 13. langentis, languor.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN